EPI TOME ERANAE



TOMVS PRIMꝰ ET SECV

Sarek

8 Sankow beczka

2 Sanki Czwarcizna

4 Sanki Cwiert alto pulbeczki

6 Sankow Cwierz pulkry

Abd[illegible]

Verbum caro factū ē Alelua
Et habitauit in nobis alelua

18

R. P. LUDOVICI GRANATENSIS CONCIONUM IN EPITOMEN REDACTARUM,

TOMUS SECUNDUS:

POSTILLAS ET HOMILIAS IN præcipua Sanctorum festa continens.

Opera F. Petri Merssei, Cratepolij, Instituti D. Francisci Fratrum Conuentualium Coloniæ.

Cum Indice rerum ac verborum locupletissimo.



LUGDUNI,
IN OFFICINA Q. HUG. A' PORTA,
APUD FRATRES DE GABIANO.

M. D. XCV.

REVERENDO, STRENVO, GENEROSOQVE DOMINO, D. Heinrico de Ruissenberg, Ordinis Teutonici per Germaniam Commẽdatori generali Balliuiæ Traiectensis superioris, S.P.

CONCIONATORIS *Catholici ego
munus idẽ ferè ac Fundatoris, id est, qui
insignis cuiusdã est monumẽti auctor, esse
arbitror. Concionatoris duo sunt potissi-
mùm fines, in quos spectare debet, vt scilicet in Dei
populo pro sua virili dispersos colligere conetur, &
vt collectas Christi ouiculas summo studio custodire
curet: ipse inde de cõmissis sibi coram summo iudice
reddendam esse rationem proponat. Nouit dictũ sibi:* Ezech. 3.
Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, & au-
dies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. *In
eandem quoque sentẽtiam apud eundem Prophetam* Cap. 33.
*alia tendũt verba. Viderint nunc, qui tot Ecclesiæ opi-
bus luxuriãtur, num Speculatores agãt fideles. Vide-
rint qui Ecclesiastæ sunt, vt verè verbũ, cuius sũt præ-
cones, secẽt: qualis hic noster diuinus auctor Ludoui-
cus Granatẽsis, felicis memoriæ. Hic à prima ætate re-
ctè viuendo, bene & scribẽdo & docendo, ad extremũ
spiritũ fidelẽ se in Ecclesia Dei præstitit seruũ: qui &* Matt. 25.
*Domini sui, cuius aduẽtus hora incerta est, diligẽtissi
mam habuit rationẽ. Obseruauit sine dubio, nihil esse
bene operari incepisse, nisi in bono opere persistas. Cõ-
cionator haud dubiè apud se expendit, quid ille diuus
Apostolus, Euangelica tuba, vbi subditorũ diligenter
præcepisset officiũ, ipsis inculcauerit Prælatis:* Ipsi, *in-* Hebr. 13.
quit, peruigilãt, quasi rationẽ pro animabꝰ vestris red-
dituri: vt cũ gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc

Lucæ 16. enim nõ expedit vobis. *Redde rationẽ villico, mihi & tibi supremus dicet iudex. Sic nobilis cuiusdã Fundatoris mun⁹, qui eximiæ alicui rei dat initiũ, iudico esse, vt ꝙ ipsemet lingua præstare nequeat, hoc bonis suis externis, in quib⁹ ipse à Deo positus est dispẽsator, efficiat: efficiat, inquã, vt non in vno anno loquatur, nõ in vno populo, verùm in multa cõcionetur secula, in frequẽti nobilis iuuẽtutis flore ac ætate profiteatur, idq; in Ecclesia Catholica, in populo graui. Talis est ille generosus D. Heinricus de Ruissenberg, Ordinis Teutonici Cõmendator dignissimus: qui Spartã sibi commissam omnibus modis exornare magnopere studet: quiq; vt potens, ita & animo verè nobilis & pius. Hic, cù terrenis polleat bonis, in Ecclesia Dei iuuẽtutis Seminariũ quoddã, vbi inclyta iuuẽta in pietate, in literarũ sacrarũ disciplina imbueretur. Coloniæ apud Laurentianũ Collegiũ ordinauit, ac maximis instituit sũptibus. Videmus optimi viri prõptissimũ animũ, exosculamur, & æternas agim⁹ habemusq; gratias. Diuus Nicolaus inopes iuuit, & æternã in Ecclesia Dei meruit gloriã. S. Gregorius monasteria aliquot fundauit, & immortalẽ laudẽ & cathedrã supremã cõsecutus est. Non potuit nobilis hic heros in meliorẽ cõuertere suas opes finẽ, quã in huiusmodi, vbi supremi Dei honos, Ecclesiæ Catholicæ decus per iuuẽtutis bonam ac diligẽtẽ instructionẽ, promoueretur. Christ⁹ Iesus Sal-*

Marc. 10. *uator pueros iubet peruenire ad se: Ne, inquit,* prohi-

Matth. 6. bueritis illos. *Clamat Saluator:* Facite vobis amicos de

Lucæ 16. mãmona iniquitatis, vt, cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Hãc sine dubio sentẽtiã generosus domin⁹ quasi sibi dictã arripuit. Gratias imprimis immẽsas Domino Deo, largitori omniũ bonorum, fidelis hic œconomus agat, ꝙ hãc sibi cõcesserit mentẽ, quæ tã*

Psal. 15. *multis negatur. Meritò cũ sancto dicat Propheta:* Be-

1. Tim. 6. nedicam Dominũ, qui tribuit mihi intellectũ. Qui volunt diuites fieri, & in suis confidunt diuitiis, incidunt

in tentationẽ, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitũ & perditionẽ. *Quot in mundo degũt mortales, qui, quum per fas ac nefas bona acquisierũt, per furta ac latrocinia auxerunt, eis turpiter abutẽtes ita in eis immersi sũt, ac si in eis sũma esset felicitas posita? Quã misera ac deplorãda horũ sors, qui viuẽtes Deo mortui sunt, qui in ipsis tenebris palpitãt! Quid illo opulẽto diuite* Lucæ 12.
stultius ac iniquius, qui in suis confidebat diuitiis, qui animæ suæ dicebat: Ecce anima, habes multa bona posita in annos plurimos: tibi bene prospectũ: requiesce, comede, bibe, epulare? *Dixit autẽ illi Deus:* Stulte, hac nocte animã tuã repetent à te: quæ autẽ parasti, cuius erũt? *Qui se Christ mãcipauit seruitio, ille ea, quæ aliquomodo à Christo separãt, odio debet habere. Qui dicit diuitias tẽporales esse vanas, ille sanè bene dicit. Christus eas spinis cõparat. Quod finẽ habet vanũ idẽ* Lucæ 8.
vanũ habetur. Dormierũt somnũ suũ omnes viri diui- Psal. 75.
tiarũ, & nihil inuenerunt in manibus suis. *Illud planè vanũ æstimatur, quod separat hominẽ ab illo optimo fine, qui est Deus.* Beatus est ille diues, qui inuentus est Eccl. 31.
sine macula, & qui post aurũ nõ abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic? & laudabim⁹ eũ. *Diues aut iniqu⁹ est (horrẽda sentẽtia) aut iniqui heres. Falco (vt fertur) satur, dominũ suũ nõ agnoscit. Filius ille* Lucæ 15.
prodigus, cũ se diuitẽ esse videret, insolescere cœpit, & domũ patris sui reliquit: verũ postquã ad inopiã esset redactus, domũ paternã repetiit. Abũdãtia & panis saturitas eum à Deo separauit, penuria reduxit. Diues erga plurima turbatur, sẽper in animo tumultuatur, Luc. 10.
instar maris, quod quiescere nõ potest in negotio salutis animæ vnum est necessariũ. Si huius vnius velis esse studiosus à vanis & superfluis cogitationibus facilè te extricaueris. Parẽtes nostri, in statu innocẽtiæ agẽtes, Genes. 2.
proprij corporis obliuiscebãtur, nõ sentiẽtes nuditatẽ: verũ perpetrato peccato, ad res corporales attẽdẽtes,

2.Cor.12. *cognouerunt nuditatē suā. Apostolus Paulus, vas ele-
ctionis, rapt⁹ ad tertiū cælū, vtrū in corpore an extra*
Matth.6. *corpus, dicit se nescire.* Vbi enim est thesaurus tuus, *ait
Saluator*, ibi & cor tuum erit. *Pauci autē sūt qui cum*
Psal. 37. & 38. *Propheta dicere possint;* Ego autē mēdicus sū & pau-
per, Domin⁹ solicitus est pro me. *Aduena ego sū apud
te & peregrin⁹, sicut omnes patres mei. Cogitationes
seruorū Dei videmus plurimū differre à cogitationib⁹
horū qui mundo sunt dediti. Cogitationes diuitiarū,
spiritum pietatis suffocant. Vincula mundi dissoluere
oportet, vt ad cælū euoles. Venenū in suaui cibo porri-
gitur: facilè sibi interitū conciliat, qui illud incautus
sumit. Diuitiæ sunt dulces amātibus illas, at mors in*
4.Reg.4. *olla. Reddūt hominē insolentē ac superbū ad infernū*
Eccl. 5. *inde trahūt.* Qui amat diuitias, fructum non capiet ex
eis. *Felix illa anima, quæ diuitiis non est subdita.* Dor-
Lucæ 16. mierunt somnū suum viri diuitiarum, *id est, serui diui-
tiarū, non domini, qualis ille in Euangelio epulo. Diui-
tiæ possessores suos nō liberāt à curis, sed potiùs onerāt.
Quàm vanus ille, qui in hisce corruptibilibus vltimū*
Philip. 3. *suū finē, i. felicitatē figit. Qui res terrenas, vt Aposto-
lus, qui hæc vt stercora habebat, spernit, huius cor fa-
cilè cælestib⁹ implebitur. Stercus est res vilissima. Quę
nos in maximo habemus pretio, vt aurū & argentū,
fæci terrę cōparātur. Qui igitur terrena bona (si modò
dicēda sint bona) amat, eisq́; delectatur, amat terrā.
Homo creatura est nobilissima facta vt Deū creatorē
suū, cuius refert imaginē, amet, colat, eóque fruatur: iā
cū rebus tā vilib⁹ animū suū adiiciat, seipsum vilē ac
ignobilē reddit. Hic suam declarat generositatē: nam
diuitiis, vbi accrescūt, non apponit cor. Amoris noui-
mus ingeniū, qui amantem in rem amatam transfert,
adeò sanè vt nō sit ampliùs su⁹, sed rei amatæ. Qui igi-
tur tam præcipitè amore ad terrena afficitur, ille suis
pręcipuis priuilegiis renūciare videtur. Amam⁹ Crea-
torē, cedit in nostrā salutem: diligimus eū, in honorem*

cedit

cedit nostrum, qui bonorũ nostrorũ non eget. Deus res Psal. 15.
terrenas non magni ducit, cùm singularem suũ amicũ
Iob eis priuauerit, ad turpissimi Satanæ instãtiã Valde nos humiliamus & despicimus, cũ inferiora ista tã Iob 1.
inordinatè amamus: verũ cũ ista parũ curamus, magnopere nosmet exaltamus. Anim⁹ soli Christo impẽdẽdus, auocãdus ab his nihili rebus. Sanctus Propheta ait: Filij hominũ, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psalm. 4.
Mũdi amor est quidẽ nobis insitus, verùm mortificandus, cùm sit nociuus, & Dominus aderit nobis. Quid prodest homini, Matt. 16.
si vniuersum lucretur mundũ, & animæ suæ detrimentũ patiatur? *Eo statu quo olim infantes cœpimus, eodẽ statu etiã finire debemus. Initium paruũ & modicũ, exitus contẽptibilis & horridus. Verũ omissis istis, ne Ecclesiasten agere, qui Nobilitatẽ tuã in hac epistolari præfatione cõpellare statui, videar: ante annos aliquot prolixas D. Ludouici Granatens. Homilias, vt à tenuioris fortunæ Sacerdotibus & quib⁹ nõ ita lõgiores vacat legere, peruoluantur, in Compendiũ redegi. Misi exẽplar ad ipsum Architypographũ Plantinum: quod per quadriẽniũ ob alias occupationes dilatũ iã tandẽ ad prælũ reuocatũ in lucem prodit. Scripseram Præfationem ad Reuerendã dignitatẽ tuam, verũ ob temporis diuturnitatem interiit. quod cũ mihi significatũ fuisset, nolui animũ mutare, aliam scribere coactus sum. Inscripserã primũ Tomum summo Pontifici Xysto V. quod instituti esset nostri in qua ipsius Sãctitati congratulati sumus: verùm hic ante editionẽ vita functus est, ꝙ me malè habuit. In hac editione maturandũ video, ne R. D. T. cui longam & prosperam impẽcor vitã, nobis subripiatur vita humana anceps. Ago hîc in alieno opere, in quo ingeniosũ esse nõ licet. Vt enim varias sæpe Auctor, accõmodas tamen, tractat materias, ita non vnũ dicendi genus eis tractandis sequitur: & nunc summã Euangelij paucis com-*

ple

plectitur, nūc eam explanat: ſæpe etiā ſermones integros in Eccleſiæ ritibus explicandis conſumit. In quo certè ſanctum viri ſtudium meritò veneramur. Nihil ille quidē prætermittit, omnia tētat, vt, quoquo modo poſſet, docendo, hortando, verū falsúmque diſcernendo, populū Chriſtianum piè erudiat, confirmétque. Hic quidem ſicut in ampliſsimo ac pulcherrimo cāpo flores carpere iucundū fuit: hos autem in quandā coronam cōtexere, difficile fuit, iudicent alij rerū ſacrarū periti. Quid ego præſtiterim, apud alios eſto iudiciū. Hoc igitur Opus ſiue Cōpendiū diuini viri Patris Ludouici Granat. ſub Reuerendæ dignitatis tuæ nomine in lucē prodire volui, idq́; non eam ob cauſam ſolùm, quòd ſtudioſos pietatis, ac ſacrarum literarū R. D. T. foueat, promoueat ac ſe eorum Mæcenatem declaret (vnde tibi tā bene merēti ſummæ ac æternæ debentur gratiarū actiones) verùm etiā, ac maximè, quòd tua pietas in Eccleſia Filij Dei manifeſtè lucet, dū cōſilijs opibusq́; eò contēdas, vt decus domus Dei indies magis magíſque ſua maieſtate fulgeat, & omnia honeſtè fiāt. Et æquū eſt, vt publicū aliquod huius tuę pietatis teſtimoniū extet, quo & alij ad ſimilia pietatis ſtudia exēplo tuo excitētur. Adeſt crebrò R. T. Dig. eximius D. Adamus Hamerſteinius, vir ſincerus, Inſtituti D. Antonij Colon. idemq́ue Reuerend. T. D. cognatus deuotus, mihi ſatis notus. Hic olim me ad hanc lucubrationē cohortatus eſt qui in negotio Eccleſiaſtico ſatis eſt ſedul⁹, qui honeſtis inſtitutis ſua opera nūquā deerit. Vt autem operis dedicationem eo affectu R. T. D. ſuſcipiat, quo à me profectū eſt, vtq́; Chriſt⁹ Ieſus, verus Eccleſiæ ſuæ protector, tuos conat⁹ pios gubernet, oro, petóque à Deo Opt. Max. obnixè. Valeat Reuerendus, ſtrenuus, nobilis Dominus Commēdator ad animi corporis ſalutē. Coloniæ, anno ſalutis noſtræ 1590. 19. Octobr. ex Collegio F. Minoritarum Conuentualium.

D. Adamus Hamerſtein. Antonianus Colonienſ.

F. Petrus Meriteus, R. T. D. obſequentiſsimus.

CON

CONCIONVM QVÆ DE PRÆCIPVIS SANCTORVM FESTIS HAbentur, Epitome.

IN FESTO BEATI ANDREÆ APOSTOLI, CONCIO: IN QVA, POST explicationem Euangelicæ lectionis, de glorioso eius agone disseritur: &, quid nobis eius exemplo agendum sit, ostenditur.

THEMA. *Venite post me, & faciā vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis, &c.* Matth. 4.

HOdierna sancti Euangelij lectio, Auditores, quatuor insignium Apostolorum, Andreæ scilicet, Petri, Iacobi, & Ioannis vocationem continet. Quantum autem ex Euangelicis literis coniicere possumus, non semel, sed iterum ac tertiò beatum Andream cum Petro fratre vocatum à Domino fuisse colligimus. Primùm enim, cùm Ioannes Baptista Christum Dominum ambulantem vidisset, ipsumque Dei agnum esse testatus esset: duo ex eius discipulis, quorum alter Andreas erat, eum secuti sunt, & apud illum eodem die manserunt. Andreas verò, suauissima Christi consuetudine miro modo delectatus inuentum fratrem adduxit ad Iesum, Messiam illum mundique Saluatorem esse confirmans. In eo verò Euangelicæ charitatis virtus enituit, quòd solus pretioso illo thesauro frui Andreas noluit: sed eiusdem dignitatis & gratiæ participem esse fratrē studuit. Hæc igitur prima horum sanctissimorum fratrum vocatio fuit. Secunda verò fuit ad stagnum Genezareth, in quo Petrus à Domino vocatus fuit; & credibile est, cum Petro ibi

Andreas ad Apostolatum vocatus.

Ioan. 1.

Concionatorum munus quale.

fratrem quoque Andream fuisse. Sed quoniam eos qui docendi munus Euãgelij sustinere debebant, ab omnibus aliis curis atque negotiis segregatos esse oportebat, vltimò tandem eosdem in præsenti Euãgelio Dominus vocauit: quam quidem vocationem diuus Matthęus Euangelista describit. Vt autem ex eo aliquid salutariter proponere possimus, Dei opem, beatissimæ Virginis interuentu, requiramus.

AVE MARIA.

Sic inquit: *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.* Posteaquam Dominus ac Saluator noster quadraginta dierum precibus atque ieiuniis Euangelicæ doctrinæ prædicationem (quam tum primùm aggredi volebat) æterno Patri commendasset, & cælestem in terris scholam instituere decreuisset, discipulos primùm elegit, qui huius Philosophiæ auditores essent: vt ab eo eruditi, alios ipsi erudirent, atque ita granum illud sinapis (quod minimum est inter olera omnia) ab his paruis initiis in proceram tandem arborem excresceret, quæ ramos suos in fines mundi porrigeret. Quia verò cælestis hæc Philosophia non tam humano studio aut ingenio, quàm diuini Spiritus afflatu & magisterio nititur (ad quod vera cordis humilitas magis quàm turgida sæculi sapientia mentis præparat) nequaquam eos qui mundi iudicio sapientes essent, sed pauperes & obscuros homines ad hoc munus elegit. Mirum sanè est, quòd ad vnam Domini vocem piscatores hi, nihil dubitantes, nihil cunctantes, Christum fuerint secuti. Quis enim nostrûm non ita secum ageret: Quò petimus? quem sequimur? qua ratione homo pauper & tenuis, vitæ nostræ necessaria suppeditabit? Quid dementius, quàm pro incertis certa relinquere? Quid verò noua illa & insolita pollicitatio pręse fert: *Faciam vos fieri piscatores hominum?* Quia expeditè sequuntur, perfectissimæ obedientiæ hac in re nobis exemplum exhibent. Perfecta enim obedientia nihil temerè discutit, nihil examinat: nõn secum expẽdit quæ facilia, quæ difficilia, quæ iucunda: sed fide fulta, solam præcipientis auctoritatem sequitur. Sic subditi maioribus suis, & serui dominis, & filij parentibus, & vxores viris, & pœnitentes Confessariorum præceptis, atque omnes postremò communi rerum Domino obedire tenemur.

Schola Christi vbi incepit, & quando. Matth.13.

Philosophia cælestis qualis.

Obediẽtia virtus & encomiũ.

Obedientiæ dignitatem diuus August. ex primo Domini

præcepto, generis nostri principibus imposito, demonstrat his verbis: *Non potuit perfectiùs demonstrari, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cùm Dominus prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia tenet pœnam.* Diuus verò Gregor. tractans illa Samuelis ad Saulem Regem verba, *Melior est obedientia quàm victimæ:* sic ait: *Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro: per obedientiam verò, voluntas propria mactatur.* Singularem ergo obedientiæ fructum D. August. declarat, his verbis: *Citiùs exauditur vna oratio obedientis, quàm decem millia contemptoris.* Alius: *Quanto obedientiores fuerimus præceptis & patribus, tantum obediet Deus orationibus nostris.* Ioseph obediens in præceptis Dei, ipsum inueniētem sibi repertus est. Sine obedientia nulla virtus grata est Domino Deo. Diuus Bernardus ait super illa verba Esaiæ, *Ecce in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra. Docet, neque ieiunium, neque silentium, nec vigilias, nec orationes, nec lectiones, & cætera bona opera grata esse Deo, vbi inuenitur voluntas nostra,* hoc est, vbi virtus obedientiæ omninò deest. Denique tanta obedientiæ virtus est, vt ea quoque opera iusta ante Deum faciat, de quibus dubitari meritò potest, iusta an iniusta sint, vbi quis ex maiorum imperio ea exsequitur. Sancti doctores obedientiam, tutam nauigationem, & immediatam ad Deum excusationem vocant. Obediens primum debet simplex esse, superioris mandatum non excutiens, non examinans: superiori committens discretionem imperandi, sibi obtemperandi. Hinc D. Bern. *Non attendit verus obediens, quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quod præcipitur.* Quod diuus Andreas exemplo suo declarat, qui sine disquisitione cum fratre suo ad imperium vocantis Domini, relictis omnibus, ipsum secutus est. Sic & Abraham suo exēplo obediendi celeritatem ostendit, qui iussus à Domino, dilectissimum filium immolare, non exspectata luce, in ipsa nocte se huic operi cum filio accinxit. Sic isti Apostoli continuò, relictis omnibus, sequuntur. Perfecta obedientia apposite perfectæ monetæ, siue nummo comparatur, qui & integer esse debet, hoc est, nulla sui parte trūcatus: & purus, hoc est, nulli peregrino metallo admistus. Iam ad horum Apostolorum & aliorum officium, id est, piscandi munus, transeamus. Meminit & Propheta huius diuinæ piscationis: *Ecce ego mittam eis piscatores multos, dicit Dominus, & pisca-*

1. Reg. 15. — *Augustinus.* — *Esaiæ 58.* — *Opera nostra quid commendes.* — *Obedientia tuta nauigatio.* — *Bernardus.* — *Obedientia nō procrastinat.* — *Genes. 22.* — *Simile.* — *Bernardi sententia.* — *Piscandi officium.* — *Hiere. 16.*

buntur eos, &c. Quia verò cæleſtis magiſter hac piſcandi metaphora vſus eſt; officij noſtri erit, eam excutere, & paulò fuſiùs explanare. Rete igitur, verbum Dei; piſces homines; mare, mundum, in quo huiuſmodi piſces verſantur, intelligimus. Mundi verò ſtatum mari comparari, vtriuſque rei ſimilitudo ſatis declarat. Si enim mare amarum eſt, ſi inſtabile, & periculis plenum: quid quæſo mundo ſimilius? Quid enim in mundo ſtabile? quid tranquillum? quid non infinitis caſibus & periculis obnoxium? Piſcium nomine homines diximus intelligi, qui in hoc mari magno vitam agunt. Primùm enim varia piſcium genera, varios hominum ſtatus repræſentant: quorum quidam maiores, alij minores, alij autem mediocres ſunt, quibus vaſtum mundi pelagus completur. Sicut minores piſces in maiorum prædam cedunt: ita inopes ac tenues homines potentiorum iniuriæ patere Eccleſ. docet his verbis: *Venator leonis onager in deſerto: ita & paſcua diuitum ſunt pauperes.* Diuites illi & potẽtes magis damnandi ſunt, qui nouis ſemper oneribus pauperes premunt, inopibus vitæ neceſſaria eripiunt, vt aliis tribuant vnde luxurientur. Miramur diſcipulorum auiditatem, qui tanta celeritate panis micas, aut ſimiles quiſquilias in ſtagna decidentes perſequuntur: nos ipſos non miramur, qui ſimili ſtudio & cupiditate, bona temporalia, voluptatem captamus, quæ nòs planè demergunt. In huius mundi mari ſunt piſces mundi & immundi. Mundi eſſe dicuntur, qui pinnulas & ſquamas habent: immundi verò, qui iis deſtituti ſunt. Itaque anguilla & murænula, quæ nunc in deliciis habentur, immundi olim piſces erant, quibus veſci ſub lege non licebat. Cur ita tandem? cur immunda creatura Dei cenſeatur? Sed animaduertite, Auditores, mirãdam conditoris prouidentiam, qui non modò ſacris literis atque doctrinis, ſed rebus etiã ipſis quas condidit, nos inſtruere & erudire curauit. Quid igitur hoc ſymbolo nobis innuitur? Pinnulæ quidem, quibus tanquam pennis piſces ſe in altum ſurrigunt, & quodammodo volant, diuinarum rerum contemplationem, qua in altum attollimur, & cæleſtia rimamur, appoſitè deſignant. Squamæ autem quibus velut quadam lorica corpus tegitur, ſpiritualia arma ſignificant: quibus mentes noſtræ aduerſus ignitas diaboli ſagittas muniuntur. Vnde ſapienter D. Bernardus: *Sicut*, inquit, *fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum: ita fruſtra iaciuntur inimici tela in corpora loricatorum.* Si quis

Mundus mare eſt.

Piſcium varia genera.

Pauperes à diuitibus deuorantur.

1. Timo. 6. Leuit. 11.

Pinnulæ & ſquamæ.

Bernardus.

igitur

igitur piscis mundus, purus, atque innocens ante Deum esse velit, det operam vt pinnulis & squamis sit instructus. Pinnulis erit instructus, si se diuinarum rerum contemplationi, & pio orandi studio addixerit: insuper supra sui custodiam vigilet, vt aduersus importuni hostis spicula, semper attentus & munitus incedat. Hoc est quod Propheta ait: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum te ambulare cum Deo tuo.* Quisquis igitur huiusmodi pinnulis & squamis incedit vestitus, inter mundos pisces numeratur: qui verò vtroque destituitur, inter immundos. Iam qui ita terrenis rebus sunt affixi, de quibus ait Propheta, vitam in terra obliuionis agere dicuntur, qui se ventri dicarunt; hi se diaboli iugo subdunt, hi sunt immundi pisces, qui à cælesti conuiuio repudiantur. Rete autem siue sagenam esse verbum Dei, Dominus testatur, cùm ait: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti.* Piscatores sunt diuini verbi ministri, qui homines variis vitiorum gurgitibus mersos, ad diuinæ lucis ac rerum cælestium cognitionem attollunt. Pisces perpetuò in aqua versantur: ita multi homines ita terrenis occupantur, vt nihil nisi terrena sapiant. Piscator facit sicut vinitor & olitor, siue agricola: hi terram subigunt: agricola facit sementem, inde metit, at Deus dat incrementum. Piscator quid sibi tribuere poterit, cuius totum penè opus diuinum beneficium est? Quis assiduis concionibus audiendis vitam commutauit? quis consueta carnis vitia deseruit, & in nouum se hominem transformauit? Multi sanè Auditores cauteriatam habent conscientiam: vereor sanè ne tales à concione regrediantur, quales ad eam venerunt. Culpa sanè nobis imputanda est, quòd pauci venentur, qui non ita viuimus, nec ita ex Deo pendemus, vt digni simus, quorum ipse mente & lingua, velut sagena, ad aliorum salutem vtatur. Vnde is per Hierem. de huiusmodi ministris ait: *Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissem eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis.* Hoc autem quod nobis deest, in Apostolis abundauit: ideò non mirum si nos inanem sagenam, illi verò piscibus plenam passim referrent. Nequaquam tamen tota huius rei culpa in Ecclesiasten coniicienda est: Auditores plerunque in culpa sunt, qui minus attenti & parati, ad sacras conciones veniunt. *Auris* enim, *bona*, in-

Mich. 4.
Pisces mundi & immūdi qui.
Psal. 87.
Matth. 13.
Piscatores prædicatores fiunt.
Homines immersi terrenis.
1. Corint. 3.
Auditorū negligentia.
1. Timo. 4.
Concionatorum culpa.
Hiere. 23.

Eccles. 3. quit Sapiens) *audit cum omni concupiscentia sapientiam*
Psal. 118. *sicut ille audiebat*, qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Si quid meditor, si quid lego, non vt doctior, sed vt purior euadam, vt non peccẽ tibi. Sũt qui curiositatis affectu ita verbum Dei audiunt, non vt in Deum non peccent, sed vt animum vel nouitate rerum pascant. Iam qui variis curis & cupiditatibus intra se exagitatur, non minùs Concionatoris percipit vocem, quàm si quis dum cõcionaretur, tumultuaretur ac vociferaretur. In quie-
Psal. 86. te & silentio verba illius audienda sunt: *Audiam*, inquit ille, *quid in me loquatur Dominus.* Cum illis loquitur Deus pacem: qui pacẽ illi internam præbent. Hinc sequitur illa pax, quæ exsuperat omnem sensum. Vbi ergo Dominus dixisset, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominũ*: relictis suis rebus ita secuti sunt Dominũ, vt ad negotia seculi nun-
Prædicatores quales esse debeant. quam redierint. Nudos quippe, & ab omni terrenarum rerum amore expeditos esse Dominus voluit, quos ad Euangelicæ prædicationis munus eligebat. *Est enim* (vt D. Chrys. ait) *virtutibus cunctis cognata paupertas.* Athleta nudus ad
Magnatis vis qualis. pugnam accedit. Sed quid mirũ, si cõditoris vox post se homines trahat, qui eã vim magneti cõtulit, vt graue & pon-
Hieronymus. derosum ferrũ post se in sublime attollat? Tantus autẽ splendor ex diuino vultu Christi elucebat, vt facilè vel ipso aspectu ad se homines trahere posset. Duo isti piscatores parca habuerunt: quare nõ poterant multa relinquere. D. Greg.
Gregor. in Homil. respondet: *Hac in re affectum potiùs debemus pensare, quàm censũ.* Multa relinquimus, si desideriis terrenis renũciemus.
Voluntas vt grata Deo. Adsit bona volũtas, adsit & exsequẽdi opus & effectus. Qui carent viribus & opibus, sola in eis volũtas põderatur: at qui rebus omnibus abundant, voluntas ex operibus æstimatur. Ad alteram Euangelij partem transeamus. Sequitur.

Et procedens inde Saluator, vidit alios duos fratres, Iacobi
Apostolorum sors. *Zebedæi, & Ioannẽ fratrem eius*, &c. Hi reficiebant retia sua, alij autẽ superiores iactabant in mare. Videmus eorũ abiectam sortem, tum humiles curas, quibus intenti erant cùm ad Apostolicæ dignitatis fastigiũ, nullis præcedentibus me-
Exod. 3. ritis, sed sola Dei gratia, vocati sunt. Sic Moysen, ouium pa-
1. Reg. 16. storem, ducem populi & legislatorem cõstituit. Sic Saulem pauperem ac tenuem, in Regem populi vngi præcepit. Sic & Dauid, inter fratres suos minimus, Rex constituitur. Apostoli dum retia in mare iaciunt, alij dum reficiunt, vt essent mundi lumina, doctores Gentium, & Ecclesiæ columnæ, à

Domino

Domino cooptantur. Quis in his electionibus diuinæ sapientiæ consilium non miretur? Hîc sanè cõsentaneum est, vt omnes huius diuini consilij causas ad ipsius gloriam referamus. Hæc res maximè Dei potentiam illustrat, quod instrumentis adeò fragilibus, & humanæ prudentiæ iudicio prorsus inepti, tam præclara opera molitus fuerit. Sic Dauid inermis, ac pugnandi imperitus, armatum gigãtem sola funda & baculo interemit. Samson asini mandibula mille Philisthæos, & totum eorum exercitum fudit. Iudith Holofernis exercitum potentissimum deleuit. Sic duodecim rudium piscatorum vocibus, totam diaboli machinã ac mundi potẽtiam euertit; aras & tẽpla deiecit, & vniuersum orbẽ Euangelica prædicatione illustrauit *Ex ore infantiũ & lactẽtiũ perfecisti laudẽ, propter inimicos tuos.* Videmus excellentiam diuinæ libertatis, quæ nullis se legibus adstrictam declarat. Valeant igitur sacrilegi homines, qui Deo libertatis gloriam eripientes, ex necessitate naturæ omnia illũ facere somniant. *Ipse suscitat è terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt sedeat cum principibus.* Sicut lutum in manu figuli, sic & vos in manu mea. In manu Dei est, ex eadẽ massa, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam fingere. Nec libertas modò, sed liberalitas etiam, & immensa Dei gratia in hoc opere perspicitur. Quò magis aurẽ gratuita eius dona sunt, eò debẽt qui sic in benedictionibus ab eo præuenti sunt, submissiùs se gerere, Dominíque sui magnificentiam gratissimis animis extollere atque laudare. *Infirma mundi elegit Deus, vt non glorietur omnis caro.*

Prima causa. *1. Reg. 17.* *Iudic. 15.* *Iudith. 15.* *Psalm. 8.* *II. causa. Hæresis cõtunditur.* *Psal. 112.* *Hiere. 18.* *Roman. 9.* *III. causa.* *1. Corint. 1.*

DE PASSIONE BEATI ANDREÆ APOSTOLI.

HIc beatus Andræas in Scythia Europæ, & Achaia, verbum Dei latissimè disseminauit, & plurimos ad fidem Christi conuertit. Cùm multa & in vita & in morte huius sanctissimi Apostoli admiratione & laude dignissima sint, tum nihil est mirabilius, quàm lætitia illa & alacritas animi, qua ad crucis supplicium properabat. Ductus quippe ad martyrij locum, cùm paratã sibi crucem à longè vidisset, nequaquam illam supplicij instrumentum, sed summi honoris atque dignitatis thronum esse iudicauit. Solent quidem li-

Andreas ad passionẽ properat.

ctores & carnifices eorum oculos,qui capitalem sententiam subituri sunt,tegere,ne fulgentem gladium, ceruicíque imminentem intuentes,exanimētur, & horrore ac metu mortis,ante mortem quodammodo moriantur. Ita beatus Andreas,supra humanæ conditionis naturam elatus, & excelsior mundo factus,adeò non exhorruit mortem, vt tāquam amantissimam sponsam amicissimis vocibus compellaret.

Simile. Si terrenorum Regum auctoritas tanta est, vt res infimas & abiectas nobilitare queat: quantò magis superna illa maiestas hoc efficere poterit? Vbi ergo Regis æterni filius cruce, flagella, clauos, ludibria, & vincula sustinuit: quis dubitet hæc omnia vsque adeò eius dignitate nobilitata fuisse, vt meritò crucis laudem celebrauerit? Hinc ardentissima illa

Martyrū desideriū ad mortē. martyrū desideria orta sunt, qui tantopere pro Christi gloria sanguinem fundere sitiebant. Quæ enim passione summi rerum omnium Domini nobilitata fuêre, non potuerunt non summæ gloriæ esse iis,qui eius exemplo eadem perpessi sunt. Vnde magnus ille Imperator Constantinus effossos sanctorum Cōfessorum propter Christi fidē oculos exosculabatur:eam corporis ignominiam,summæ loco gloriæ esse

Cyprian. in epistol. ducēs. Sic laudat sanctus Cyprianus Episcopos & Presbyteros qui erant ad metalla damnati. Quia igitur sancti martyres hanc tantam laborum suorū mercedem plenissima fide

Patientia Sācto-rum. exspectabant, nihil mirum si tantā in doloribus patientiam ostendebant. Quorum nos exempla sectantes, si nō sanguinem fundere, saltem rerū nostrarum partē pauperibus erogare: si non mortem sustinere datur, mortificare saltē membra nostra super terram studeamus. Venit Andreas in Græciam, multísque ad fidem Christi cōuersis, Aegeam proconsulem ad Patras vrbem prædicationibus suis obsistentem, Christianósque diis sacrificare cogentem, liberrimè cœpit

Iudex hominū Deū agnoscat. increpare: quòd qui iudex hominum haberi vellet, Christum Deum atque omnium iudicem, à dæmonibus elusus, nō agnosceret. Cui Aegeas iratus respōdit: vt desineret Christum iactare, cui similia verba nihil profuissent, quo minùs à Iudæis crucifigeretur. Et Andream multa in laudē Christi, sponte sua pro genere humano crucifixi, dicere incipiētem, vana & impia oratione interpellatum, iubet in carcerem detrudi. Vnde ab irato in Aegeam populo eductus esset, nisi ipse animos popularium compescuisset, rogans ne se martyrij desideratissima corona fraudarent. Igitur paulò pòst in tribunal productum, cùm Aegeas in proposito con-

stan

ſtantiſſimè perſeuerantem,& crucis myſterium maximè extollentem,ſibique ſuam impietatem libera voce exprobrantem videret,in crucem eum tolli,& Chriſti mortem imitari iuſſit. Adductus igitur Andreas ad locum martyrij, cũ multa priùs in crucis laudem exclamando dixiſſet, pridie Calend. Decemb. in crucem actus Chriſti mortem imitatus eſt, niſi quòd neque manus neque pedes eius clauis ſunt affixi, ſed ſunt ligati,vt diutiùs deſiderata morte cruciaretur. Vnde (inquit Bern.) in homine tam noua hæc exſultatio? vnde tam inaudita lætitia? vnde in tanta fragilitate tanta conſtantia? Quis enim mortalium mortem lętus adſpexit? Quorundam vidimus capillos, denunciato mortis ſupplicio, vnius noctis ſpatio in candorem verſos: quoſdam loquendi facultatem amiſiſſe: alios in furorem & amentiam verſos. ipſa etiam bruta animantia rationis expertia ſolo naturæ inſtinctu, mortem timent. Sed illud ſciendum, fortitudinem hanc nequaquam à fragili carnis natura, ſed à cæleſti virtute proficiſci, de qua Saluator, à morte excitatus, diſcipulis dixit: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Qua virtute iidem diſcipuli induti, poſteà infracto animo aduerſus totam mundi & inferorum potentiam decertarunt, & conſtanter atque intrepidè mortem ſubierunt. Beatus Stephanus, dum lapidaretur, vidit cælos apertos,& Ieſum ſtantem à dextris Dei. Quis hoc ſpectaculo animatus, non libenter, non dico lapides torrentis, ſed mille etiam mortes non alacriter ſuſtineret, vt hac tanta gloria ſibi frui liceret? At beatus Andreas nec minori fide, nec minori etiam ſpe & ſecuritate, eandem gloriam per crucem ſibi paratã intelligebat. Breui pœna ea bona eſt conſecutus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adſcenderunt. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale computat amor verus. Nunquam vitam hanc tam conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem, perfecta definitione ſentirent. Oret D. Andreas pro nobis. Amen.

Bernardus

Sanctũ vnde ſua fortitudo.

Lucæ 24.

Act. 7.

Rom. 8.

Maximus

IN CONCEPTIONE SACRATISSIMAE VIRGINIS MARIAE, CONCIO: quæ primo loco de miseranda hominis conceptione in peccato agit; secundò eximias beatissimæ Virginis virtutes & laudes prædicat.

THEMA. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Matth. 1.

INter omnia diuinæ pietatis beneficia, Auditores, quæ humano generi exhibita sunt, redemptionis nostræ beneficium principem locum tenere constat. Duplici enim potissimùm nomine beneficium aliquod iure laudatur: vel quia multum in eo donatum est, vel quia multo constitit ei qui donauit. At in redemptionis nostræ beneficio vtrumque ita reperitur, vt neque dono quicquam magnificentius, neque doni pretio carius quicquam excogitari possit. Quid enim maius æterna vita, quæ nobis per Christum collata est? Hæc enim inter tria illa numeratur, quæ tanta sunt, vt ne per diuinam quidem potentiam maiora illis in suo quodque genere effici possint: qualia sunt, humanitas Christi, maternitas Virginis, & essentialis beatorum gloria, quæ in aperta summi boni contemplatione consistit. Sumus redempti non corruptibilibus auro & argento, aut margaritis, sed pretioso Agni immaculati sanguine. Hæc expendentes, diei huius dignitatem & gloriam cognoscere poterimus. Hodie enim summum hoc redemptionis nostræ opus inchoatum est: hodie arbor illa plantata est, quæ fructum vitæ erat prolatura. Ex hac arbore flos ille pulcherrimus, super quem Spiritus sanctus requiesceret, de cuius plenitudine omnes acciperemus, emicuit. Meritò ergo à nobis dictum est, summum illud redemptionis nostræ opus hodie inceptum fuisse. Vt igitur de hac tanta solennitate dignum aliquid dicere valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Redemptionis beneficium.

1. Petr. 1.

Conceptionis festiuitas.

AVE MARIA.

Admonet hæc solẽnitas beatissimæ Virginis, vt de nostra priùs cõceptione cogitemus & dicamus: huius enim rei cognitio ad nostri ipsorũ cognitionem, & cõmunis morbi remedium, maximo nobis adiumẽto futura est. Omnes enim graui languore ægrotamus: quia omnes in originali peccato concepti sumus, quod à Theologis languor naturæ appellatur. Quid autẽ peccatum originale sit, explicare necesse est. Dei opera erant perfecta: homo Dei opus ad perfectionem cõditus est: vt ad veram perueniret (qui eius erat finis) beatitudinẽ, creatus: & huic iustitiæ originali adiunxit Deus gratiam. Quod enim in omni bene instituta Repub. fit, vt maiores imperãdi, minores verò obediẽdi officiũ exerceãt, hoc in homine bene instituto perfectissimè seruabatur. Cõdidit igitur Deus hominẽ, condidit naturam, & largitus est gratiam & charitatẽ, & ea lege, vt si is in officio & fide persisteret, sibi posterisque suis integra supernaturalia bona manerent: si verò ab officio recessisset, & sibi & posteris amitteret. Cùm igitur in hoc felicissimo statu ageret homo (diabolo adnitente) mandatũ, quod illi à Deo iniunctũ fuerat, trãsgressus, hæc omnia dona & sibi & nobis perdidit & mortem cum peccato ad posteros trãsmisit. Ne verò quisquã hoc parum rationi & æquitati cõuenire credat, naturæ atq; iustitiæ leges attendat. Natura enim hoc habet, vt filius patris conditionẽ sequatur: ex patre enim nobili, nobilis; ex ignobili, ignobilis; ex parentibus liberis, filius liber; ex seruis verò emptitiis, filius quoque cõmuni lege ancillarũ seruus nascitur. Cùm enim pater sit causa filij, & filius itẽ sit aliqua patris portio: cõsequens est, vt eadẽ sit vtriusq; conditio. Idem etiam æquitatis & iustitiæ lex postulat. Ciuiles enim leges hominẽ læsæ maiestatis reum bonis omnibus ita multant, vt eadem pœna ad hæredes vna cum criminis infamia transeat: quamuis eiusmodi sit hẽreditas, quæ maioribus natu filiis perpetuò debeatur. Itaque vnũ patris crimen efficit, vt posteri omnes propter illud & inglorij & exhæredes nascãtur. Hac ergo eadem pœna supernus ille mundi arbiter Deus communem generis humani parentem proditionis reum, & posteros eius multauit. Donis ergo illis amplissimis spoliatum nasci, originale peccatũ appellamus: quòd videlicet sit originalis iustitiæ (quæ inhẽrere homini debuisset) priuatio.

Simile.

Simile.

Patris crimen quid operetur.

Peccatum originale quid.

Iam hac originali iustitia sublata, portio animæ inferior (vt mortẽ, & alias corporis calamitates, in quas incidimus,

omit

omittam) cum toto affectuum & cupiditatum agmine aduersus spiritum rebellauit. Durante illa originali iustitia, homo in suo permanet officio: ea corruente, per peccatum præceps in ima fertur. Ex quo apparet, hominis naturam per peccatum, mirabili, imò lamentabili modo, fuisse inuersam. Rationis enim velut præfecti cuiusdam erat, affectus & motus animi regere, qui natura cæci sunt: modò verò vsque adeò affectuum & cupiditatum suarum imperio addicta est, vt ea non iam affectus & cupiditates imperio coërcere, sed ipsis seruire impellatur: hoc est, rationes excogitare, quibus earum cupiditatibus & commodis pleniùs indulgere & obsequi possit. Quo fit, vt ratio ipsa, à conditionis suæ nobilitate degenerans, in carnis quodammodo naturã versa sit: veluti mulier quæ nobilissimo nupserat viro, eo relicto, ad vilissimum aufugit mancipium. Cuius rei similitudinem quandam Achitophel, Dauidis consiliarius prudentissimus, exhibuisse videtur: qui vt pacis tempore fidelissimus Dauidi semper exstitit: ita vbi ad Absalonem defecit, perniciosissima contra Dauidem consilia iniit. Sic igitur ratio, quæ ante peccati lapsum fidelis & obediens Deo erat, vbi post lapsum carni adhæsit, & vnum quodammodo cum illa effecta est, atrociter & impiè aduersus Dei leges pugnare non veretur. Dei enim amisit & expulit à se charitatem, & iam in sui ipsius amorem ita exarsit, vt à cõditore suo auersus, totus ad se per immoderatum sui amorem fuerit conuersus. Quid detestabilius, quàm vt homo fœdam carnis voluptatem magis quàm Deum, à quo conditus est, diligat; séque ipsum in amore Deo præferat? Hac de causa homines peierant, litigant, rapiũt, oderunt, inuident, belligerantur, & alienæ pudicitiæ insidiantur, cæteráque similia facinora suscipiũt. Ex his apertissimè liquet, quanta sit lethalis peccati malitia atque pernicies, quod iustissimus ille iudex tam graui supplicio puniendum esse decreuit: imò vnigeniti Filij Dei mors, qua peccatum expiatum fuit, & ignis æterni supplicium, satis indicant quale hoc malum sit, quod Christi sanguine expiandũ, & æterno supplicio plectendum fuit. Originis peccatum non vnum hominẽ, sed vniuersum genus hominum ab Adam propagatũ, veneno suo infecit, sordidauit, & ad mortẽ damnauit. Quæ cùm ita sint, nõ satis mirari queo, quonam modo, qui hæc omnia firmissima fide credunt, tã facilè omnia huiusmodi peccata admittere non vereantur. Quòd Ethnici & infideles illa committant,

Ratio præfectus in homine.

2. Reg. 16.

Amor priuatus qualis sit.

Peccati malitia magna.

Originis peccatum vniuersale.

quæ

qui ista non credunt, & qui mala hæc quæ patimur, non culpæ supplicia, sed naturæ conditionem esse arbitrantur, non adeò mirum est: at verò quòd nos ipsi, qui cælesti magisterio docti, qui fidei sacramentis imbuti, quis non miretur & obstupescat? Debet igitur præcipuum Christiani hominis esse officium, vt spiritualibus se armis aduersus hanc generis humani pestē, hoc est, peccatū, muniat atque armet. *Christiani hominis officium.*

Cùm autem varia sint aduersus illud arma atque remedia; quatuor, quæ mihi præcipua esse videntur, vobis propono. *Arma spiritualia.*

Horum primū est, omnes peccatorum occasiones cautè & prudenter fugere, ne homini ad malum naturę corruptione propenso maius peccati incitamentum præbeamus. Quid enim de ægrotante homine sperandū esset, qui baculo innixus, vix pedibus consistere posset, si quis illū externa vi impellere atq; prosternere conaretur? At hoc eodē modo anima nostra spirituali ægritudine laborat: quæ cùm sæpe ob ingenitam infirmitatem in peccata labatur, quid de ea futurum est, cùm præsens voluptatis conspectus & peccandi opportunitas illam ad peccandum alliciat? Præsens enim rerum quas amamus conspectus vehementer hominē ad malum excitat & incendit: quantum verò occasionis periculum sit, satis abundè miseranda illa ruina Dauidis ostendit. *Simile.* *Occasio peccādi fugienda est.* *2. Reg. 11.*

Proximum verò est, vt ad primum peccati aditum, cùm ad cordis nostri ostium pulsare cœperit, celeritate occurramus. Exemplo hoc ante oculos ponam. Puluis sulphureus vbi vel minimo aquæ rore fuerit adspersus, ægrè admodùm ignem concipit: si verò omni careat humore, exigua ignis scintilla subitò inflammatur. Cor verò nostrū huic pulueri meritò comparatur: ad diuina quippe diligenda, instar humentis pulueris huius, tardissimè ignem concipit; ad carnalia verò atq; terrena, instar pulueris omni humore vacantis, impura aliqua cogitatione, velut exigua quadā scintilla excitatus, sine vlla mora accenditur: quo non anima solùm, sed frequenter etiam corpus ipsum inflammatur. Huius ergo periculi gratia Salomon ait: *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Hac autem cura & studio sancti omnes cor suum ab omni peccati labe purum seruare curabant. *Simile.* *Prouer. 4.*

Sacramenta etiam Confessionis & Eucharistiæ maximè aduersus peccati morbum remedia esse constat: ad hoc enim ab auctore salutis nostræ Christo fuerunt instituta. De confessione ait quidam pius, eam esse medicinam, quæ magnopere hominem in Dei timore conseruat. *Caiet. in Summ.*

Quod

Quod quidem efficacius præstat Eucharistia: cuius officium est, spiritualem vitam, Confessionis beneficio partam, spirituali cibo alere atque conseruare. Iam precãdi studiũ, cùm malorum omniũ commune remedium sit, tum præcipuè aduersus peccatum plurimum valere ostendit regius Propheta, cùm ait: *Oculi semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et Apostolus item, cùm varia nobis arma aduersus peccatum ministraret, huius præcipuè meminit, cùm ait: *Per omnem orationem, & obsecrationem orantes, omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione.*

Psal. 24.

Philip. 4.

Originis mala quæ sint.

Quod si à me requiratis, quænam sint illa mala quæ ex originali culpa contraximus: primùm quidem, inimicitia Dei est, hoc est, nasci filium iræ, mancipium diaboli, & regni cælestis extorrem. Deinde mortis legibus obnoxij nascimur, qui immortales antè conditi eramus: *Stipendium enim peccati mors.* Quia nemo militat stipendiis suis, ideò qui dæmoni militant, hoc ab eo stipendiũ percipiunt. Tertiò, ex hoc peccati fonte prodierunt omnes mortis comites atque satellites, videlicet infinitæ morborũ species, exsilia, vincula, flagella, vulnera, subiti casus, quibus vita nostra quotidie intercipitur atque vexatur. Hæc sunt corporis mala. Quanto verò animi morbi grauiùs nos cruciant, nempe sollicitudines, angores, cupiditates, metus, suspiciones, inuidiæ, odia, vindictæ cupiditas, libido dominandi, cupido plus habendi? qui quidem affectus adeò molesti ac acerbi sunt, vt meritò D. August. dicat, eos ipsos sui vindices esse, & pœnam suam secum trahere, ac de auctore suo quodammodo supplicium sumere. Sic enim ait: *Iussisti Domine, & verè sic est, vt pœna sibi ipsi sit animus inordinatus.* Apostolus aliam insuper calamitatem addit: *Sentio,* inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Hæc lex est fomes peccati.* Sicut enim ignis lignorum appositione sustentatur atque augetur: sic peccata carnis atque membrorum nostrorum cupiditatibus nutriuntur & excitantur. Verùm nos, quasi pœniteret parum miseros esse, hunc ipsum ignem augere quotidie studemus, dum corpus molliter educamus, dum carni omni cura & studio indulgemus, ac sic pro Deo dæmonem vitæ studiorúmq; nostrorum ducem sequimur. Quodque in omnibus est calamitosius, dum in hoc miserando statu sumus, more illorum qui phrenesi

Augustinus.

Rom. 7.

Simile.

Currimus ad malũ.

phrenesi laborant (qui diuturnam morbi consuetudinem in naturam quodammodo verterunt) mala nostra non agnoscimus. Aiunt Physici herbam quandam esse, quam qui comedunt, ridentes moriuntur: quam quidem herbã nos misericomedisse videmur, qui media morte constituti, risu atque inani lætitia soluimur. Quod quidem obstinati animi non leue indicium est: si enim anima quæ sic ægrotat, morbum suũ agnosceret, nequaquam sibi tãtopere placeret, nec tam securè ageret, sed de remedio interitũ cogitaret. Arbor illa quæ in arido plantata est solo, frequentibus eget aquis, vt fructum ferat: nos in arido huius mundi solo plantati sumus, aqua illa quæ salit in vitam æternã, quæ sordes peccatorũ abluit, quæ fructus æternæ vitæ profert, indigemus. Vita nostra Christiana est militia, qua non solũ aduersus principem tenebrarũ, sed etiã aduersus cupiditates nostras (quę spiritũ assiduè impugnant, & de omni statu deiicere nituntur) certare perpetuò debemus. *Est enim* (vt Apostolus ait) in vnoquoque nostrûm duplex homo, interior scilicet, & exterior: quorũ alter spiritualis ac diuinus, spiritualia ac cælestia, Angelorum more (quorum similis est) meditatur: alter verò vilis & terrenus, qui carnalia tantùm, pecudum more (quarum naturam participat) captare solet. Probi Angelorũ vitam & mores, quoad licet, in carne degentes imitantur: improbi contrà, hac nobilissima sui parte neglecta, se carnis cupiditatibus & libidinibus dediderunt: & hũc sibi vitæ scopum proponentes, curas & cogitationes suas ad illum destinarunt. Videmus homines, qui ex ignobili quidem matre, sed nobili patre procreati sunt, suppressa materni nominis vilitate, de patris solùm genere & cognomine gloriari, eiúsque semper ingenuos mores sequi. At quantò aliter nos facimus, qui nobiliori ac diuina nostri parte contempta, de sola ea qua pecudibus similes sumus, gloriamur, illiúsque nos totos obsequio vt vilissima mancipia tradimus.

Simile. *Vita nostra militia.* *2 Corin. 4.* *Piorum & improborũ discrimen.* *Simile.*

Audiuimus hactenus, Auditores, quò miseriarum homo per peccatũ deuenerit: in quo statu illum diuina iustitia relinquere potuisset. Noluit tamẽ diuina bonitas iure suo (quo iustè poterat) vti, sed ineffabili pietate atque consilio ita saluti nostræ prospexit, vt qua via peccatum & mors in mundum fuerant ingressa, eadem vita & iustitia redirent. Quod latè Apost. declarat: *Sicut per vnius delictum in omnes homines mors regnauit in condemnationem*, &c. Voluit itaque diuina Sapientia, vt sicut vnus homo mundum perdiderat, ita

Rom. 5. *Homo vnus damnauit, vnus saluauit.*

ita vnus nouus homo lapsum repararet:& sicut aliena culpa nobis tantopere nocuit,ita aliena iustitia multò magis nobis prodesset. Vnigenitus Dei filius è cælo descendit, carnem assumpsit, vt sicut vnius hominis delicto mundus antè perierat: ita vnius Dei & hominis merito seruaretur. Si ergo Dei Filius verus homo futurus erat, matrem vtique habere debuit, ex qua humanam naturam assumeret. Qualis verò illa fœmina futura erat,quæ illum concipere & parere mereretur? Virgo certè Angelis purior,quæ venientē in has mortalitatis oras Dei Filium castissimis visceribus & virgineo thalamo exciperet. Quæ quidem ab æterno ad hoc munus destinata, hodie concepta est. Qua ex re quanta sit huius diei solennitas, intelligere licet. Duo dies habentur celebres, cùm templum aliquod ingens aut insigne opus construitur:alter cùm opus incipitur, alter cùm finitur. *Solemnitas*, inquit pius ille, *hodierna beatissimæ Dei genitricis meritò præcipuum & singulare præbet omnibus gaudium, quæ totius exstitit humanæ salutis exordium. Ex hac Dei Filius carnem assumpsit, & in ea, siue per eam, mundum expiauit. Quam quidem expiationem cætera sanctorum festa sequuntur, qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt in sanguine Agni.* Quæ cùm ita sint, qua, quæso, alacritate, qua deuotione hic dies à nobis celebrandus est? Quid enim gratius, quid iucundius mundo nunciari potuit, quàm hoc ipso die purissimam quandam virginem conceptam fuisse, ex qua Dei filius humanam carnem pro salute mundi esset assumpturus? Cœpit hoc die domus illa ædificari. Iam quæ eius fuerit elegantia,expendamus. Hoc Salomon explicuisse videtur, cùm ait: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*: quia videlicet septem Spiritus sancti donis, hoc est, gratiarum omnium charismatis, spiritualis hæc domus suffulta fuit. Habes antiquos Patriarchas, & noui Testamenti Sanctos, quos tamen omnes hæc superat virgo. Quod diuus Bernardus testatur cùm ait: *Verè in plenitudine sanctorū detentio virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, sed nec ipsa puritas Angelorum. Quicquid enim in thesauris diuinis conditum erat, in illam effusum est. Humana natura, vt diuini Verbi contubernio digna esset, & nullum tantæ illi maiestatis dedecus inureret, talem sibi naturam in vnitate diuinitatis copulauit. Cùm enim illius assumptæ natura vel*

Maria cōcepta.

Petrus Damianus.

Mundo quid gratißimum.

Prouer. 9.

Bernard. Eccl. 24.

*ra vel decus vel dedecus in Deum caderet, debuit vtique hu-
manitas illa ſumma gratia & ſanctitate pollere: ne quid in ea
eſſet, quod immenſam illam maieſtatem obſcurare vel dehone-
ſtare vllo modo poſſet.* Quod cùm ita ſit, ſimili quoque ar-
gumento ſacratiſſimæ huius Virginis dignitatem colligere
licet. Conſtat enim verum eſſe quod Salomon ait: *Corona* *Prou. 17.*
ſenum filij filiorum: & gloria filiorum, patres eorum: nec mi- *Parentum*
nùs verum eſſe quod Eccleſ. ait: *Gloria hominis in honore* *honor, fi-*
patris ſui; & dedecus filij, pater ſine honore. Quod quidem *liorum ho-*
propter ſummam vtriuſque partis neceſſitudinem adeò ve- *nor.*
rum eſt, vt filios ex parentum conditione ſæpe & laudemus *Eccleſ. 5.*
& vituperemus. Sic laudauit Gabelus Tobiam iuniorem,
dicens: *Benedicat te Deus Iſraël, quia filius es optimi viri, &* *Tob. 9.*
iuſti, & timentis Deum, & eleemoſynas facientis. Si filio in
manu eſſet, vt matrem eligere aut efficere poſſet, haud du-
biè eam eligeret, quæ eſſet ſupra feminas nobiliſſima & pul-
cherrima. Cùm igitur Dei Filius hac tanta eſſet præditus *Mater*
poteſtate (qui ſolus & matrem eligere, & talem facere poſ- *Dei qua-*
ſet, qualem vellet, nec hoc ipſum maioribus expenſis, quàm *lis.*
ſola voluntate efficere poſſet) quis iam dubitare queat, eam
matrem ſupra creaturas omnes excellentiſſimam atque
ſanctiſſimam elegiſſe? Quis enim rem adeò pretioſam tam
facili pretio, hoc eſt, ſolo voluntatis nutu, comparare nol-
let? Hanc verò ſummam virginis dignitatem, & Gabriel
Angelus, & beata Elizabeth, Spiritu ſancto acti, facilè con-
firmant, qui conſona eiuſdem Spiritu voce illam inter om-
nes mulieres, hoc eſt, ſupra omnes mulieres benedictam ap-
pellarunt. Colligere licet, Auditores, quale beatarum men- *Luca 2.*
tium futurum ſit gaudium, cùm hanc ipſam virginem cæ-
leſti gloria decoratam viderint. Tale ergo hoſpitium Spiri-
tus ſanctus, cui dominicæ incarnationis opus tribuitur, vni-
genito Dei filio præparauit. Si igitur talis eſt virgo, qualem
hìc depinximus, habemus vtique poſt Chriſtum potentiſſi-
mam apud Deum aduocatam. Chriſtus nobis ſufficere po- *Maria*
terat (ſiquidem omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt) ſed *aduocata*
congruum erat, vt vterque adeſſet ſexus, quorum corrup- *noſtra.*
tioni neuter defuiſſet. Fidelis planè & potens mediator Dei *Bernar-*
& hominum, homo Chriſtus Ieſus: ſed diuinam in eo reue- *dus.*
rentur homines maieſtatem. Opus ergo erat nobis ad me-
diatorem mediatrice, nec altera nobis vtilior quàm Maria.
Deus ad inſtaurandum genus humanum non aliquem ex
ſupernis illis Spiritibus (quod facilè poterat) ſed verum

hominem ex muliere propagandum elegisse constat: vt quoniam per fœminam mors inducta erat in mundum, per fœminæ quoque felicem partum vita reuocaretur in mundum. *Domum Dei decet sanctitudo.* Quid superest, Auditores, nisi vt omni ratione mediatricis huius gratiam nobis conciliare studeamus, quo eam nobis in ærumnosæ huius vitæ periculis, atque adeò in ipsa mortis hora, celerem adiutricem sentiamus? Nulla autem erit expeditior via ad eius patrocinium consequendum, quàm vt eius imitari studeamus virtutes. Nihil enim magis amorem, quàm similitudo, conciliat. Inter virtutes autem beatissimæ virginis, quatuor potissimùm memorantur, quæ in ea singulari quadam ratione floruerunt: virginitas, charitas, misericordia, & virtutũ fundamentum, humilitas. His virtutibus, quibus beatissimæ virginis imitamur sanctitatem, quatuor atrocissimos humanæ salutis hostes, qui magnam mundi partem infestant, superabimus: nempe impudicitiam, fraternum odium, auaritiam, atque superbiam: quæ qui vicerit, in aliorum vitiorum victoria non perinde laborabit. Carnis enim petulantiam cohibere, odij rabiem frænare, aliena non appetere, propria misericorditer largiri, teque ipsum seposito supercilio aliis submittere, hoc opus, hic labor est. Beata autem virgo salutem nostram in tuto collocare adiuuet. Amen.

Psal. 92. *Maria inuocanda.* *Mariæ virtutes imitandæ.*

IN FESTO BEATI THOMÆ APOSTOLI, CONCIO: IN QVA, POST rationem lectionis Euangelicæ, vulnerum Domini Saluatoris argumento & indicio, totius fermè Christianæ Philosophiæ summa exponitur.

THEMA. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, &c.* Ioan. 20.

IN lectione sancti Euangelij, Auditores, insigne quoddam diuinæ miserationis opus continetur, quod Dominus Iesus à morte excitatus edidit: quod tamen opus ab humana incredulitate ortum habuit.

Thomæ

Thomæ quippe incredulitas occasionem Domino præbuit, vt seipsum illi post resurrectionem ostenderet, & sacratissima vulnerum suorum stigmata palpanda traderet. Est diuinæ bonitatis & prouidentiæ mos, vt ex malis semper bona eliciat: diabolicæ autem prauitatis est, in malum semper bona conuertere. *Dei & diaboli mos diuersus.* Sic parentes nostri primi (fraude diaboli) materiam superbiendi sumpsêre, vnde debebant occasionem habere bene agendi, & laudandi Deum. Quid verò diuina bonitas hoc tanto scelere prouocata? Nempe vt lapsum inuidia diaboli hominem liberaret, homo fieri & in crucem agi misericorditer voluit: quod diuinorum operum maximum fuit. Tolle morbos, tolle vulnera; nulla erit causa medicinæ. *Neque illum* (ait Augustinus) *de cælo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt.* *Augustinus.* Cæterùm, quoniam filiorum est, exempla parentum sectari: eosdem planè mores in filiis Dei, & filiis diaboli inuenire licet. *Simile.* Filij enim Dei, qui Spiritu eius aguntur, hoc sibi ante omnia proponunt, vt non modò aliena prauitate ad malum non impellantur, sed ex ea magis ad pietatis & iustitiæ studium excitentur: quod contrà filij diaboli faciunt, qui cùm eius spiritu ducantur, ipsius etiam mores & exempla sequuntur. *Ioan. 8.* Hinc Saluator ait: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* *Piorum mos qualis.* Pij autem, paternum morem imitantes, ex malis bona elicere solent. Quid hîc martyres commemorem, qui immanium tyrannorum feritatem in suam gloriam commutarunt, dum eorum equuleis & craticulis adscensum sibi in cælum parauerunt? Sed iam ad Euangelicæ historiæ lectionem veniamus.

AVE MARIA.

Cùm Dominus à mortuis resurgens, toties se discipulis videndum prębuisset (nam & Simoni Petro & sanctis mulieribus, & duobus discipulis in Emaus pergentibus & omnibus item discipulis in vnum congregatis eo ipso die quo resurrexit apparuit) *Apparitiones Christi post resurrectionem.* Thomas, qui per id temporis ab hoc aberat collegio, nec Petrò affirmanti, nec duobus discipulis idem confirmantibus, nec reliquis Apostolis idem citra vllam hęsitationē asserentibus vllam fidē habere voluit, sed in incredulitate sua persistens: *Nisi, inquit, videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meū in locum clauorum,* &c. Incredulitas Thomæ satis improba est, quæ excusationis velamen nullum admittit. Sciebat duorum aut trium te-

ſtium teſtimonio omne ſtare verbum. Reſuſcitationi Lazari, vbi aliis diſcipulis, qui Dominum impedire conati
Ioann. 11. ſunt, reſtitit, dicens: *Eamus & nos, & moriamur cum illo*, interfuit. Meruiſſet quidem eius incredulitas vt ab eo deſereretur: verùm hominum hæc eſt miſericordia, quæ facilè, quauis vel leui occaſione, diſſoluitur. At Dei noſtri ea eſt benignitas, vt interdum etiam iniuriis prouocata miteſcat.
Simile. Quod quidem aduerſus filios phreneſis morbo laborantes, piis parentibus cótingere ſolet? quos tum maximè miſerantur, cùm maximè inſanire vident. Hoc miſericordiæ genus Paulus inſaniens expertus eſt. Nos facilè irritamur; at Dei noſtri bonitas inexhauſta eſt, qui ſanguinis ſui pretio ſalu-
Simile. tem noſtram quæſiuit. Itaque pij patris morem imitatur, qui non contentus ægrotanti filio varia medicamenta adhibuiſſe, alia deinde atque alia excogitat, nihilque intenta-
Confeſſarij quid imitãdum ſit. tum relinquit, quo illum ad ſanitatem reducat. Exemplum hoc Eccleſiaſtici tum Concionatores tum Patres Confeſſarij imitentur: non eſt ſpes abiicienda. Sed quanta hîc lugendi materia ſeſe offert, cùm paſſim videre liceat huius officij miniſtros curſim & properanter, ne dicam oſcitanter, hoc munus, quod omnium humanorum operum ferè maximum, & planè neceſſarium eſt, adminiſtrare! Itaque Dominus Thomam Apoſtolum, quem tot teſtibus ad fidem reſurrectionis adducere non potuit, hac noua ratione curauit. Tranſactis enim octo à reſurrectione diebus, cùm diſcipuli in vnum congregati eſſent, & Thomas cum eis: *Ingreſſus eſt Ieſus ianuis clauſis, & dixit eis: Pax vobis*, &c. Quod perinde eſt ac ſi diceret: Æquum erat, vt tu quidem, Thoma, voluntati meæ annueres, non ego tuæ, hoc eſt, vt tot reſurrectionis meæ teſtibus crederes: ſed quoniam eò res deducta eſt,
Thomæ incredulitas. vt nolit ſeruus quod præcipit Dominus, velit Dominus quod exigit ſeruus. Itaque ſi hoc apud te ſtatuiſti, vt non alia ratione crediturus ſis, niſi & oculos tuos & digitos reſurrectionis meæ teſtes habeas, ſit ita ſanè: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manũ tuam, & mitte in latus meum.* Videtis, Auditores, quòd Saluator occaſionem ſumpſerit tantam hanc miſericordiam diſcipulo exhibendi. Sed quid mirum eſt, ſi diſcipulo ſuo palpandam carnem præbuit, quam pro ſalute noſtra Iudæis tradidit crucifi-
Chriſti charitas magna. gendam? Quanto enim plus eſt pro aliena ſalute vulnerari, quàm tractanda vulnera exhibere! Imò verò tanta Chriſti Domini charitas eſt, vt ſi pro ſalute hominum iterum illi
hæc

hæc eadem vulnera accipienda essent, non dubitaret eadem libenter accipere, quo infidelitatis vulnus in eis sanaret. Hoc euidenti argumento in discipulo declarauit. Qua in re ita se Dominus gessisse videtur ac negociator, qui in nundinis mercis alicuius eximio amore captus, illam, quocunque pretio proscriterit, emere decernit: cumque illam venditor iusto pretio distrahere nolit, ipse tandem quicquid pro illa petitur, etiamsi plus iusto sit, libenter exhibet. Sic ergo cùm Dominus discipuli salutem ardenter optaret, neque is (quod æquum erat) aliorum discipulorum testimonio acquiesceret, eius se voluntati accommodauit; & quod vnum discipulus argumentum exigebat, clementer impendit: Dominus sese illi liberrimè offert: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc.* hoc est, vide quæ pro anima tua liberanda passus sum: vide pretium quo illam à diaboli seruitute redemi: vide quæ illius expiandæ & exornandæ gratia tormenta pertuli: & ex huius pretij magnitudine, simul & mercatoris prudentia, mercis huius valorem æstimare poteris. Sanguine Christi emptum est, sanguis ergo Christi est. Ea est huius sanguinis dignitas, vt vel vna eius gutta rebus omnibus quæ à Deo, siue in cœlo, siue in terra condita sunt, meritò anteferatur. Hoc ergo pretio animam tuam æstimare debes, & talem eius curam gerere, qualis eius dignitas exsistit: quæ tam pretiosa & chara Deo visa est, vt non dubitauerit vel vitæ suæ dispendio illam emere. Huius autem rei consideratione Augustinus, animæ suæ dignitatem & valorem æstimans, aiebat: *Postquam intellexi me pretioso Christi sanguine esse redemptum, nolui me amplius exhibere venalem.* O si vel hoc vnum cum animo suo cogitarent, qui more Esau rem adeò pretiosam propter momentaneam carnis voluptatem, vel vile lucrum, passim vendunt! Quid pius & prudens pater ageret, cùm hæreditatem, quam filio suo totius patrimonij dispendio comparauit, ille vilissimo pretio distraheret, quod protinus in ludo aleaque consumeret? Quæ igitur est nostra superbia, quæ tot conuitiis, tot alapis, tot contumeliis, ac postremò contumeliosissimo crucis supplicio curanda fuit? Quis ergo adeò stupidus erit, qui huius medicinæ dignitate, morborum suorum magnitudinem, & naturæ vulnera non agnoscat? Minimum quidem Dominici corporis vulnus ad humani generis redemptionem satis erat. Quis tantus furor in nobis exit & iracundia, quam maxima Do-

Simile.

Animæ dignitas.

Augustinus.

Simile.

mini mansuetudo non leniat? Ipse est de quo Apostolus ait: *dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorũ operum.* Idémque rursus sub alia similitudine tradidisse se Christum ait propter Ecclesiam, *vt exhiberet eã sibi gloriosam, non habentem rugam neque maculam.* Hæc eius præcipua cura, hæc ardẽs illa sitis, quæ nec crucis supplicio restingui potuit. *Respondit Thomas: Dominus meus, & Deus meus.* Modis omnibus ad Dominicæ resurrectionis fidem Thomas reuocatus est. Externorum enim sensuum indicio hoc additum est, quòd Dominus tamquam rerum omnium conscius, incredulitatis verba, quæ is anteà protulerat, ad mentẽ reuocauit. Thomas igitur hoc clarissimo diuinitatis argumento, simul & tanta Domini benignitate mirabiliter incensus, velut extra se positus, illa clarissimæ confessionis verba protulit: *Dominus meus & Deus meus.* Hominẽ vidit, & Deum in homine latentẽ confessus est; & ita confessus, vt vix in sacris literis vlla diuinitatis Christi confessio clarior habeatur. Quo autem is ardore, qua cordis lætitia fuerit affectus, quando quem solum hominem mortis vinculis constrinctum credebat, præter omnem spem & fidem, victorem mortis, & omnipotentem Deum agnouit, eundémque talia erga ipsum charitatis viscera exhibentem, & tam blanda & amica oratione compellantem vidit, quæ oratio, quæ dicendi facultas consequi possit? Nos, eo relicto, ad nos ipsos veniamus, ad quos illa verba Domini pertinent: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* In his Domini verbis de fide sermo est: ideò, vt fiat illustrior hæc Domini sententia, fidei ratio explicanda est. Fidem Apostolus rerum non apparentium argumentum esse ait: vt certissima & firmissima esse credamus, quæ à Deo reuelata, & nobis ab Ecclesia ad credendum proposita sunt. Hæc fides in Martyribus præcipuè eluxit, qui fidei lumine illustrati, adeò stabiles in fidei confessione perstiterunt, vt nullis promissis aut tormentis ab ea deduci potuerint. Eos Dominus beatos pronunciat hoc loco, qui hoc cælestis lumine instructi, fidem piè colunt, nec vlla aut signa, aut humanæ sapientiæ argumenta requirunt. Signa quærere, vel nutantis fidei, vel incredulitatis indicium est. Hinc illa Domini obiurgatio: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Hac de causa Zacharias, Ioannis Baptistæ pater, nouem mensium silentio punitus fuit, quòd ab Angelo signum petierit. Hinc diuus Augustinus alienum

Ephes. 5. — *Confeßio Thomæ.* — *Fidei propositio 1.* — *Hebr. 11.* — *Martyrũ Christi cõstantia.* — *Ioan. 4.* — *Marc. 1.* — *Signa non quærenda.*

nũm à fide ſua eſſe ait,vt à Domino ſignum aliquod aut miraculum requireret. Meritò illi per Prophetam commendantur: *Populus quem non cognouit, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.* *Pſal. 17.*

Hæc igitur fides inter Dei dona primũ eſt,quod alia omnia ordine antecedit:ſine fide námque impoſſibile eſt placere Deo. Sicut aliqua domo euerſa, fundamenta in imo iacentia manent, quæ toti fabricæ ſuppoſita erant:ita virtutum omnium ſtructura per peccatum corruente,fidei tamen virtus, quæ totius ſpiritualis ædificij fundamentum eſt,immobilis perſeuerat. Hoc enim diuina pietas clementer diſpoſuit, ne exſtincta penitus fide, ſpes omnis ſalutis adimeretur. Fides enim dux nobis in cælum eſt:fides lucerna pedibus noſtris, & micans ſtella, quæ nos (tanquam Magos olim) perducit ad Chriſtum. Fides item columna ignis & nubis eſt,quæ ducatu ſuo nos in terram viuentiũ dirigit. Mercator qui opes ſuas omnes,quas habebat, amiſit, ſi nondum apud homines fidem perdidit,adhuc eius beneficio adiutus & negotiari, & in priſtinam fortunam redire poteſt:quod amiſſa ſimul cum rebus fide, non facilè contingit. Sic igitur Chriſtianus, qui meritorum ſuorum opibus amiſſis,adhuc fidẽ retinet, eius ductu atque magiſterio, adſpirante tamen Domino, in viam reduci, & in priſtinæ dignitatis gradum reſtitui poteſt. Notandum diligenter, fidem aliquando perfidiæ crimine interire. Ferrum quod vſu ſplendeſcit, & argenti nitorem imitatur, ſi diu in terra conditum iaceat, paulatim rubigine conſumi,ac tandem in terram verti conſtat. Fides Chriſtianæ vitæ radix & fundamentum eſt: ex radicis natura, fidei naturam explorare licebit. Diligenter nos conuenit vigilare, ne fidem otioſam & inertem habeamus:ne hoc tam pretioſo theſauro,in quo ſalutis noſtrę pignus poſitum eſt,ſpoliari mereamur. Videmus fideliũ multos, præſertim apud Lutheranos, qui ita ſibi de ſola fide blandiuntur, ita hoc ſolo Dei dono ſecuri degunt,vt quamuis nihil egregium in vita moliantur, nullámque pietatis & iuſtitiæ curam gerant, certò tamen ſibi ſalutem hac vna fide polliceantur. Quo quid periculoſius?quid diuinis literis magis aduerſum? O te miſerum & amentem! nunquid non audiſti illud Apoſtoli: *Si habuero fidem, ita vt montes transferam,charitatem autem non habuero,nihil ſum?* *1. Cor. 13.*

2. Propoſitio. *Simile.* *Fidei encomium.* *Simile.* *3. Propoſitio* *Simile.* *Fides otioſa non habenda.* *Lutherani quid moliantur.*

Non ſatis eſt fidem eſſe otioſam,ſed etiã quòd eos faciat maioris criminis reos. Idem ergo inter fidelium atque

infidelium nationes discrimen est. Infideles quippe, ignorantiæ tenebris obducti, velut paruuli sunt, qui propter insitam diuinarum rerum ignorantiam excusatiùs peccant: at fideles velut maturæ ætatis homines haberi debent, vtpote quos diuina institutio ab hac puerili ignorantia vindicauerit, ideóque vt grauiùs peccant, ita seueriùs plectendi sunt. Quid in causa esse putamus, quòd regnum Dei à Iudæis ad Gentes translatum sit, cùm vtrique ferè in improbitate ea res essent: nisi quòd Iudæi grauiùs delinquebant, cùm acceptio legibus non ad vitæ continentiam, sed ad insolentiam & aliorum contemptum abuterentur? Quoties in Prophetis hæc Domini verba legimus: *Misi ad vos omnes Prophetas seruos meos, de nocte consurgens, mitténsque & non audistis?* Quæ sanè verba nos perterrefacere debent, quando verba Dei audimus quæ à vitiis auocant, & ad pietatem hortantur: ad hæc nos obsurduimus, & nihili curamus. Fidem illi non curant, inclusam habẽt, qui numquam ea quæ illis fugienda & sequenda proponit, contemplantur: qui numquam illam in operum suorum consiliũ adhibent: qui nequaquam illius ductu & magisterio vitam dirigunt: qui ita denique credunt, ac si omninò non crederent, cùm apud eos fides otiosa maneat. Semen quippe in terram spargi debet, vt germinet: medicina vulneribus adhibenda est, vt salutem adferat: pecunia in vsus exponẽda est, quò incrementum accipiat. Si enim reposita in sudario ligetur (quod ad lucrandum fructum attinet) quid refert an aurum, an lutum in sudario condas? Itaque, Auditores, vt propter fidei donum felices & beati prædicemur, eius ductum sequamur, illam, vt vitæ magistram audiamus. Hoc igitur facientes, non dubium, quin fides, quæ à Deo in nos delapsa est, rectà nos eò vnde est digressa, per cælestis vitæ semitas felici cursu reducat. Ad secundæ partis explicationem, Christianæ Philosophiæ caput & fundamentum est, vt homo animæ & corporis suì habeat cognitionem. Infer igitur digitum tuum huc, & cognosce animæ tuæ dignitatem, vt scias qua cura & studio hanc tui partem præcipuam debeas curare. Vide quid Dei filius pro te sit passus, quo te redemerit pretio. Ea sanguinis huius dignitas est, vt vel vna eius gutta mundum redimere potuisset. Secundò, agnosce vulnera, quæ propter sananda tuæ intemperantiæ vulnera sustinuit, vt intelligas eius prauitatem. Ipse sua humilitate tuam superbiam, tuam iracundiam, tuas voluptates sanare

Fidelium & infidelium discrimen.

Hiere. 25.

Fidem qui negligant.

Simile.

Anima curanda quomodo.

voluit. Quis tantus in nobis esse possit furor, quem maxima Domini mansuetudo non leniat?

Tertiò cognosce quanta sit virtutis atque iustitiæ dignitas. Iam non Prophetam misit, sed Vnigenitum, qui homo fieri, & inter homines humanó more versari dignatus est, ac tandem post varios multiplicésque labores in crucem agi sustinuit. Tanto enim spiritualis formæ amore flagrauit, vt eam pretioso sanguinis sui cruore illustrare non dubitarit. Quartò, vt eò facilius à malo possis declinare, cupis peccati malitiam perfectam habere, vt eo queas illud maiori odio prosequi, & quasi à facie colubri fugere. Infer ergo digitum tuum in vulnera Christi, & diligenter animaduerte, cuius gratia his vulneribus fuerit cruentatus. Agnosce ergo homo quàm grauia illa fuerint vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Itaque ex satisfactionis magnitudine, debiti grauitatē agnosce. Ea enim peccati deformitas & malitia est, vt iustitiæ diuinæ lege seruata, omnia omnium hominum atque Angelorum merita vnius capitalis criminis debitū exsoluere nequeant. Quale quæso esset viri alicuius erga inimicum odium, quod eò vsque progrederetur, vt si non alia ratione inimicum occidere posset, nisi vnicum filium pariter occideret, nihil moraretur ambos eodē gladio transfigere, vt ruente etiam filio, aduersarius simul occumberet! Hinc intelligere licet, quod Apostolus ait, nempe eos qui lethaliter peccant, iterum Dei Filium crucifigere: quoniam id committunt quod illum iterum ad mortem impulisset, nisi mors antè suscepta ad hoc plenè suffecisset. Satis quidem nos Domini vulnera ad iustitiæ amorem, & peccati odium his rationibus excitant: sed quoniam spes præmij calcar addit torpentibus, quæ sit spes laboribus proposita, intellige: vt non solùm peccati odio, & virtutis amore, sed præmij etiam desiderio ad pietatis & iustitiæ studium excitari possis. Apostolus vbi corporum resurrectionem firmissimis rationibus comprobasset, adiecit: *Itaque, fratres mei, stabiles estote, abundantes in omni opere Domini, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Hoc argumento intelliges, quòd, si carnem istam tuam hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem immolaueris, & cupiditatibus tuis renunciaueris, plenissimum laborum fructum in resurrectione percipies.

Bern. in Ser. Nat. Domini.

Peccati malitia.

Simile.

Hebr. 6.

1. Cor 15.

Rom. 12.

Sextò, intelligere debes magnā fuisse iustitiam, quæ summum parentem impulit, vt filium charissimum ad mortem

Peccata non debent esse inulta. tradi pateretur, ne peccatum inultum relinqueret: & rursus infinitam fuisse Christi misericordiam, qui omnium filiorũ Adæ peccata in se suscepit, vt ea nõ auro & argento, sed sanguinis sui pretio dissolueret. Hic enim medium se interposuit inter Patrem, & miros nos amore coniunxit.

Septimò, quanta Dei charitas in te exsistat, potes addiscere. Olim multa populo Iudæorum præstitit beneficia, eum educendo ex Ægypto: at quæ nobis præstitit, longè maiora fuere: non enim temporalia, sed spiritualia & æterna bona exhibuit. Admiranda eius opera considera, hæc tibi certissima amoris dabunt signa. Quam eius charitatem præcipuè hoc nomine commendat Apostolus, quòd non solùm ad pios & amicos, sed etiam ad impios & hostes progressa sit. *Roman. 5.* *Vix enim*, ait, *pro iusto quis moritur*, &c. Quòd si quæras, quinam sint inimici isti, non dubium quin omnes illi qui eum in crucem sustulerunt. Sustulerunt nõ solùm carnifices illi, qui tanti sceleris ministri fuerunt, sed omnes etiam posteri Adæ, propter quorum scelera expianda in crucem sublatus est. Peccata nostra illum crucifigunt. Iam quanti te fecerit Dei Filius, ex iis quæ pro te passus est, cognoscere potes. *Bernardus.* *Tale est*, inquit D. Bernardus, *erga nos cor Dei Patris, quale nobis expressit, qui de eius corde processit.* Hoc igitur vulnerum Domini argumento, quo mens nostra ad rerum diuinarum cognitionem illuminatur, fides quoque Thomæ, quæ mortua erat, excitata & illuminata est. Vbi enim hæc sacratissima vulnerum stigmata vidit, maxima voce, maiorique fide exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Quibus verbis non solùm Dominicæ resurrectionis veritatem adstruxit, sed etiã diuinitatis gloriam apertissimè confessus est. *Beati qui dicendi.* Cui Dominus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderũt.* Nos ergo, dicet aliquis, beati: qui, cùm non viderimus, credimus. Fateor sanè, si eo tamen modo credimus, quo beatus hic Apostolus credidisse se ostendit, cùm illam confessionis vocem toto pectore expressit: *Dominus meus & Deus meus.* At, inquis, hoc ipsum & ego dico, & quotidie quidem dico, cùm Christum Dominum meum confiteor & adoro. Rectè sanè: sed meminisse tamen debes, ab eodem Domino dictum esse, veros adoratores adoraturos Patrem in spiritu & veritate. *Ioan. 4.* Illi autem in spiritu & veritate Deum adorant, qui non solùm vera fide, sed etiam obedientia & parendi studio, illius imperium & dominium confitentur. De aliis námque

idem

dem Saluator ait: *Vt quid me vocatis Domine, & non facitis quæ dico vobis?* Tales ergo frustra Christum appellant Dominum. Christum enim in ore, diabolum in corde gestant. Christum sola informi fide, rebus autem ipsis & obedientiæ studio dæmonem appellãt Dominum. Addo etiam quòd si Thomę fidem imitari cupis, non Dominum solùm, sed etiam Deum appellare debes. Memineris hoc vnicuiq; Deum esse, quod ab eo præ cæteris colitur. Illud enim est nobis Deus, quod maximè intuemur, quod ardenter diligimus, in quo vitæ præsidia collocamus. Vnde fit, vt aliorum quidem venter sit, aliorum Venerea voluptas, aliorum pecuniæ. Vide vt Deum verè colas, sincerè diligas, & eius eris. Amen.

Lucæ 6. *Christiani frustra qui.* *Philip 3.*

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur: inde, beati Simeonis exemplo, quàm felix & placida piorum, & quàm misera improborum sit mors, differitur.

THEMA. *Ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon: & homo iste iustus & timoratus, exspectans consolationem Israël.* Lucæ 2.

SI quis à piis hominibus, Deique amore incensis, quærat, quid sit, quod in hac vita præcipuè in votis habeant: illud asseueranter respondebunt, se nihil magis quàm Dei gratiam & amicitiam, & omnium peccatorum suorum veniam desiderare. Si quis igitur ex vobis, Auditores, hoc desiderio flagret, habet planè hodie magnum in Christi Domini oblatione solatium. Hodie námque Saluator peccatoribus adiungitur, cum peccatoribus Deo Patri offertur, & pro peccatoribus redimitur: quo huius tantæ humilitatis & obedientiæ merito eos redemptionis suæ participes efficeret. Hoc est enim quod Apostolus ait, misisse Deum Filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum: & misisse item eum factum ex muliere, & factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt, redimeret: vt adoptionem

Piorum desideriũ quale sit. *Rom. 3.* *Galat. 4.*

filioru m

filiorum reciperemus. Vtrumque autem hodie pro nostra salute impletum est, quando innocentissimus Dominus paternæ legi subiicitur,& cum peccatoribus ac pro peccatoribus offertur & redimitur. Hoc igitur peccatores spei solatium habent,non omnes tamen,sed hi solùm,quos scelerum conscientia terret, quos peccatorum memoria mordet, qui Christo capiti,tanquam viua membra, non fidei solùm sed spei,& charitatis vinculo cōiuncti sunt. Ad hos enim Christus Dominus venit:qui in hoc à Patre missus esse per Prophetam dicitur, vt mederetur contritis corde, & lugentes consolaretur, darétque eis coronam pro cinere. Hoc igitur spei solatium ex primogenitorum ablatione, quā hodierna sancti Euangelij lectio initio statim proponit, capere licet. Altera lex præcipiebat,vt puerperæ omnes,trāsacto à puerperio suo certo dierum numero,templum adirent, & pro emundatione sua sacrificium offerrent:ante quod tempus ex legis institutione immundæ cēsebantur,& ab ingressu templi,contactúque sacrorum omnium,tanquā immundæ arcebantur. Quam hodie legem beatissima puerpera nostra implere voluit:obtulit autem nō diuitum, sed pauperum oblationem. Illius filius,cùm diues esset,inopiam elegit, cætera omnia similia elegit, pauperem matrem & familiam inopem. Vt de hac materia aliquid frugiferè disseramus, inuocanda est hæc Dei mater.

Solatium piorū quale sit. *Esaiæ 61.* *Num. 28.* *Puerperarum lex quæ.*

AVE MARIA.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Quærimus quænam necessitas ad hanc legem seruandam beatam Virginem compulerit. Lex enim non illam, sed immundas solùm feminas adstringit:ipsa verò sicut ante partum purissima,ita & post partum astris ipsis purior existit. Quin & ipsa quoque lex illam vnam non obscurè excipit, cùm ait: *Mulier, quæ suscepto semine peperit*, &c. Quorsum enim hæc verba addere attinebat, quæ superuacanea videbantur, nisi in hanc vnam puerperam legislator oculos coniecisset, quæ longè alia ratione conceptura & paritura erat? Hæc sanctissima vbique humilitatis exempla amplexa est. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Nouerat scriptum esse: *Excelsus Dominus & humilia respicit. Quis sicut Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?* Similitudo est amoris conciliatrix. Rectè ait D. August. *Quid est,* inquit, *hoc, fratres? Altus est Deus: erigis te, fugit te: humilias*

Leuit. 12. *Maria virgo purißima.* *Psal. 137.* *Psal. 112.* *Augustinus.* *Humilitas grata Deo.*

lias te, venit ad te. Quàm verò & humilitas illi grata, & inuisa superbia sit, duplici argumento intelligemus. Primus homo, qui sibi & posteris suis hæreditatẽ regni cælestis, & originalis iustitiæ atque immortalitatis dona acceperat, vnico superbiæ actu hæc omnia dona amisit, & vniuersum etiam hominum genus æterna morte damnauit: tãtum vna illa superbia nocere potuit. Rursumq; alter homo Christus Iesus, dum se vsque ad mortem crucis humiliauit, hoc opere totius mundi salutem promeruit. Itaque vnum illud superbiæ crimen totum mundum euertit, & vnum item præclarum humilitatis opus euersum extulit atque reparauit. Quid igitur maius aut in detestationẽ superbiæ, aut in humilitatis commẽdationem dici potuit? Angelus superbiens cecidit, & tu superbiens vis adscendere? Beatissima autẽ virgo semper se ad ima deiiciebat, semper in oculis suis vilis apparebat: purificationis legẽ subiit, quæ tamen erat excepta à communi cæterarum feminarum lege. Propriũ humilium est, vt, vndecunque honor proficiscatur, semper reformident illum. Tantum quippe in magnis honoribus est periculi, vt pio semper homini verè timendi sint. Saul acceperat regiam dignitatem à Deo, quæ tamen illi vitio suo postmodùm exitio fuit, qui Dei Sacerdotes trucidauit. Videtis quàm periculosus honor sit, etiam cùm à Deo impenditur, nisi quis singulari se modestia, & magna animi submissione stabiliat & fulciat? Imitemur Mariæ prudentem humilitatem. Cùm videamus homines ita mundi honores appetere, atque humilitatis opera detestari, quis iam dubitare queat omnia interiora ipsorum esse corrupta? Verùm hodie non in filio solùm, sed in matre etiam locupletissimũ omnibus proponitur humilitatis exemplum, quæ cum cæteris impuris mulieribus purificari voluit, quæ nihil purificandum habuit. Christus circunciditur vt alij, effertur vt alij, & redimitur: baptizatur aliorum more, tributúmque Cæsari pendit vt cæteri: atque demùm Dominus maiestatis ad ima se vsque demittit: cùm nos viles homunculi, si qua fortè in re vel minima aliis superiores sumus, singulares atque primates inter omnes haberi velimus: quod proprium superborum est, qui dignitatis consortem pati nequeunt. Talis erat ille Pharisæus iactabundus. At mater Dei, speculum est & exemplar totius probitatis & iustitiæ. Eua mater præuaricationis peccauit, & excusare voluit: hęc nos meritò repræsentat, qui miseri sumus, tot sceleribus contaminati, qui scelera nostra

Superbia odiosa Deo.

Humilium proprium.

Saul superbus.

Humilitatis exẽplum.

Singularitas nostra.

Lucæ 18.

nostra non agnoscimus, nec scelerum quærimus remedia. Quid hac virgine purius? Ea tamen gemebundas aues hodie, pœnitentiæ indices, alteram in holocaustum, alterã offert pro peccato, à quo prorsus immunis tota vita fuit.

Christi vita disciplina.

Christus saluator quid nõ fecit, quo nos humiles redderet? Quæ humilibus præmia, quæ superbis supplicia proposuit? Tota eius vita & doctrina vix aliud fuit, quàm quædam humilitatis disciplina.

Emissen. in Homil.

Vbi est humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis serenitas: vbi verò est superbia, ibi est indignatio, ibi animositas, ibi labor, ibi tribulatio. Qui hanc virtutem sectantur, habeant non fictam, non fallacem, sed veram humilitatem. Sicut enim est vera & falsa iustitia, ita quoque vera & falsa humilitas reperitur. Sed iam tẽpus est vt paulisper à virginis humilitate oculos deflectentes, ad Simeonem, qui huius diei festi nõ minima portio est, transeamus. Ecce, inquit Euangelista, *homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* cuius deinde virtutes describit, cùm ait: *Et homo iste iustus & timoratus, &c.* Excutiamus singula hæc verba, *Iustus*, inquit, *& timoratus.* Hæc absolutissima commendatio

Iustitia & timor Dei.

est. Iustitia enim Hebræorum lingua omnem complectitur virtutem. Timor verò Dei, præterquam quòd iustitiæ magna pars est, ipsius etiam iustitiæ tutissima custodia est. Itaque iustitia est velut thesaurus: timor verò Domini velut clauis, & arca in qua seruatur thesaurus. Iustitia tanquam vinea est: timor verò velut maceria, quæ vineæ

Simile.

fructus seruat intactos. Vnde sicut diruta maceria fructus vineæ periclitatur: ita planè virtutum atque donorum cælestium fructus, si timoris Domini maceria defuerit, furibus patent.

Glossa quadam.

Malè (inquit Glossa) *seruatur iustitia sine timore.* Denique sanctus hic timor velut pondus est, quo mercibus plena nauis non facilè ventorum impetu subuerti potest: Quo tamen destituta, cum maximo & mercium & vectorum periculo nauigat. Cuius nos periculi ille admonet, cùm ait:

Eccles. 3.

Nisi in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.

Timor vermis est.

Est etiam hic velut internus quidam animæ vermis, interiora nostra depascens, qui nobis semper ob oculos ponit & pericula in quibus versamur, & leges quibus adstringimur, & rationem quam reddituri sumus, & hostes qui nos vndique obsident, & à virtutis arce deiiciunt. Hic timor facit, vt homo aculeis eius exstimulatus, suæ prospiciat saluti diligenter. Sic ille

Abac. 2.

aiebat: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum su-*

per

per munitionem, & considerabo quid dicatur mihi, & quid respondebo ad arguentem me. Hæc etiam cura adeò sancti Iob pectus exstimulabat, vt diceret: *Quid faciam cùm surrexerit ad iudicãdum Deus: & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* En quales curæ, qualésque cogitationes iusti hominis mentem diu noctúque vrgeant, quæ ita mentem occupat & afficit, vt somnum etiam & bonam valetudinem eripiat quibusdam. Anchora enim virtutis esse dicitur timor cordis. Vbi verò timor non est, ibi somnus, ibi negligentia & incuria, quæ periculorum omnium materia exsistit. Nullus enim hostis perniciosior, quàm qui contemnitur. Cuius rei euidentissimum exemplum in animantibus apparet. Nam quæ armis & viribus instructa sunt, timore, carent, quoniã suis se viribus tuentur: quæ verò iis destituta sunt, vt capræ, lepores, & cerui, hæc solo metu & fuga salutem suam tuentur: itaque timor illis pro armis est. Homo igitur, qui communis peccati vitio fortissima illa originalis gratiæ & iustitiæ arma perdidit, quibus inuicta se firmitate tueretur, ad timoris præsidium confugere debet, vt eo salutem suam incolumem seruare queat. Sic nos Dominus instruit: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum, & trementem ad sermones meos?* Quia verò sanctus hic vir, iustus & timoratus erat, his vtique virtutibus templum Domini effectus est. Hoc etiam timore correptus erat Iosias Rex, qui auditis verbis legis Domini, vestimenta sua discidit, & Dominum quid sibi in ea re facto opus esset, solicitè consuluit. Improbi timorem Domini minimè ad se pertinere arbitrantur, sed ad sacerdotes & monachos: nihil ad verba Domini contremiscunt. Pij, mundi legibus spretis, Dei voces audiunt, eius leges attendunt, & per eas vitam & mores instituunt: legem Dei tanquam Cynosuram semper adspiciunt, sicut olim Israëlitæ, per desertum gradientes, nubis & columnæ ducatum sequebantur. In illis ergo qui ita trepidi ad sermones Dei sunt, Spiritus illis cælestis libentissimè requiescit. Itaque animæ cælestibus donis ornatæ Spiritus sanctus præsidet: ne qua fiat, vt natiua libertate abutatur, & perceptis donis in superbiam erigatur. Hanc præcellentem gratiam, quæ nobis in iustificatione confertur, expressit Christus Dominus, cùm ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Confirmauit etiam

eandem

Iob. 31.
Timor anchora est.
Simile.
Esaiæ 66.
4.Reg.22.
Timorem Domini impij contemnunt.
Exod.13.
Spiritus sanctus vbi requiescat.
Ioan.14.

1. Corint. 3. eandem sententiam Paulus ad Corinthios, cùm ait: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* Hic benignissimus hospes sua secum affert dona, & templa sua ipse mundat & decorat: quásque ipse sibi desponsat animas, his veluti monilibus exornat, vt habitaculum in eis habeat non indecorum, nec omninò sibi indignum. Quibus prætereà additur, quòd exspectaret etiam consolationem Israël: anxiè, inquam, Israëlis exspectabat redemptionem, tot animarum miserans, & salutem earum sitiens, ac pro ea Dominum dies noctésque deprecabatur. Hac sedulitate pollicitationem acceperat, non priùs se migraturum ex hac vita, quàm mundi Saluatorem mortalitatis nostræ habitu indutum cerneret. O quàm verè à Propheta dictum est: *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Quæ enim mundi opes, quæ mundi gaudia cum hoc tanto viri iusti gaudio comparari possunt? Omnis sanè humana felicitas in vnum congesta, vnius diei felicitatem, qua pij homines fruuntur, æquare non potest. Notandū, inter omnia Christiani hominis officia maximè difficile esse, & tamen necessarium, quasdam inter se coniungere virtutes, quæ specie ipsa secum pugnare videntur. Hoc opus, hic labor, vt homo sit prudens vt serpens, & simplex vt columba: idem mansuetus, & seuerus: vt (sicut diuus Gregor. ait) & ridens possit timeri, & iratus amari: atque idem etiam spe pariter ac timore suffultus: qualis hic vir sanctus fuisse perhibetur, qui timore Dei plenus, in spem communis salutis totus erat intentus.

Psal. 36.

Felicitas sempiterna qua.

Virtutes cohærētes.

Gregor.

His etiam additur, quòd Spiritus sanctus erat in eo. Consequens planè erat; vt Spiritus sancti domicilium esset, qui talibus virtutum gemmis ornatus erat. Est enim mirabilis quædam & mutua inter Deum puramque mentem cognatio atque similitudo, qua altera res facillimè cohæret & copulatur. Vbi enim Deus mentem ita purgatam & solutam deprehenderit, incredibili quodam amore ac propensione totius in illam, velut in domicilium sibi aptum atque destinatū, fertur. Videtis sancti viri virtutes? *Et responsum, inquit, acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Quanta autem perfusus fuerit lætitia hac Spiritus sancti promissione, solus ille nouit, qui responsum dedit. Omnis enim humana facundia impar est ad hoc verbis explicandum. Erat hic vir (sicut etiam diuus Dominicus) diuinæ gloriæ & communis salutis ingenti

Dominicus valde zelosus.

ingenti amore incensus, non poterat ergo non vehementer excruciari; cùm tot in mundo cerneret mala. Videbat diaboli & peccati regnum omnibus in locis crudelissimam in homines tyrãnidem exercere: videbátque in toto terrarum orbe cultum dæmonum vigere, & in exiguo solum Iudæorum angulo Deũ superstitiosè magis quàm religiosè à plerisque coli. Videbat inter gentes pro vero Deo monstra coli: videbat iacere & conculcari diuina, & sola terrena bona in precio haberi. Videbat cęlum non reseratum; & infernum patere, & omne penè hominum genus in profundum mergi. His curis sancti viri pectus dies noctésque vehementer dilaniabatur. Intelligebat remedium omne in solius Messiæ aduentu positum esse, atque ex eo salutem omnium sæculorum pendere. Clamabat iugiter cum Prophetis ad Dominum: *Veni Domine, & noli tardare: veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* His ergo clamoribus diuinas aures pulsabat, & promisso hoc illum consolatus est, *Non visurum se mortem*, &c. Pater autem misericordiarum lamenta inspexit, & lætitia recompensauit spirituali. Hæc sanè gaudia illius mentis, nulla potest orationis vis exponere. Non erat gaudium de aliquo priuato bono, sed de sæculorum omnium salute. Totus igitur vir sanctus ab hoc Saluatoris aduentu pendebat: tãdem hoc ipso die, cælesti Spiritu admonitus, venit in templum. *Et cùm induceręt parentes eius puerum Iesum:* accurrit ipse flexis genibus summa reuerentia, maiestatem Domini in paruo latentem corpusculo adorat: nec adorasse contentus, amplecti etiam & in vlnas suscipere ausus est. Hic desideratus cunctis Gentibus dicitur: hunc tot Reges & Prophetæ videre, & audire cupierunt: hic, cui & videre & amplecti, & in vlnis retinere datum est, quo gaudio exsultasse atque gestisse putandus est? Si Abraham tot annis solam Christi imaginem & diem eius videns tantopere gauisus est: quo affectus est gaudio, cui & præsentẽ cernere & amplecti datum est? En quibus deliciis delectat & rigat interim Domin⁹ piorum mentes, quàm diu plenitudo eius gaudij, quod in patria futurum sperant, differtur. Cuius gaudij magnitudinem vir sanctus nouis carminibus, fidem & misericordiam Domini prædicantibus, celebrauit, dicẽs: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine secundùm verbum tuum in pace.* In abyssum descendere non formido: *Quia viderunt oculi mei, salutare tuum:* cuius meritis iam iam ab ea liberandus sum. Vadam ergo

Simeon in prophetiis creditus.

Simeonis gaudium.

Agge. 2.
Luca 10.

Ioan. 8.

legatus ad pios manes, & feliciſſimum hoc nuntium ad eos deferam, optatũ ſcilicet aduentare diem, quo triſtia linquant tartara, & in lucis & felicitatis regnum transferantur. Hactenus fui in ergaſtulo, nunc luci appropinquo, mori non extimeſco. Eadem penè verba Iacob Patriarcha protulit, cùm filium ſuũ Ioſeph ſuperſtitem & Ægypti principatum tenere cognouit. Ad hunc ergo modum noſter Simeon, qui longè plus Chriſtum, quàm Iacob filium diligebat, ait: *Nunc dimittis Domine, ſeruum tuum in pace* In pace iam moriar, quia vidi, Domine, filij tui faciem, qui vita & morte ſua exſtincto ſæculo vitam & ſalutem afferet. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* hoc eſt, ſalutem, quam per Filiũ in hunc mundum miſiſti: quam etiam appellat, *Lumen ad reuelationem Gentium.* Quibus verbis ſummam totius Euangelij complexus eſt, vbi & Gentium vocationem, & mundi conuerſionem, & fidei atque religionis per omnes mundi oras propagandæ dilatationem apertiſſima oratione vaticinatus eſt. Qui igitur Dei Spiritu plenus & latentem in puero ſapientiam, & ſalutem omnium ſæculorum cõſiderabat, quid animo volueret? Quatuor hodie inſignes perſonæ procedunt, quæ nobis omnia virtutum genera ante oculos ponunt. In Anna, quæ ieiuniis & obſecrationibus nocte ac die ſeruiebat, ieiunium commendatur & oratio: in Simeone, qui tanto Ieſum amplexus eſt gaudio; pietas & deuotio: in Maria, quæ cùm nihil purificandum haberet, purificationis tamen legem impleuit, humilitas & obedientia: in Domino autem Ieſu, qui factus ex muliere, factus eſt ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, charitas & miſericordia. Hæc præcipua ornamenta virtutum, quibus nos glorioſam hanc proceſſionem ornare & celebrare debemus, Cereus accenſus, lumen illud Gentium, quod Simeon cecinit, deſignat. Quid præterea eſt lumen in cera, niſi Verbum in carne, Deus in homine, virtus in infirmitate, ſapientia in infantia, & plenitudo diuinitatis in carne noſtræ mortalitatis? Cerei ergo, ſiue lucernæ geſtatio, fidei profeſſio eſt. *Sint* (ait Saluator) *lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes,* &c. Confitendum ore & opere, operibus ipſis, vitæ ordine atque ratione. *Sunt qui Deum ore confitentur, factis autem negant.* Videte, Auditores, qualis fuerit beatiſſimi huius ſenis mors. Vidit Chriſtum Domini, vidit ante mortem ſuũ & omnium Saluatorem: atque hoc tanto ſalutis ſuæ pignore ſuſcepto, diem clauſit extremum. Qua morte quid iucundius? quid felicius?

Geneſ. 46. *Perſonæ quatuor inſignes.* *Galat. 4.* *Proceſſionis ratio.* *Cereus quid deſignet.* *Lucæ 12.* *Tit. 7.*

felicius? Talis autem est piorum mors, cùm tamen longè alia sit improborum De illa enim dicitur, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*; quippe quæ illis ad æternam vitam aditum præbet, de hac verò, *Mors peccatorum pessima*, vtpote quæ sempiternæ mortis ianua est. Impij ferè moriuntur inuiti & repugnantes, vt qui vitæ huius amore flagrant, atque in ea spes omnes & opes suas repositas habent: & ad illam dolentes pergunt, in qua, vel ipsa teste conscientia, nihil se reposuisse cognoscunt. Dolent itaque grauiter propter ea quæ deserunt, vehementiùs tamen anguntur propter ea quæ sibi parara esse suspicantur. Pij autem ferè more huius senis, placida & tranquilla morte discedunt, & in pace dimittuntur, quia in ea pace & iustitia vixerunt: sic enim legimus: *Veniat pax; requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua.* Quicumque ergo in directione hac ambulauerunt, qui per semitas vitæ ingressi sunt, quò tandem, nisi ad cælestis patriæ cubile peruenient? Hi sunt qui in Domino moriuntur, qui requiescunt à laboribus suis, qui cum fide & pietate vixerunt, qui nihil habent quod igne purgandum sit: in illas beatas oras transferuntur, vt requiescant à laboribus suis. Ibi metent cum lætitia, quod hîc seminauerunt in lacrymis. Opera enim velut indiuidui comites sunt, quæ æterna atque indiuidua societate hominem comitantur. Habebunt secum misericordiæ opera, quæ fecerunt; ieiunia, quibus repugnantem carnis lasciuiam subegerunt; itinera, quæ pietatis causa confecerunt; animas, quas salutaribus monitis & exemplis Christo lucrifecerunt: ibi videbunt suam humanitatem, charitatem, patientiam, obedientiam, cæteráque virtutes, quas operati fuere: imò calix aquæ frigidæ propter Deum expensus aderit. Labor quippe virtutis abiit, decus verò, meritum, & gloria nunquam abitura est. Quàm felices tunc labores suos iudicabunt, quos videant tantum ibi decoris & gloriæ peperisse, quæ nunquam interitura sit? Nec minùs tamen impios sua opera consequentur, illósque indiuidua societate comitabuntur, & ad tribunal vsque iudicis superni, non tanquam comites aut defensores, sed tanquam testes & accusatores procedunt. Hîc sanè inter omnia scelera, quibus in vita indulserunt, detractiones, licèt confessi eas sint, primum locum obtinebunt. Vnusquisque onus suum portabit. Oro itaque vos, vt tales esse nunc incipiatis, quales tunc in illa hora fuisse ardentissimè cupietis.

Psal. 115.

Improbi moriuntur inuiti.

Esaiæ 57.

Apoc. 14.

Opera bona indiuidui comites.

Galat. 6.

Tunc sanè cum hoc beato Simeone clamare poteritis: *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace:* vt perueniatis ad visionem pacis æternæ. Amen.

IN FESTO BEATI MATHIÆ APOSTOLI, CONCIO: IN QVA POST

Euangelicæ lectionis enarrationem, vitiorum ac virtutum collatione facta, apertè monstratur, quantò sit iugum Domini, diaboli iugo leuius & suauius. Vnde colligitur dementia eorum, qui captandæ iucundioris vitæ gratia, virtutis iter planissimum deserunt, & per difficilem vitiorum viam gradiuntur.

THEMA. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11.

Mathias electus Apostolus.

HODIE, Auditores, beatissimi Apostoli Matthiæ natalem diem celebramus, qui ex numero septuaginta duorum discipulorum, duodeno sanctorum Apostolorum choro diuina electione meruit copulari. Assumpto enim in cælum Domino, Petrus, Ecclesiæ princeps, ab hac electione Pontificatus sui ministerium ante Spiritus sancti aduentum exorsus est. Constat præcipuum munus Apostolorum, quo mundum ad fidem conuerterunt, Euangelij prædicationem extitisse. *Exsurgens autem Petrus in medio fratrum (erat autem turba hominum ferè centum viginti) Viri fratres*, ait, *oportet impleri Scripturam quam locutus est Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda*, & cætera quæ sequuntur. Ex quo quidem loco intelligimus, Auditores, verum esse quod Hieronymus ait: *Non quæruntur in Christianis initia, sed fines. Paulus malè cœpit, sed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Ex quo item loco intelligimus, qua cura illud Domini præceptum in Apocalypsi seruare debeamus: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, hoc est, quamuis tibi videaris à Deo etiam ad munus ali-

Act. 1.

Hieron. in Epistola.

Finis non exordium laudatur.

Apoc. 3.

quod

quod electus, vel in eius gratia constitutus, non ideò te negligenter & oscitanter geras, nec tibi tuta omnia à diuina electione pollicearis, sed cautè & diligenter supra tui custodiam vigila, vt (sicut diuus Petrus ait) per bona opera certam facias vocationem tuam. Nam & Saul à Domino ad regni sedem, & Iudas ad Apostolatus culmen electi sunt: qui tamen huius præcepti immemores, quia solicitè, quod iam tenebant, tenere noluerunt, aliis coronas suas tradiderunt: Saul quidem Dauidi Regi, Iudas verò Mathiæ Apostolo. Qua de causa diuus Bernardus in omni statu nos ad continuum vigilémque timorem inuitat his verbis: *In veritate didici, nihil esse æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere.* Ad historiam redeamus. Hic igitur beatissimus Apostolus hodierna die inclyto martyrio, sicut cæteri Apostoli, coronatus, victor migrauit in cælum. Posteaquam enim Iudææ prouinciam (quæ illi in diuisione orbis terræ obtigerat) prædicando lustrasset, multósque Iudæorum ad fidem conuertisset: apud Principes sacerdotum, quòd Christi fidem & gloriam constantissimè prædicaret, accusatus, lapidationis sententiam tanquam blasphemus accepit. At ille lapidibus obrutus, & securi etiam, Romanorum more, percussus, expansis in cælum manibus, gloriosoque cruore respersus, per martyrij coronam migrauit ad regnum: vbi pretiosæ mortis, & laborum suorum meritis perpetuò fruitur. Priusquam ad Euangelij explanationem accedamus, inuocemus diuinum præsidium.

1. Petr. 1.

Bernardus.

AVE MARIA.

Saluator discipulis ait: *Gaudete & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis*, nec ipsis modò exsultandum esse hoc nomine suasit, sed ipse etiam post hæc verba exsultans in Spiritu sancto, ad Patrem ait, *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ.* Causa autem exultationis huius, salus nostræ fuit, quam in prima illa discipulorum legatione præuidit. Hoc ergo nomine Patri gratias agit, quòd huius tanti mysterij reuelationem, sapientibus & prudentibus seculi absconditam, paruulis, hoc est, humilibus & infimæ notæ hominibus reuelauerit. Cuius rei non aliam causam ponit, nisi hanc: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te:*

Euangelium quibus reuelatum.

Neque enim Christianus homo in operibus, iudiciis, ele-
ctionibúsque diuinis aliam causam, quàm diuinam volun-
tatem, (quæ prima totius æquitatis regula est) quærere de-
Saluianus cōtra Gentiles.
bet. *Sicut* enim (ait quidam) *plus est Deus, quàm omnis hu-
mana ratio: ita plus apud me valere debet, quòd à Deo gu-
bernari cuncta cognosco.* Hac enim ratione Christianum
hominem contentum esse, nec vltra curiosiùs progredi de-
Athan. in vita Anto.
bere, Athanasius docet. Quamuis hoc nobis sufficere de-
beat; non desunt tamen rationes, propter quas summa illa
æquitas & sapientia hoc ita esse voluerit. Inter quas illa non
Opera Dei nō perquirenda.
in postremis habenda est, quòd humilitatis amator, & su-
perbiæ osor Dominus, non solùm humilia respicit in cælo
& in terra, sed ea etiam quæ vel humilitati confinia sunt,
vel ad humilitatem viam muniunt, placidis oculis contem-
platur. Sicut autem D. Bernardus ait, humiliatio ad humili-
tatem via est: ita etiam infima hominum sors atque condi-
tio humilitati proprior est: sicut contrà opes, potentia, & se-
Opes ruinæ proximæ.
cularis sapientia superbiæ sunt propriora. Cuius rei gratia
Apostolus scientiam inflare ait, & diuitibus huius seculi
2. Corin. 8.
1. Tim. 6.
præcipit, non sublime sapere: quod hoc vitium (nisi diligen-
ter caueatur) opulentiæ atque seculari sapientiæ finitimum
sit. Huius rei indicium vel figura est, quòd toties in sanctis
videmus Deum maximos natu filios & primogenitos re-
Genes. 4.
pudiasse, minores autem elegisse. Exemplo filij Adæ: primo-
genitum Cain repulit, Abel natu minorem elegit: ex duobus
Ibidem 21.
verò Abrahæ filiis Ismaële primogenito repudiato, ad Isaac
translata benedictio est. Ex duobus autem filiis Isaac, Esau
Malach. 1.
& Iacob, hanc Dominus prodidit sententiam: *Iacob* (natu
Dauid minimus fratrum assumptus.
minorem videlicet) *dilexi, Esau autem odio habui.* Illud in
literis sacris animaduertendum, adeò Dominum humilita-
tis virtute delectari, vt humilitatis etiam imaginem (quæ in
infimis rebus elucet) honorare quodammodo videatur.
Quod non obscurè in Euangelio significauit, cùm pueros
Lucæ 18.
Marc. 10.
ad se allatos blandè recipiens atque complexans, ait: *Sinite
paruulos venire ad me, & nolite prohibere: talium enim est
Humilitas & virginitas coniunctæ.
regnum cælorum.* Duas virtutes, humilitatē & virginitatem
(quarum altera præcipitur, altera consulitur) ita Dominus
honorat, vt ipsarū quoq; imagines honorare quodāmodo
videatur. Quo minùs mirandùm est, si tantus hic humilita-
tis amator sapientes seculi, seculari scientia inflatos relique-
rit, & rudes piscatores elegerit, vtpote qui à superbiæ tumo-
re longiùs abessent, & veræ humilitati propiores essent.

Humi

Humilitatem verò ducem esse ad sapientiam, idem Dominus exemplo suo protinus confirmat, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Causam verò cur homines ab eo discere debeant, mansuetudinẽ & cordis humilitatem esse ait: quoniam qui his virtutibus præditi sunt, diuinæ sapientiæ participes efficiuntur: ideóque digni sunt quibus cælestis Philosophiæ magisterium cõmittatur. Super quem enim requiescet Spiritus ille Prophetarum & Ecclesiæ magister, nisi super humiles mentes & mansuetas? Hinc Salomon ait: *Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia; & vbi humilitas, ibi & sapientia.* Hinc D. August. *Si à me* (inquit) *quæsieris, quæ sit certissima ad sapientiam via, humilitatem respondebo: & si secundò idem quæras, humilitatem iterum respondebo: & si tertiò tandem ac centies idem à me requiras, idem à me responsum feres.* Superbos autem veræ sapientiæ expertes esse, idem August. cæcitatis suæ exemplo ostendit, cùm ait: *Tumore meo, Domine, separabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.* Iam verò mansuetos eodem modo à Domino illuminari atque doceri, Regius Propheta testatur his verbis: *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Si ergo mites & humiles præceptorem & magistrum Deum habent; dignum profectò est, vt qui tanti magistri discipuli sunt, aliorum magistri fiant, & ab omnibus audiantur. Quare non immeritò hunc sibi Dominus honorem & officium sumit, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Discite à me non mundum fabricare, non mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde. Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* Hæc autem prima ad verám celsitudinem (hoc est, ad veram animarum requiem & felicitatem) via esse dicitur; altera verò in diuinorum mandatorum obediẽtia sita est: quod quidem apertissimè Dominus in præsenti lectione testatur, cùm ferentibus suæ legis onus requiem promittit.

Prouer.22. August.

Sapientia via certa quæ sit.

Psal.24.

Magistri aliorũ qui cõstituendi.

August.

Venite ad me omnes. Inter virtutes omnes, quibus anima decoratur, primum ordine locũ tenet fides, quæ intellectum (à quo omnis actio proficiscitur) illustrat; ita cõtrà cæcitas mentis, vitiorum omnium, quibus anima fœdatur, initium est. Intellectu enim cæcutiente (qui humanæ voluntatis ductor est) quid ab homine rectè geri & administrari poterit? *Si enim cæcus cæco ducatum præstet, nónne ambo*

Fides prima virtus.

Matt. 15.

in foueam cadent? Inter omnes autem mortalium errores, qui varij & multiplices sunt, ille mihi præcipuus esse videtur, quòd virtutis viam asperam & confragosam, à diabolo decepti, credunt, vitiorum autem amœnam & iucundam. Quæ res facit, vt virtutis & honestatis via relicta, per blanda vitiorum itinera, vt ipsis apparet, gradiãtur. Ea enim humani cordis est natura, vt, sicut ille ait, dulcia & voluptuosa maximè appetat, fugiátque contraria. Nónne Dominus his suis verbis, *Venite ad me omnes qui laboratis*, improborũ hominum curas & labores, & piorum iucunditatẽ & requiem demonstrat? Quos enim hoc in loco alios ad se nisi peccatores, peccatorum suorum pondere grauatos, vocat? Quibus verò refectionis & alleuationis opem, nisi ad se confugientibus (hoc est, piis hominibus) promittit? Saluator suum iugum appellat suaue, Moyses autem iugum ferreum. Tria sunt potissimùm improborum hominum onera, quæ illos in præsenti vita premunt.

Errorũ caput quod.

Aristoteles.

Deut. 28.

Primum est peccati odium siue supplicium. Ingens scelus est, aduersus rationis lumen, ac diuinæ legis imperium, & ipsam naturæ præscriptionẽ deliquisse. Hanc peccati deformitatem ipsi Gentiles, fidei lumine destituti, cognouerunt & detestati sunt. Sic enim Cicero ait: *Nobis persuasum esse debet, si deos hominésque celare possemus, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè esse faciendum.* Quid quæso ab homine ethnico, imò, Christiano, dici amplius potuit? Quid hîc Christianus homo dicet, quem cælestia & terrestria, quem supera, & infera, quémque ipse rerum omnium conditor & Dominus, expansis in crucem manibus, à peccãdo deterret? Hoc igitur primũ peccati onus est, quod quamuis vulgus hominum nõ agnoscat, sapientum tamen iudicio grauissimum mentis nostræ onus est. Misera profectò, imò verò bis mortua illa mens est, quæ huius tam terrifacinoris pondus intra se retinens, nihil sentit.

Cicero.

Christianus peccãs planè inexcusabilis.

Secundum onus est, sceleris conscientia, quæ grauiter etiam sceleratos homines, nisi omnẽ prorsus humanitatem & communem sensum exuerint, premere solet. Sic enim naturæ conditor Deus naturam instituit, vt intra ipsam aculei quidam essent, qui nos semper ad virtutem èxstimularent: & à turpitudine reuocarent. Hoc ipsum Gentiles senserunt. Hinc illa Pythagoræ meritò laudanda sententia: *Neminem tam audacem esse, quem mala conscientia non faciat timidissimum.* Idémque dicere solebat, *virum iniquum plus mali*

Virtutis stimuli nobis insunt.

pati afflictum conscientia, quàm eum qui corpore castigatur & cæditur: multo enim grauiora sunt ægroti animi mala, quàm corporis morbi. Vt enim, si aliquis tranxfixus esset venenato telo, quod è corpore euelli non posset, nullũ temporis punctum dolore vacuum haberet: sic, vbi iniustitiæ mortiferum venenum in viscera penetrat, & in præcordiis hæret, animóque mortiferum vulnus imponit, vix quidquã est quod miserum hominem valeat è summis angoribus, & assidua dolorum acerbitate liberare. Epicurus, voluptatis assertor, *Certè*, ait, *quoniam ego omnibus in rebus voluptatem capto; nihil tamen virtutis honestate atque decore voluptuosius aut iucundius esse cognosco.* Perpetuò epulatur, qui virtutum & meritorum suorum conscientia pascitur & oblectatur. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Magnum peregrè proficiscentis solatium est, cùm certissimè se rectà ingredi scit: magna autẽ cura & solicitudine iter facit, qui se rectũ iter reliquisse, & per auios saltus, & inuia loca ingredi videt. Hoc secundum improborum onus est grauissimum.

Simile. *Prou. 15.* *Simile.*

Tertium verò ex dissimili prouidentia, quàm Deus malorum & bonorum gerit, facilè colligitur. Hanc conditionẽ ille Azarias, Spiritu Dei afflatus, Asa Regi ab Æthiopum cæde cum magna gloria redeunti significauit his verbis: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis Dominum, inuenietis eum: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Hæc Dei lex est, hæc iustitiæ & æquitatis diuinæ regula est. Homo Dei præsidio derelictus sua culpa, quid consilij capiet? qui malorum omnium profugium à se vitio suo alienauit. At quantò alia piorum sors in calamitate est? Hic Deum habet custodem vt pupilla oculi. Habet sua spiritualia arma, fidem, spem, charitatem, orationẽ: at improbus homo his armis septus nõ est, Deum habet aduersariũ. Hic malis omnibus facilè patebit, sicut vinea sine maceria. *Memor*, inquit Tobias, *esto fili, quòd pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Hîc pauperis vitæ facit mentionem, quo verbo ea mala quæ superiùs commemorauimus, complexus est. Cùm verò ait, multa bona nos esse habituros si timuerimus Deum malorum omnium perfugium, & cælestes piorum opes comprehendit. Quid enim illi deesse poterit, cui omnipotẽs rerum omniũ Dominus adest, vt cum Propheta dicere possit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit?* Piis hominibus Deus omnia est in omnibus, in labore requies, in fletu solatium

2. Par. 15. *Homo derelictus à Deo qualis.* *Tob. 4.* *Psal. 22.*

Pius Deus adest. Quis iam adeò erit impudens, vt audeat graue aut acerbum appellare, quod ipsa veritas leue & suaue esse testatur? Veritati libenter aures præbeamus, ipsámque ad se nos amantissimis vocibus compellantem audiamus: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Qui enim hanc electis suis refectionem, requiem animarum pollicetur in via: non dubium, quin multò illis maiores ac diuturniores repositas seruet in patria opes. Iam vniuersè rem demonstraui: nunc sigillatim ad omnia capitalia vitia, virtutésque eis contrarias descendam: quantum in singulis quibusque vitiis cruciatus & laboris sit, quantúmque in virtutibus suauitatis & iucunditatis, aperta oratione declarabo.

Vitia capitalia septem. Superbia (quæ est vitiorum omnium caput) est inordinatus honoris & propriæ excellentiæ amor: cùm homo nulli seruire, nulli obtemperare, sed omnibus præesse acerrimè concupiscit. Hic superbus semper in continua fame ac siti versatur, dum quod appetit, adipisci nequit. Exemplo esse *Hest. 3.* poterit superbus ille Aman, qui Mardocheum sibi non assurgentem, & totam Iudæorum nationem exstinguere conatus est, qui erant in regno Assueri. Talia sunt superbi tormenta, quibus perpetuò illum cruciari necesse est. Ab his *Bernardus.* longè abest vera cordis humilitas. Hæc est virtus qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Superbus semper supremum, at humilis infimum desiderat locũ siue gra*Simile.*dum. Humilis est instar quadrati ligni, quod quoçunque ieceris, fida & solida statione cõsistit. Arbores in excelsis montibus consitæ, ventorum omnium flatibus expositæ sunt, à quo periculo absunt quæ in ima valle creuerunt: ita superborum mentes aduersarum rerum turbinibus semper exagitantur, humiles verò quietæ & immotæ manent.

II. Auaritiã excutiamus: quæ est inordinatus pecuniæ amor, id est, inexplebilis auri fames. Habet autem hoc vitium similes atque superbia tortores, ne dicam plures. *Quid pecu-* *Greg. Nyss.* *niæ studium*, inquit Greg. Nyss. *an non dolium perforatum est toto fundo perfluens; cui si vel totum mare effundas, ea* *Auari natura cupida.* *natura est, vt expleri non possit.* Cætera desideria cùm fuerint expleta, conquiescunt: auari autem cupiditas, nulla copia potest satiari. Auaritiæ contraria misericordia, quæ ad *Ambrosius.* elargiendum, quãtum auarus ad colligendum, prompta est. Hæc scit solam misericordiam comitem defunctorum.

III. Ad luxuriam transeamus: quæ est immoderatus & impuræ commistionis ardor. Constat nulli magis communis

pec

peccari virus & potẽtiam, quàm in hoc impuro affectu deſæuiſſe, quo ipſius peccati labes in poſteros tranſmittitur. Conſtat item vitium hoc tanto cęteris acriùs impudici hominis pectus lacerare, quãto & cupiditas eius immanior & concupitæ rei aſſecutio difficilior eſt. Qui voluptatibus dediti ſunt, famẽ qua laborant, ſedare non poſſunt: ſic ſuperbi honorũ ſtudio, nec auari pecuniis ſatiari queunt. Quæ cùm ita ſint, quid quæſo caſtitate iucũdius, quæ ſolo ſtrenuè decertandi labore ab his omnibus moleſtiis libera, placidiſſimam & ab omni curarũ æſtu ſolutã vitam homini confert? Multò plus eſt laboris in impudicitia, quã in caſtitate: quãuis ſtultis hominibus longè aliud prima fronte videatur. *Luxurioſi non ſatiãtur.*

IIII. Ad iram veniamus: quæ eſt vehemens vltionis & vindictæ appetitio: cui manſuetudo & clemẽtia (charitatis & miſericordiæ filia) contraria eſt. Quis eſt autem adeò rerum humanarum imperitus, qui luce clariùs irati hominis perturbationes & furorem non videat? contraq́; lenitatem, placabilitatem & ſuauitatem mãſueti hominis non agnoſcat? Alter enim fonti perlucido, lenitérque fluenti: alter procelloſo, & furẽti pelago, naues ad ſcopulos allidenti, ſimilis eſt. In illo tranquilla ſunt omnia & placida, in hoc concitata & turbulentis motibus irrequieta. Hinc illud vulgo iactatum, nempe, Iratum à furioſo, tẽpore ſolùm differre. Hoc furore Saul lacerabatur, quando ſine vlla criminis ſuſpicione, ſeptuaginta Sacerdotes Domini, veſtitos Ephod lineo, ante oculos ſuos ſtrangulari fecit. Ira dæmonũ furorẽ & rabiem: manſuetudo autẽ Angelorum lenitatem & tranquillitatem imitatur. Hinc illud: *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Vnde enim pax, niſi ex lenitate & manſuetudine naſcitur? In Euãgelio verò Dominus ad lenitatis & humilitatis ſuæ nos imitationẽ inuitat, quòd hac ratione animabus noſtris requiem (ad quam humana mens ſemper adſpirat) inuenire poſſimus. *Simile.* *1. Reg. 22.* *Pſal. 36.*

V. Nunc ad gulæ vitiũ veniamus; quod voluptariis hominibus iucundiſſimũ inter cætera vitia creditur. *Videte*, inquit Saluator, *ne grauẽtur corda veſtra crapula & ebrietate.* Quid ſobrij & ebrij, temperati & intemperantis diſcrimina commemorem? in dubium vocari certè nõ poteſt, quod Eccleſ. ait: *Vigilia, & cholera, & tortura viro inpunito: ſomnus ſanitatis in homine parco. Dormiet vſque manè, & anima illius cum ipſo delectabitur.* Et iterum: *Quàm ſufficiens eſt*, inquit, *homini erudito vinum exiguum! & in dormiendo non labo* *Luca 21.* *Eccleſ. 31.* *Ibidem 31.*

laboris ab illo. Videtis quanto ſit ſobrietas ebrietate & intemperantia iucundior?

VI. Iam ad inuidiam & inuidiæ aduerſam charitatem veniamus. Conſtat eam eſſe vtriuſque habitus huius naturam, vt quod alteri cruciatus, alteri lætitiæ materiam præbeat. Vt enim aliena felicitate torquetur inuidia: ita hac potiſſimùm vera charitas exſultat atque triumphat. Inuidia, tinea, ærugo, animæ ſerra dicitur. Quantũ amarulentię liuor, tantum iucunditatis habet charitas.

VII. Supereſt vitiorum extremum acedia, cui ſpiritualis alacritas, & deuotionis virtus aduerſa eſt. Illius eſt hominem ad omnia virtutis & pietatis officia moroſum, ſegnem ac tardum efficere: huius autem proprium, alacrem & expeditum reddere. Ex hac vitiorum ac virtutum collatione luce clariùs videmus, piorum vitam vt honeſtiſſimam, ita & iucundiſſimam: contrà verò improborum non minùs laborioſam & acerbam, quàm pernicioſam & turpẽ eſſe. Audiamus

Prou. 4. Dominum per Salomonem loquentem: *Ducam te per ſemitas æquitatis: quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.*

IN FESTO BEATI THOMÆ AQVINATIS, CONCIO: IN QVA DE dono ſapientiæ (quod in diuo Thoma præcipuè fulſit) deque itineribus, quibus ad eam peruenire poſſumus, diſſeritur.

THEMA. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Sap. 7.

Cõcionandi munus quare inſtitutum. Concionandi munus, vt ſcitis, Auditores, in hoc inſtitutum eſt, vt fidelium mentes ad virtutum amorem, & vitiorum odium excitentur. Id quod non in aliis Concionibus modò, ſed in iis etiam quæ Sanctorum laudibus dicatæ ſunt, fieri debere, D. Baſilius præcipit. Rhetores quem celebrant, eius gloriam & præclara geſta illuſtrare dicendo conantur: nos autem Sanctorum, quos laudamus, virtutes, non tam ad ipſorum gloriam, quàm ad vitæ noſtrę inſtitutionem accommodare debemus. Parùm enim noſtra refert, ſi ſciamus illos virtutibus cunctis ornatiſſimos fuiſſe, niſi nos pro virili noſtra illorum

virtutes

virtutes æmulari studeamus. Quamuis autem sancti omnes omni genere virtutum cumulati fuerint, alij tamen in aliis magis excelluerunt: vnde illa sponsæ Christi varietas exsistit, quæ ad eius dexteram sedet in vestitu deaurato, circumdata varietate. Cuius vestis typum gerebat tunica illa polymita, qua sanctus Patriarcha Iacob filium suum Ioseph vestire & ornare voluit. Nostrum erit, vt pro varia dignitate & conditione Sanctorum, varias quoq; eorundem virtutes in Concionibus nostris vobis imitandas proponamus. Itaque in Apostolis eximiam charitatem, ac diuinę gloriæ, atq; humanæ salutis desiderium commendamus: in Martyribus fidei ardorem & insuperabilem constantiam attollimus: in sanctis Pontificibus diligentissimam ouium suarum curam, & pastoralis officij solicitudinem prædicamus: in sanctis verò Doctoribus, sapiẽtiæ atque doctrinæ cælestis studium collaudamus: in Virginibus autem illibatam corporis & animi puritatem ad imitandum proponimus. In hoc sancto Thoma Aquinate (qui inter Ecclesiæ Doctores velut clarissimus Lucifer sapientiæ dono emicuit) quid in eius laudibus potiùs, quàm hoc ipsum donum prædicabimus? Hic enim maximo Dei dono sapientiæ exornatus fuit. De hoc igitur excellentissimo sapientiæ dono sermonem hodie instituere paro: de quo duo mihi dicenda esse video. Primùm enim sapientiæ nomine exposito, eius dignitas & fructus, qui ex ea consequuntur; ac deinde gradus & virtutes, quibus ad eam peruenitur, explicanda sunt. Sapientiæ donum inter septem illa Spiritus sancti dona, primũ obtinet locum: quare maxima etiam & altissima esse debent, quæ de ipso dici possunt. De hac re dicturi, cælestẽ opem imploremus.

Psal. 44.

Genes. 37.

In Sanctis Dei quid attendendum.

Thomæ Aquinatis virtutes.

AVE MARIA.

Quoniam de altissimo sapientiæ dono sermo nobis instituendus est; quid supiẽtia sit, ante omnia expediamus. Cùm autem sapientia cognitio quædam sit, scire oportet, duplicem esse rerum cognitionem: quædam enim cognoscimus, quia de eis multa vel legimus vel audiuimus: quædã verò, quoniam eorum vim atque naturam experimento nostro didicimus: Aliter enim partus dolores puerpera sentit, quæ illos experta est: aliter quæ hoc solùm auditu aut etiam lectione didicit: aliter etiam paternũ erga liberos amorem intellig t qui filios habet, aliter qui non habet. Sic etiam

Sapientia quid.

Deus intelligitur dupliciter.

duplici cognitione Deum ab hominibus in hac vita cognosci: aut enim lùgendo ac diſputando, Dei virtutes & laudes agnoſcimus: aut hæc ipſa familiariter cum Deo agentes, illúmque toto pectore amplectentes, in nobis ipſis quodammodo experimur. Sapientiæ nomen à ſapore deductum eſt, vt ſit ſapiéntia, quaſi ſapida quædam & ſuauis ſcientia. Hæc autem cognitio, quæ Spiritus Sancti magiſterio paratur, eſt diuina illa ſapientia, quæ inter cætera eius dona principem locũ tenet: ad quam alia ordinantur. In hoc ſapientiæ dono ſic D. Thomas excelluit, vt dum deuotiùs oraret, ſic à ſeipſo excedebat, vt omnis prorſus motus & ſenſus expers fieret. Eſt enim ſapiẽtia vapor quidam virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis illius ſincera, quæ è cælis ad homines deſcendit, eorundem etiam mentes & corpora eò perducere nititur, vnde ipſa deſcendit. Hanc rem D. Thomæ exemplo confirmare licet, qui non raro, dum attentiùs oraret, à terra eleuabatur: corpore videlicet mentis in Deum raptæ motum & impetum ſequente. Vt enim aqua igni admota, vbi eius in ſe calorem concepit, morum quoque imitatur: & cùm natura grauis ſit, deorſúmque feratur, naturæ tamen ſuæ quodammodo oblita, more ignis ſurſum agitur: ita nonnunquam ſanctorum hominum corpora (vbi eos diuini Spiritus vis, per ſapientiæ donum ad ſublimia eleuat) eius quoque motum ſequuntur, & aduerſus omnem naturæ vim ſurſum aguntur. Intelligere licet, humanæ vitæ felicitatem non in fluxis huius vitæ rebus: hoc eſt, non in corporis voluptatibus, non in opibus atque diuitiis, non in honoribus & imperio (quibus in rebus ſeculi homines ſitam eſſe arbitrantur) ſed in diuinæ pulchritudinis contemplatione (quæ à ſapientię dono proficiſcitur) poſitam eſſe. Hæc enim mentem hominis per amorem cum Deo copulat, hæc diuinæ bonitatis & felicitatis participem efficit: hæc deſideriorum noſtrorũ ſitim exſtinguit, ſedat: & in ſummi illius boni, in quo ſunt omnia bona, cunctis huius vitæ deliciis repudiatis atque contemptis, ſuauiſſimè dormire & requieſcere facit. Poteſt homo habere ingentẽ felicitatem, id eſt, vtriuſque vitę, mortalis & immortalis. Si iam Deus homini optionem permitteret, vt ex duplici hac felicitate, ſpirituali & corporea, quas expertus eſt, vtram maluerit eligeret, ab illo ilicò eandem percepturus: Si hoc, inquam, homini in vtroque ſtatu diu verſato Dominus proponeret, incunctanter & abſque vlla hæſitatione reſpondebit, malle ſe ex

D. Thomæ deuotio.

Simile.

Mundi homines qd mirentur.

Homo felicitate frui poteſt.

se extrema inopia atque nuditate constrictũ, hac spirituali felicitate frui, quàm omnibus huius vitæ opibus circumfluentem, ea destitui. Quis hoc vestrûm, Auditores, credat? quis non miretur? & tamen hoc esse verum, sacra præsentis diei lectio apertissimè confirmat. Sic enim sapiens diuino Spiritu actus, de hac sapientia dicit: *Præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in cõparatione illius*, &c. In his verbis Spiritus sanctus omnia ferè terrenorum bonorum genera, quæ vulgus hominum miratur, complexus est: nempe argentum, aurum, diuitias, lapides pretiosos, imperia, ac postremò salutem & pulchritudinem, cæteráque quæ sub his nominibus continentur: quibus omnibus non modò sapientiæ donum antetulit, sed ex his etiam quæ commemoraui, nempe diuitias, arenã exiguam, vile lutum, ac postremò nihil, sapientiæ comparatione, esse testatus est. Quid igitur hoc testimonio apertius atque illustrius? quis huic veritati diuinis oraculis confirmatæ refragari audeat? Adiiciamus exẽplum. Rex Salomon vtriusque felicitatis conditionem expertus est. Hic tantus vir qui vtriusque felicitatis experimentum cœperat, de interna felicitate (quæ dono sapientiæ constat) sic ait: *Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auro primo fructus eius. Pretiosior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Quo vno verbo omnia expetendorum genera complexus est, cùm duxit: *Omnia quæ desiderantur, non valent ei comparari:* quibus omnibus sapientiam longo interuallo prætulit. Quis dubitare poterit, verum esse, quod paulò antè diximus, sanctos viros, spirituales opes atque delicias cunctis mundi opibus & voluptatibus prælaturos, feliciorésque, si illis fruantur, in summa etiã inopia futuros, quàm si illis destituti, rerũ omnium compotes essent? Sic multi Reges & Reginæ, Principes viri opibus & mundi fortunis renunciarunt, vbi hanc cælestium rerum dignitatem degustare cœperunt. Quis nesciat vnicum illud & summum bonum, in quo sunt omnia bona, longè pleniùs atque feliciùs pij hominis, qui soli Deo vacat, mentem, quàm fallacia, lubrica & momentanea huius mũdi bona reficere, oblectare, atque bonis omnibus implere posse? Deus est ille Sol, qui aliis astris præstat lumen: Deus est ille fons, à quo cætera bona manant: quæ tamen omnia cũ illo collata, bonitatis nomẽ amittunt: isque vnus

Sapientiæ nihil comparãdum.

Prouer. 3.

Felicitas vera quæ.

Deus fons indeficiẽs.

vnus mentem hominis infinitis partibus vberiùs atque copiosiùs reficere atque implere potest. Hæc, Auditores, facilè declarant, quantus in sapientiæ possessione thesaurus sit, quando inchoata felicitas, extremúmque expetendorum omnium, quæ in hac vita haberi possunt, in eius actione sit positum. Quo nomine Sapiens in hac lectione, infinitũ thesaurum esse ait. Hæc sunt sublimia, & cõmunem hominum fidem atque virtutem superant: quæ tamen dum sanctissimorum virorum laudes & virtutes prædicamus, transire silentio non possumus. Hæc enim & ipsorum sanctitatem declarant, & diuinæ gratiæ vim atque magnificentiam commendant, hominésque minimè desides, veræque felicitatis appetentes, ad has tantas diuinæ gratiæ opes adspirare faciunt. Iam, Auditores, existimo neminẽ inter vos esse adeò rerum diuinarum negligentem, qui dum hæc audit, felicitatis huius desiderio non capiatur, & quo in loco tantus hic thesaurus (quem cunctis mundi opibus anteferri diximus) delitescat, scire cupiat. Nec enim aut passim aut facilè tanta

Iob. 28. res inueniri potest. Quærit innocens & tamen expertus Iob: *Sapientia vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ? Non inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur, Non est mecum. Vnde ergo sapientia venit? Abscondita est ab oculis omnium viuentium: volucres quoque cæli latet.* Per volucres autem cæli, mundi sapientes, & summos Philosophos intelligit, qui nõ modò ea quæ in terra maríque nascuntur, sed ea etiam quæ in cælo sunt (hoc est, astrorum & signorum cursus, variásque eorum conuersiones & affectiones) rimantur. Qui tamen omnes, vbi esset vera sapientia, quæ homines efficeret beatos, assequi non potuerunt. Post hanc igitur tam longã inquisitionem, breui oratione sapientiæ locum in solo Deo esse docet, sic enim ait: *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.* Et dixit homini: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.* Quibus verbis non modò sapientię locum designauit, sed viam etiam, qua ad illam peruenitur, ostendit. Verè enim *initium sapientiæ timor Domini.* Similíque consilio cùm Salomon hominis felicitatem in Ecclesiaste variis rationibus indagasset, qua tandem in re ea sita esset, nouissimis his verbis conclusit: *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Quibus verbis totam hominis felicitatẽ in timore Dñi collocauit, vtpote

Volucres cæli qui sint.

Sapientia vbi inuenienda sit.

Psal. 111.

Eccle. vltimo.

vtpote qui nos in ſapientiæ poſſeſſione conſtituat. Prima igitur cura, Auditores, ad parandam ſapientiam, vitæ puritas & innocentia eſt, ſine qua omnis diuinarum rerum commentatio inſuauis eſt. Scitum eſt enim illud Auguſt. *Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis: & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.* Auguſt. Vnde idem Auguſt. Deum appellat, purgatæ mentis ſapientiam. Is enim dulciter ſapit, qui purgatum animæ palatum geſtant. Quocirca ſapientiæ ſtudioſus vitæ puritatem præcipuè colere debet: *Vita puritas neceſſaria.* quoniam (vt Sapiens ait) *in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sapien. 1. Propoſita verò iam vitæ puritate (quæ totius iuſtitiæ & ſapientiæ fundamentum eſt) charitatis ſtudio cum primis vacare conuenit, quæ ſicut cæterarum virtutum, ita etiam ſapientiæ vita & forma eſt. Vnde duo illa quæ ſapientiæ nomen complectitur, Dei videlicet cognitionem atque ſaporem, charitas ſubminiſtrat. Quid enim charitate dulcius? eius quippe proprium eſt, de dilecti præſentia mirificè gaudere. Apoſtolus ait: *Hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis* Philip. 1. *abundet in omni ſenſu, & in omni ſcientia, vt probetis potiora. Qui vult,* ait D. Auguſt. *cognoſcere Deum, amet. In libello charitatis diſcitur Deus. Qui non diligit, non nouit* 1. Ioan. 4. *Deum.* Hæc charitas, præcipua doni ſapientiæ cauſa exſiſtit: quoniam forma & vita eius eſt. Proxima verò ſapientiæ cauſa, eſt flagrantiſſimum eius deſiderium. Flagrantiſſimum, inquam, quoniam ad hoc pigri & inertis hominis deſideria nihil iuuant. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt* Prou. 21. *enim quidquam manus eius operari.* Nequaquam igitur *Deſideria quæ requiruntur.* huiuſmodi languida deſideria, ſed ardentia & operoſa ad ſapientiam viam muniunt. Hinc Sapiens: *Initium*, inquit, Sapien. 6. *ſapientiæ, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.* Hac enim ſe hoc donum conſecutum fuiſſe, idem Sapiens in hac lectione oſtendit: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus.* Eademque ſa- Eccleſ. 24. pientia, *Tranſite*, inquit, *ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis* (hoc eſt) à fructibus meis, *adimplemini.* Non igitur diuina ſapientia opes ſuas inertibus, ſed concupiſcentibus, hoc eſt, ad illas vehementer aſpirantibus pollicetur. Hinc Salomon de eadem ſapientia diſſerens, *Si* Prouer. 2. *quæſieris*, inquit, *eam quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies.* Opus eſt hîc quadam ſpirituali fame & ſiti. Ex hoc deſiderio naſcitur continuum orationis ſtudium.

Oratio ad quid valeat. Oratio ad omnia valet, potissimùm tamen ad diuina dona consequenda. Oportet in oratione perseuerare: inde nobis fiet quod Saluator ait: *Adducam eos in montem sanctũ meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* *Esaiæ 56.* *Psal. 35.* *Accedite*, inquit vates Regius, *ad eum, & illuminamini, & facies vestræ cõfundentur.* *Oratio quid.* Ad Deum verò accedimus, cùm illum attentiùs oramus, cùm oratio, mentis in Deum eleuatio esse dicatur. Moyses item, *Omnes*, inquit, *sancti in manu Dei sunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipiẽt de doctrina eius.* *Deut. 33.* Illud in diuo hoc Thoma viro sanctissimo, & in diuinis literis versatissimo, maximè mirabile est, *Thomæ Aquinatis scripta multa.* quod cùm quinquagesimo anno viuendi finem fecerit, tam multa scripserit, ad quæ legenda & intelligenda vix longa hominis ætas sufficiat. Mirari satis non possumus Doctoris huius mentem, tot difficultatibus implicitam, tam facilè assurgere potuisse in Deũ. Hæc tanta res (vt verum fatear) me frequenter in stuporem admirationémque diuinæ virtutis adducit. Hæc omnia, Auditores, eo consilio dicta sunt, vt tum eximiam sancti Doctoris Thomę sanctitatem atque doctrinam miremini, tum etiam vt animos vestros ad amorem sapientiæ (in qua humanæ vitæ felicitas posita est) inflammarem, viamque vobis ostẽderem, qua ad illam esset perueniendum. Via enim, puritas & innocentia vitæ: via, charitatis studium: via quoque, ardens illud sapientiæ desiderium: via item, frequens atque deuota oratio, ab hoc desiderio profecta, quæ hoc cæleste donum continẽter à Domino flagitet. His gradibus ad clarissimum sapiẽtiæ donum adscenditur: in cuius exercitatione inchoatam felicitatem, quæ in hac vita haberi potest, sitam esse diximus. Iã restat, vt aliquid de D. Thomæ virtutibus, hoc est, de sapiẽtia, castitate, & humilitate agatur. Ecclesia ob duas causas vitas sanctorum nobis & exempla proponit: altera, vt per eos clariorem diuinæ bonitatis notitiam adipiscamur: altera, vt per eorum imitationem, clarissimarum virtutum exemplis propositis, accingamur. Cõstat felicitatis & salutis nostræ initium in Dei cognitione positum esse. *Omnis enim homo* (vt D. Hieron. ait) *absque cõditoris sui cognitione, bellua, nõ homo existimãdus est: Deum verò per magnifica ipsius opera in hac vita cognoscimus.* *D. Hiero.* Ex fructu cognoscitur arbor, ex fabrica operis opificis ars atque peritia: ita ex effectibus virtus & præstãtia causæ cognoscitur. Cæterùm quò effectus nobilior atque præstantior, eò illustriorem causam suam esse declarat. Cùm autem inter omnia diuinæ virtutis opera principem

cipem locum opera gratiæ teneant(quæ ad rationalis creaturæ sanctificationem destinata sunt) vix quidquã est quod in hac vita maiorem nobis diuinæ bonitatis atque virtutis cognitionem, quàm exempla & opera sanctorum præbeant. *Sanctorũ exempla efficacia.* In quibus(vt alia prætereamus)diuinæ bonitatis magnitudinem ita cognoscimus, vt cum Propheta exclamare cogamur: *Quàm bonus Israël Deus iis qui recto sunt corde!* hoc est, quàm benignus, quàm misericors, quàm exorabilis, quàm amabilis Pater, quã pius Dominus, quàm fidus amicus iis qui recto sunt corde! *Psal. 72.* Nec sola Dei erga pios bonitas & benignitas, sed admiranda quoque eius virtus & potentia hac ratione cognoscitur. Quid enim potentius & mirabilius, quàm ex carne spiritum, ex terreno cælestem hominem efficere, & impura carne septum, Angelicæ vitæ puritatem imitari? Quòd si hanc salutarem vim & potentiam (quam Apost. in Euangelio sitam esse dicit) agnoscere velis, in sanctorum Martyrum, Virginum, & Confessorum præclarissima gesta oculos coniice: *Roman. 1.* omnia enim eorum magnifica opera, ineffabilem diuinæ virtutis & gratiæ vim, & potentiam prædicant atque testantur. Atque(vt alia huius rei argumenta prætereamus) quænam obsecro illa vis fuit, qua inuictus Christi Martyr Vincentius immanissimo tyranno dixit: *Insurge & toto malignitatis spiritu debacchare: videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques?* Hoc verè ipse tyrannus expertus est, cùm ait: *Victi sumus.* In huius D. Thomæ laudibus, cùm omnes eius virtutes enarrare lõgum esset, tres ex iis quæ in eo præcipuæ esse videntur, attingemus: nempe ineffabilem eius sapientiam, castitatem, & humilitatem. Sapientiæ virtus doctrinæ dignitate & excellentia dignoscitur. Constat D. Thomam sine vlla controuersia inter scholasticos Ecclesiæ Doctores principem locũ obtinere, eósque ita superare, vt matutinus Lucifer cætera cæli sidera splendore suo vincit. Quo fit, vt in omnibus sacris Cõciliis, quæ post eius obitum celebrata sunt, Patres ea definierint quæ D. Thomas anteà docuerat. Quam rem ipsa Conciliorum decreta satis indicant, quę miro modo cum sancti Doctoris doctrina cohærẽt. *Thomas Doctor excellentißimus.* Hic noster Doctor de qualibet materia disseruit, sicut Salomon ille disputauit à cedro, quę est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete. Nihil enim fuit de quo Doctor sanctus non dissereret. Ita explanauit Philosophiã & sacram Scripturam, vt ij qui corpora secant, vt anatomẽ addiscant:

Simile. ita ipse in singulis Philosophorũ capitibus velut anatomiam exercet, dum minimas etiam partes dissecat: quod sine magno certè studio & ingenio fieri non potuit. Deus sanè non potest nõ esse mirabilis in sanctis suis: qui tam ingentes thesauros in vase fictili potuit collocare. Iam à sapientiæ laude ad pudicitiæ gloriam transeamus. Virtus pudicitię omnium est difficillima inter omnes corruptæ naturæ motus. Alias enim virtutes à natura habemus: at hæc vix vllo tempore sedari & mãsuefieri potest, propterea quòd in ipsis præcordiis fixam intra nos & permanentem causam habeat. Hinc multos sanctorũ legimus, diu multúmque hac tentatione fuisse infestatos. Ad hanc igitur virtutem adipiscendam, caro extenuanda, & mens assiduæ orationis ac deuotionis adipe impinguanda est, & omnis incendiorum materia & occasio subtrahenda. In hoc quoque Doctore summa effulsit humilitas: hæc inter tot superbiæ incitamenta, inconcussa & illibata permansit. De illo verè dici potuit: *Beatus vir qui potuit transgredi, & non est transgressus; & facere mala, & non fecit.* Quid mirabilius, quàm tot superbiæ incitamentis, non modò nunquam extolli, sed ne vllum quidem superbiæ stimulum sentire? Ex omnibus sancti huius virtutibus duæ nobis potissimùm imitandæ sunt, castitas & humilitas. Quæ duæ virtutes inter se nexæ & colligatæ esse debent: quoniam altera alterius fidissima custos est. *Obsecro peccatum, quodcunque fecerit homo,* &c. Humilitatis autem fructus est, omnes diaboli laqueos euadere. Dominus sit nobiscum. Amen.

Eccles. 31. *Rom. 12.* *1. Corin. 6.*

IN FESTO ANNVNCIATIONIS DOMINICÆ, CONCIO: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur: inde de eximia Christi in genus hominum charitate, & eius caussis, agitur.

THEMA, *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Luc. 1.

SI quis verè lætus & faustus dies mundo hactenus illuxit, hic certè vnus est, in quo mala generis humani finem, & bona omnia felicissimum sumpsere principium. Hodie rem adeò mirabilem & nouam mundus audiuit, vt eam nulla nec hominum nec

Angelorum cogitatio (nisi Deo reuelante) aut sperare, aut credere potuisset: nempe summum illum hominum & Angelorum Dominum (ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt) mortalem hominem, similemque nobis passibilem effectum esse. Quid hoc miraculo maius? quid hoc mysterio sublimius? quid hoc beneficio mirabilius? Callidus serpens primam feminam decepit, dum illi poculum mortis propinauit: at hodie Angelus sacram virginem Dei iussu conueniens, & illi & nobis omnibus vitæ fructum obtulit. Meritò ergo dies hic felicissimus nobis & celeberrimus esse debet. Femina exstitit nostræ ruinæ causa: ita & femina salutis nostræ ministra esse debuit. Maledictio quæ in mundum inuecta fuit per Euam, hodie sublata est per Mariam. *Iam ergo*, vt D. Bernard. ait, *non habes homo, cur de Deo queri possis, cur vedicas: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Hæc fuerunt verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quæ iram magis quàm misericordiam prouocarent. Sed ne hoc ipsum iactare possis, datur tibi hodie femina pro femina, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, gustum porrigat vitæ. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: *Mulier quam dedisti mihi gratia plenam, dedit mihi de ligno vitæ fructum benedictum, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo; quia in ipso viuificasti me.* Multis rationibus Deus beneficiorum suorum exigit à nobis memoriam, & gratiarum actionem. Videndum ne in ingrati animi scelus incidamus, ne ob id eius beneficiis & benignitati aditum obstruamus. De hoc nostræ salutis beneficio dicturi, cælestem opem, eiusdem virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Deus homo factus.

Dies funestus & latus.

Bernardus.

Psal. 140.

Maria gratia plena.

AVE MARIA.

Omnia Domini Saluatoris, atque adeò omnia sacræ Virginis festa, quid aliud quàm redemptionis nostræ beneficium nobis ob oculos ponunt? Inter quæ tamen hodierna potissimùm solennitas eminet, quæ exordium continet nostræ salutis, cuius seriem sanctus Lucas Euangelista verbis his exponit, & exsequitur in suo Euangelio:

Missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, &c. Quærit hoc in loco D. Bernard quò Angelus ingressus sit: *Puto*, inquit, *in secretum pudici cubiculi, vbi illa fortasse clauso supra se ostio, orabat Patrem in abscondito.* Solét Angeli adstare orantibus, & delectari in his quos vident leuare puras manus in oratione, holocaustum

Bernardus.

Angelorũ officium quale sit.

ſanctæ deuotionis gaudent ſe offerre Deo in odorẽ ſuauitatis. Hunc Angelũ non ex infimis, ſed ſummis illis ordinibus exſtitiſſe, non ſolùm D. Bernardus, ſed multi etiam ſanctorũ Patrum arbitrantur: quod & ipſius quoq; nominis interpretatio (interpretatur enim fortitudo Dei) & legationis dignitas facilè declarant. Nec enim hoc tãtum munus, quo ſalus & inſtauratio mundi cõtinebatur, niſi ſummo alicui nuntio committi debuit, præſertim cùm, iuxta Patrum traditionẽ, inferiorum Angelorum ſit, minora; Archangelorum autem, maiora nunciare. Nullum autem nuntium hoc neq; maius, aut mirabilius, aut mundo ſalutarius hactenus annunciatũ fuerat. Vnde colligere poſſumus, & Angelos, & ſanctos item homines, quò Deo propiores ſunt, eò magis quę noſtra sũt curare, magíſq; nobis omni ratione conſulere. Vnde & colligere licet, eos quos proximorum mala non tangunt, qui alienis miſeriis nõ commouentur, qui illis, pro facultatibus quiſque ſuis, ſubuenire negligunt, qui ſaluis rebus ſuis ſi omnia funditus corruant, nihil ad ſe pertinere putant, longiſſimè à charitate Chriſtiana, imò à Deo ipſo diſtare: quãdo & Angeli, & ſancti omnes quo Deo viciniores, hoc cõmunis ſalutis, & publicæ vtilitatis ſunt auidiores; cùm diuinitatis natura, bonitas, & benignitas, ac miſericordia ſit. Angeli omnes miniſtratorij ſunt Spiritus, qui in miniſterium mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Vide item apud Danielem, apud Eſaiam Prophetas, qua ſedulitate ſua officia exſequantur. Sed ad hiſtoriam redeamus. Hic ergo Gabriel, inſignis Angelus, à *Deo mittitur in ciuitatem Galilææ, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph.* Quæ fuit neceſſitas, vt quæ illibata virgo futura erat (qualẽ eſſe Dei matrem decebat) viro deſponſata eſſet? Multæ ſunt cauſæ, ſed illa tamen præcipua, quam D. Ambroſius adfert: quò l hac ratione Dominus genitricis ſuæ honori & famæ conſultum eſſe voluit; ne videlicet ſacer ille partus dedecoris & infamiæ notam aliquã virgini, quamuis falſam, inureret. Ita factum eſt, vt Virginis filius, ſicut matris integritatẽ naſcendo non minuit, ſic nec eius gloriam aliqua dedecoris labe adſperſerit: nec enim in hoc venerat, vt quæ noſtra eſſent minueret, ſed vt ea nouis acceſſionibus aucta cumularet. Diſcant omnes, tum præcipuè virgines & mulieres, famam tueri. Pudica mulier vt corporis caſtitatẽ, ita nominis integritatẽ ſumma cura tueri debet. Hinc Philoſophus quidã interrogatus quæ eſſet pudica femina, prudẽter reſpõdẽs:

Gabriel quid ſonet. *Immiſericordia quorundam.* *Hebr. 1.* *Daniel. 7.* *Eſaiæ 6.* *Ambroſius* *Maria cur deſponſata fuerit.* *Fama tuẽda omnibus.* *Mulier quæ pudica.*

Illa

Illa,inquit,*de qua mentiri fama veretur*.Ingreſſus ergo Angelus ad Virginē,his etiā verbis ſalutauit: *Aue gratia plena, Dominus tecū: benedicta tu in mulieribus*. Iā primùm cōſtat, nuſquam Angelos(qui tam ſedulò Patribus & Prophetis apparuere) quemquam ex ipſis hac tam magnifica ſalutatione honoraſſe: quæ tamen vni illi ſeruabatur, quæ hominum & Angelorum Dominū erat paritura. Ideóq; non modò inter mulieres omnes ſingulari priuilegio inſignitam prædicat, ſed tanta etiā gratia plenam,quāta matrē Dei ornatam eſſe decebat. Mēſuram ergo gratiæ D. Thomas ex propinquitate ad fontem gratiæ ſumendam eſſe ait. Quid propinquius filio,quàm mater? aut in quē filius munera ſua largiùs atq; libentiùs quàm in matrem effunderet? Hac menſura plenitudo gratiæ,quæ Virgini ab Angelo tribuitur,metienda eſt. Hæc autem ſacra Virgo,ne non ſatis tribuere videretur ſuæ vocationi,in ardētiſſima charitate fuit perfecta,& planè excelluit,& ideò Dei templum facta eſt. Sed quoniam de Virginis charitate mentionem fecimus, de profundiſſima eius humilitate(quę charitatis cuſtos & comes indiuiduus eſt)ex hac eadem lectione pauca proferamus. Sequitur: *Quæ cùm audiſſet,turbata eſt in ſermone eius*. *Solent*,ait Bernardus,*virgines, quæ verè virgines ſunt, ad omnem viri pauere adſpectum, ſemper pauidæ, & nunquam ſecuræ eſſe,& vt caueant timenda,etiam tuta pertimeſcere: ſcientes ſe in vaſis fictilibus theſaurum portare pretioſum, & nimis arduum eſſe, angelicè inter homines viuere, & in terris more cæleſtium conuerſari*. Videmus Mariæ humilitatem: quare ſancti Patres aſſerere non dubitant, Mariam virginitate quidem concepiſſe,humilitate autem placuiſſe: eiúſque humilitatem ſcalam fuiſſe (vt D. Auguſtinus ait)qua Deus ad homines deſcenderit. Superbia effecit, vt quinque illæ fatuæ virgines ab ipſis cæli foribus repulſæ fuerint, quia (vt Chryſoſtomus ait) magnū virginitatis conſilium ſeruantes, paruum humilitatis mandatum ſeruare neglexerunt. Superbia quippe virginitati inſidiatur, quæ & alios contemnere, & ſibi nimium tribuere ſuadet. Cogitent virgines, ſi in aliqua virtute excellant, non protinus eos deſpicere qui ea deſtituti ſunt. Fieri enim poteſt(& id quidem non rarò) vt qui in aliqua virtute alios vincit,in multis ab aliis ſuperetur. Saluator ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Beatiſſima Virgo ſupra omnes creaturas humilitatis virtute excelluit, quāuis peccati omnis expers fuerit. Ex humilitatis radice oritur diſplicētia

Thomas.

Mariæ humilitas.

D. Bern.

Matt. 25.
Chryſoſt.

Virgines quid cogitare debeant.

Matt. 11.

sui,in qua humilitas ipſa conſiſtit : ideóque humilitatẽ D.
Bernard. Bernardus ſui ipſius diſplicentiam eſſe ait , quæ ex ſui cognitione proficiſcitur.Iam hic homo non ſibi,ſed ſoli Deo
tutò credit ac fidit. Humana præſidia, vt inſtabilia,ita ſunt
incerta , infida , fragilia,& ſpes noſtras ſæpe fallentia.Hic
quoque humilis eſt ſemper ad gratiarum actionem propenſus,qui omni quod poteſt,illi adſcribit,à quo eſt omne datũ
Iacob. 1. optimum, & omne donum perfectũ. Clamat hîc cum Pro-
Pſal. 117. pheta : *Fortitudo mea , & laus mea Dominus , & factus eſt*
Salus noſtra quæ eſſe debeat *mihi in ſalutem.* Dominus eſt illi in ſalutem , non diuitiæ,
non nobilitas,non potentia. Aſſumamus nobis hanc virginem , quæ in omnibus virtutibus mirabiliter eluxit , vitæ
magiſtram,& apud filium aduocatam noſtram.Vbi ab Angelo adeò magnificis titulis ſe ornari audiuit , *Turbata eſt in*
ſermone eius,& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Paſtores
viſo Angelo,dominicæ natiuitatis nuncio,timuiſſe perhibẽ-
Lucæ 2. tur timore magno.Zacharias itẽ,Ioãnis Baptiſtæ pater,An-
Lucæ 1. gelo ei à dextris altaris incenſi apparente,vehementer tur-
Dan. 10. batus eſt,& timor irruit ſuper eum. Daniel verò fulgentis
Angeli viſione non modò turbatus , ſed penè exanimatus
eſt. At ſanctiſſima Virgo,quamuis coruſcãtis Angeli ſpeciẽ
vidiſſet,& nihilominus ad eius adſpectum expauiſſet,ſic tamen honorifica illa Angeli ſalutatione,laudibúſq; ſuis turbata fuit , vt illius trepidationis cauſa ſileatur , huius verò
ſola exprimatur. Erat virgo omnibus adornata virtutibus,
præſertim humilitatis, tanquam ſpiritualis ædificij fundamento , ne vlla ei elationis vel exigua labes obreperet. Hac
Ezech. 28. virtute erat deſtitutus ille clariſſimus Angelus,qui eleuauit
2. Cor. 12. cor ſuum in decore ſuo , quare corruit. Paulo datus ille ſtimulus carnis,occaſio fuit vt ſeſe in officio contineret.Puriſ-
Maria expers omnis labis. ſima Virgo his ſtimulis nõ indigebat, quæ propter ſingularem maternæ dignitatis honorẽ omni impuritatis ſtimulo
carere debebat. Audiuit ſuas laudes;audiuit humillima Virgo , quòd eſſet benedicta inter omnes mulieres: nihil mo-
Lucæ 18. uetur ad elationẽ. Aliud ille Phariſæus egit, qui ſuas laudes
prædicauit. Flatus ille ſuperbiæ eſt ſubtiliſſimus , cui quãuis
diligẽter aditus omnes obſtruas,ſi vel vna ei rimula pateat,
illa intrat , illa penetrat , & incomparabili humilitatis the-
Principes adulatores fouent. ſauro hominem ſpoliat. Vtinam Reges omnes & Principes
viri,qui tot adulantium greges poſt ſe trahũt,vel hoc vnum
ab hac ſanctiſſima Virgine diſcerent,vt ad laudes ſuas, vel
Angelico etiam ore prolatas , trepidi ſemper pauidíque

ſubſi

subsisterent. *Principes cùm omnia habeant, deest illis qui verum dicat.* Sed vt eò, vnde digressa est oratio, redeat, cùm Angelus trepidationem virginis intellexisset, metum illi omnẽ his verbis adimit: *Ne timeas Maria inuenisti enim gratiam apud Deum* Rectè ait, *Inuenisti.* Ea enim inuenire dicimur, quæ, aliud agentes, non tam quæsita, quàm oblata deprehendimus: sicut Euãgelicus ille fossor thesaurũ in agro, quẽ non quærebat, inuenit. Misericordia Dei infinitis partibus peccata omnia superat: ita quoq; eius liberalitas, merita omnia longissimo interuallo vincit: hoc est, sicut infinitis partibus plus est quod Deus ignoscere, quàm quod fragilis homo peccare potest: ita longè plus est, quòd Dei gratia donare, quàm quod iusti hominis labor & industria mereri potest. Nec enim ea meritis hominum (quæ exigua sunt) alligata semper est, sed ab ineffabili Dei bonitate pendet, quæ immensa est. Rectè ergo Angelus, *Inuenisti*, ait, *gratiã apud Deum:* quia ad eam dignitatis magnitudinem euecta es, quæ merita omnia superat, quámque sola diuinæ bonitatis largitas donare potuit. Quid verò hæc tanta gratia contineat, exponit protinus, cùm ait: *Ecce concipies in vtero, & paries filiũ, & vocabis nomẽ eius Iesum;* quod quidẽ Saluatorem sonat. Quid autẽ tã optabile miseris, tã necessarium perditis, quàm hoc nomen Iesu Saluatoris? Huius nominis suauitatẽ sponsa in Canticis degustauerat, cùm ait: *Oleum effusum nomen tuum.* Hic locus exigit, vt cuiusmodi hoc Christi regnum sit, exponamus. Constat domum Iacob & Israëlis, Ecclesiam Christi esse, ex veris Israëlitis (hoc est, ex iis qui Israëlis fidem sectantur) conflatam. Si enim Israëlita est, qui genus, hoc est, carnem & sanguinem ducit ab Israële: quomodo Israëlita non erit, qui spiritum & mentem habet Israëlis? Illum autem Apostolus designauit, cùm ait: *Videte Israël secundùm carnem.* Hunc autẽ Saluator ostendit, cùm, viso Nathanaële, dixit: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est: ille enim carnem & sanguinem, hic fidem & spiritum ab Israële sortitur.* Illi Abrahæ siue Israëlis dicendi sunt filij, qui eorum fidem & pietatem referunt, non qui ab eis originem ducunt. Regnũ Christi, de quo hìc Angelus mentionẽ facit, est spirituale, in quo homines spiritualibus opibus locupletantur. Christus nos à veris malis, hoc est, à peccato, gehenna, & inimicitia Dei liberauit, & ita liberauit, vt omnia diuini furoris tela, in nos intenta, in se vnus exciperet. Ipse etiam iustissimis legibus vitam nostram regit ac moderatur. His

Seneca.

Matth. 13.

Merita nostra qualia.

Iesus quid sonet.

Cantic. 1.

Regnum Christi quale sit.

2. Cor. 10.

Ioan. 1.

rationibus Christus Dominus in cælo residens, Ecclesiã suã ductu atque imperio sempiterno regit & moderatur. *Ecce,* inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Et in alio loco: *Non vos relinquam orphanos, vado & venio ad vos.* hoc est, nunquam vos deseram, sed semper inuisam ac tuebor; quæ vestra sunt, curabo. Ita fit, vt quisque nostrûm cum Propheta dicere possit: *Ego quidem mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei.* Hoc est autẽ regnum illud, quod quotidie in oratione Dominica ad nos venire precamur. Rectè orat D. Bernardus: *Veni Domine Iesu, & disperde hostes meos in virtute tua: quia tu es Rex meus, & Deus meus.* hostes, id est, auaritiam, libidinem, iactantiam. His igitur tam magnis mirãdisque promissis auditis, sacra virgo in id præcipuè oculos coniecit, quod prima fronte, quam Deo sacrauerat pudicitiã lædere videbatur: ideóque ait, *Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco? Et respõdẽs Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi,* &c. hoc est nõ humano more, sed cælesti virtute sacer hic fœtus in lucẽ edẽdus est. Ea est enim eius dignitas & maiestas, vt duplici miraculo, & de Spiritu sancto cõcipi, & ex virgine debeat nasci. Quòd si huius tantæ rei modũ & rationem inquiras, D. August. tibi respondet his verbis: *Si cogitamus virginem, quæ sine concupiscentia carnis concepit carnem, & sine viro peperit virum; si volumus facti huius quærere rationem, in ipsa inquisitione succumbimus, cùm scriptum sit: Generationem eius quis enarrabit? Si enim ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum exigitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus enim tota ratio est potentia facientis.* Vide miraculum in arida virga, quæ fronduit & floruit. Deus olim condidit hominẽ, nec semen patris, nec viscera matris quæsiuit: hic nouum puerũ potuit formare in aluo virginis. Tres valde mirabiles nascẽdi species operatam reperies Trinitatẽ. Et prima est quidẽ, quòd Adam figuratus est ex limo; secunda, quòd mulier formata est de masculo; tertia, quæ & cælestis est, quòd Christus ex virgine. Quid horum non nouum? quid hîc reliquũ est, nisi vt sacrum hoc venerandúmque mysterium humiliter magis adorantes, quàm curiosè perscrutantes, cum D. August. dicamus: *Considero conceptum tuum, beata virgo, & expauesco: intueor partum tuum, & contremisco: adoro filium tuum, & reuiuisco?* Exposita ergo ratione mysterij, nihil morata sacra

vir

Matt. 28. *Psal. 39.* *Matth. 6.* *Hostes spirituales, vitia sũt.* *August.* *Esaia 50.* *Maximus.* *Natiuitates tres mirabiles.* *August.*

virgo, summa animi submissione respōdit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbū tuum*. Hæc responsio summæ humilitatis, perfectæ obediétiæ, & fidei admirandæ exstitit. Quo vno verbo, salutis & redemptionis summæ opus, cunctis retrò seculis desideratum, hodierna die cœptum est. Longè minus erat, quod Zacharię, quod Ezechiæ, quod Gedeoni prænunciatum est: qui tamen omnes, ad infirmæ fidei suæ solatium, signa à Domino petierūt. Abraham autem in ætate iam affecta filium promittenti Deo credidit, nec signum petiit: quod sanè iustitiæ illi in laudem imputatum est. *Ecce* (inquit) *ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum*. Vbi primum hoc fidei verbum protulit, ibi statim fide concepit, & ineffabile Dei Verbum è sinu Patris in viscera sua traxit, ibíque protinus ima summis, & humana diuinis sociata sunt. Ibi enim Deus & homo perfectus, sub exigua tamen carnis materia, quod humilitatis summæ fuit, inuentus est. *Nouum*, inquit Hieremias, *fecit Dominus super terram, femina circumdabit virum*. Perfectus enim vir Christus Dominus in illo temporis puncto fuit, qui virgineis visceribus, sine vllo viri consortio, latebat inclusus.

Lucæ 1.
4. Reg. 20.
Iudic. 6.
Genes. 17.
Roman. 4.
Damascenus.
Hier. 31.

DE EXIMIA CHRISTI IN NOS CHARITATE.

DEI in nos perspecta charitas eximia, nos ad Dei mutuam dilectionem excitare debet. Plurima quidem ad hoc ac innumera eius beneficia valent, quibus is carbones ignis congessit super caput nostrum: plus tamen eius in nos dilectio viget, quæ beneficiis prior & beneficiorū omnium causa est. Ideò enim beneficia in aliquem conferimus, quia eum diligimus. Quo fit, vt amor donorū omnium primum, idémque maximū esse dicatur. Quod enim maius homini bonum, quàm à Deo diligi, contingere potest? Ex hoc enim veluti fonte, cætera eius dona in nos dimanant. Nam & ad vitam æternam prædestinari, & iustificari, & sanctificari, ac postremò æterna felicitate beari, ab hoc amore proficiscuntur. Non illum de cælo ad terras merita nostra, sed peccata traxerunt. Filij incarnatio non iustitię nostræ, sed immensæ illius bonitatis & charitatis opus est. *Commendat*, inquit Apostolus, *charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum*

Augustinus.
Roman. 5.

vnige

Ioan. 5. Rom. 8. *vnigenitum daret.* Et Apostolus: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* De se autem idem Filius ait: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Ioan. 15. Iob 7. Rectè ait Iob: *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Itémque Regius Propheta: Psal. 143. *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est,* &c. *Homo vanitas.* Licèt homo sit ipsa vanitas, indignus planè qui à Deo ametur, attamen Sol ille iustitiæ, suo splendore vniuersum mundum illuminat: ita is iustitiam & gratiam in iustos omnes meritis & virtute sua effundit. Omnes sancti, qui ab exordio nascentis mundi ad finem vsque erunt, ab hoc iustitiæ Sole sanctitatẽ & gratiam perceperũt. Verè ab Apostolo di- Ephes. 3. ctum est, *Charitatẽ Christi omnem sciẽtiam,* hoc est, omnem etiam Angelorum cognitionem, *supereminere.* Cùm se tam ignominiosè ab hominibus impiis tractari, & in crucẽ agi sustineret, qua quæso is animi promptitudine, qua alacritate Patris mandatũ amplexus est, qua dilectione homines prosecutus, quos ei Pater æternus quàm charissimos esse voluit, quæ mẽs, quis intellectus, quis Angelus pro dignitate concipere valeat? Quam charitatẽ Apostolus considerans, se ab 2. Cor. 5. ea vim pati pronunciabat, dicens: *Charitas Christi vrget nos,* hoc est, vim quodammodo cordibus nostris infert, *vt illum ad mortem vsque diligamus, à quo tantopere dilecti fuimus.* Ipse semper sit nobiscum. Amen.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTAE CRVCIS, CONCIO: IN QVA, POST breuem Euangelij explanationem, de Dominicæ crucis beneficiis agitur: ad quod verba in Themate proposita latiùs explanantur.

THEMA. *Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & terram.* Gene. 9. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Ioan. 3.

VERBA priora locutus est Dominus ad Noë post diluuium, quorũ ego mysteriũ in præsenti concione explicãdũ suscepi: quod ea summũ quoddã Dominicæ crucis beneficiũ (cuius hodie inuentionem celebramus)

mus) maximè declarant: priùs tamen Euangelica lectio breuiter explananda est. Figura ea, quæ nobis de serpente æneo proposita est, maximum mysterium (cùm Apostolus ait, omnia in figuris contigisse) continere videtur: mirabili námque ratione, quonam modo Dominicæ crucis beneficium consequi valeamus, exponit. Vt autem hoc piè & religiosè, & pro tantarum rerum dignitate, præstare valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus. 1. Cor. 10.

AVE MARIA.

Hodierna sancti Euangelij lectio, Auditores, instar Dialogi cuiusdam est, inter quendam Pharisæorum principem, ac Dominum Saluatorem, in quo vtilissima quædam quæstio (cuius ad nos cognitio maximè pertinet) tractatur: nempe, quid nobis facto opus sit, quo sempiternam vitam atque salutem consequi valeamus. Initio disputationis princeps hic breui oratione Domini beneuolentiam captare incipit, his verbis: *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cũ eo.* Erat hic planè princeps, quamuis Pharisæus, à Pharisæorum vitiis, liuore scilicet, auaritia, & ambitione, immunis: ideóque piorum amator Dominus illius mentem hac luce collustrauit, vt ex clarissimis Christi miraculis fidem in eum conciperet. Quamuis enim miracula, fidei veritatẽ plenissimè confirment: quia tamen fides Dei donum est, necesse est vt cum ipsis miraculis, diuini Spiritus virtus mentẽ hominis ad credendũ excitet. Quàm multa enim miracula in Ægypto Pharao, quàm multa Iudæi à Christo Domino edita viderunt! qui & quatriduani Lazari, & ipsius etiam Domini resurrectionem, sepulchri custodibus apertissimè illã confitentibus, agnouerunt: qui tamen his atque innumeris aliis Domini signis inspectis, in perfidia sua obstinatis animis perstiterunt. Hinc Saluator, *Si signa*, inquit, *in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quo minus mirandum est, Auditores, si multi quotidianis concionibus audiendis nihil proficiant, quando infelices isti nec magnificis illis Domini signis (quæ multò maiorem vim, quàm nostra verba habent) in fide profecerunt. Faxit autem Christus, ne tales simili cordis obstinatione & cæcitate labo

Pharisæus integer.

Ioan. 15.

Negligentia nostra culpanda.

borent. Sed ad institutum redeamus. Princeps hic à diuina gratia iam præuentus, illud à Domino quæsiuit, quod pius quidam adolescens ab eo quæsiuit, his verbis: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam poßidebo?* Ex Dominica responsione hoc quæsisse apparet: subdit enim Dominus; *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnũ Dei.* Quod perinde est, ac si diceret: Tu quidem salutarem Theologiam assequi cupis: scire enim desideras, quid tibi facto opus sit, vt ad cæleste regnũ peruenire, cum Deo regnare, diuinæ felicitatis consors fieri valeas. Hic est vltimus humanæ vitæ finis, ad quem homines à Deo cõditi sunt. At in ciuitatem cęlestem nihil intrat coinquinatum & immundum. Ad tantam ergo dignitatem oportet vt homo similis Deo fiat in vita, qui similis ei fieri cupit in gloria. Videmus pretiosissimas gemmas annulis aureis, non ferreis aut æneis insculpi: ita pretiosissima illa cælestis gloriæ gemma nequaquam ferreas & impuras, sed aureas, atque ab omni terrena fæce purgatas mentes requirit. Felicitas enim & gloria Angelorum, puritatem quoq; in hominibus requirit Angelorum. Quid enim magis absonum aut præposterum, quàm vita pecudum, & gloria Angelorũ? hoc est, velle in hoc sæculo pecudum more vitam ducere, & in futuro sæculo Angelorum gloria frui? Mutet vitam, qui vult habere vitam: qui fuit superbus, fit humilis: qui vitiis deditus, sequatur virtutes. Oportet Domini sententia hominem denuò nasci. Vsque adeò enim humana natura per commune peccatum à prima illa originis suæ puritate degenerauit, vt, nisi diuini Spiritus virtute renouetur, ad cælestis regni gloriam capessendam minimè idonea sit. Hoc autem est, quod cælestis magister significauit, cùm protinus subiecit, *Quod natum est ex carne, caro est: quod natũ est ex Spiritu, spiritus est.* Carnem à spiritu distinguit: carnis nomine significare voluit, quidquid diuino Spiritu vacuum est. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Qualis autem caro nostra post peccati lapsum relicta sit, Apostolus expressit, cùm ait: *Scio enim quòd non habitat in me,* hoc est, in carne mea, *bonum.* Qualis igitur spiritus noster erit huic carni implicitus atque immersus? Quod igitur huic tanto malo remedium adhiberi poterit? Non aliud certè, quàm quod Saluator designauit, cùm nos denuò nasci oportere dixit: hoc est, vt vetus homo moriatur, & nouus pro illo resurgat,

Lucæ 10.

Finis quis sit vitæ nostræ.

Simile.

Vita quomodo instituenda sit.

Caro quid denotet.

Sapient. 1.

Roman. 7.

Homo vetus & nouus.

surgat, nō iam vt anteà carnalis, sed spiritualis, qui sit aptus regno Dei. Debet igitur diuinam quodammodo vitā viuere, vt qui Deo similis futurus est in gloria, similis etiā sit in vitæ puritate, atque sanctimonia. *Charissimi,* inquit Io. *nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus.* Vult igitur hac regeneratione planè nouos homines. Territus autē hac responsione Nicodemus, ait: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrē matris suæ iteratò introire, & renasci?* Cui Dominus rationem exponit, qua hæc vitæ tanta mutatio fieri debeat. Non enim humanis viribus, sed regenerationis lauacro, & Spiritus sancti virtute, qui in eo operatur, peragēda est: hoc est enim quod ait; *Amē dico tibi, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei.* Hoc igitur cælesti Spiritu hausto, idoneus fiet, qui in cæleste regnū cooptari mereatur. Subditque protinus causam: *Quod natū est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Quod perinde est ac si diceret: Effectus omnis causæ suę conditionē sequitur. Sic enim ex bona arbore fructus bonus: ex mala verò malus nascitur. Sic etiam ex perito opifice perfectum opus: ex imperito imperfectum proficiscitur. Ad hunc ergo modum, quod ex carne nascitur, caro est, neque supra carnis naturam assurgere potest: quod verò cęlesti spiritu hausto in nouam creaturam animatum est, & cælestem & spiritualem vitam degere potest, ideoque cælesti regno aptum est. Quocirca mirari nō debes, si tu, qui ad hoc regnum adspiras, hoc cælesti spiritu animari, eiusque virtute denuò renasci debeas. Quia verò rudis adhuc Pharisæus, neque hanc tantam diuini Spiritus vim, neque hanc tantam vitæ mutationem satis percipiebat, aëris exemplo vtrumque illi Dominus exponit, his verbis: *Spiritus vbi vult spirat, & vocē eius audis, &c.* Hoc in loco spiritus nomine, non Spiritus sanctus, sed aër & ventus commodissimè intelligitur. Nicodemus erat meticulosus: non audebat cum Iesu, qui tamen erat celeberrimus, palàm loqui: adit igitur nocte ad eum. Verùm qui adeò imbecillus erat per id temporis, incomparabilem animi firmitatem atque constantiam paulò pòst demonstrauit. Tempore enim passionis se planè amicum Christi, corpus eius sepeliendo, demōstrauit. Sic pius homo diuini Spiritus intra se motum videt, eius tamen causam (vt ventum) non agnoscit. Hoc autem exēplo Dominus & Nicodemo, & omnibus qui difficile esse putant denuò nasci, & in nouam creaturam trans-

for

1. Ioan. 3.

Spiritus quid notet.

Ioan. 19.

Timor nobis adimitur.

formari, metum atque timorem adimit, cùm hanc tanta vitæ mutationem non sola hominis virtute, sed spiritus sancti ope & beneficio fieri doceat, qui omnia in electis operatur. Hac enim de causa, vbi Apostolus dixisset, se plus omnibus laborasse, adiecit protinus: *Non ego autem solus, sed gratia Dei mecum.* Quamuis autem cælestis magister satis apertè hanc doctrinam tradidisset, Pharisæus tamen externis legis cæremoniis assuetus, nouæ legis gratiam & mysterium minimè assequebatur: ideóque rogat, *Quomodo possunt hæc fieri? Cui Dominus, tu,* inquit, *magister in Israël, & hæc ignoras?* &c. Terrena appellat moralis vitæ præcepta, ad quorum cognitionem Philosophi rationis beneficio, & naturæ lumine peruenerunt. Quæ tamen cùm Dominus explicaret populo, & inter cætera crimina auaritiam grauiter accusaret, à Pharisæis irridebatur. Rectè igitur ait: *Si terrena hæc,* hoc est, moralis vitæ præcepta, *non percipitis: quomodo cælestia dogmata & occulta diuini Spiritus opera percipietis, quæ nemo tradere perfectè potest, nisi qui à cælesti sede in hunc mundum demissus est?* Hoc est enim quod ait: *Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.*

1. Cor. 15.

Terrena præcepta qualia.

Sicut Moyses exaltauit serpētē in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit, &c. O quàm magnum hac tā breui oratione sacramentū nobis propositū est! Hic enim animaduertere licet, humani generis salutē in Christi aspectu positam esse, cùm vel illum cælestis Pater adspiciat vt nostri misereatur: vel ipsum nos adspicimus, vt eius misericordiam consequamur. Historiam serpentis ænei vide. Ægyptij aquis fuerant interempti, qui aquis Hebræorū infantes interfecerant: ita isti rebelles in Moysen serpentum morsibus perierunt, qui serpentum malitiam sectabantur. Ait nanque Salomon: *Sicut mordent serpentes in silentio, sic qui fratri suo detrahit occultè.* Quòd si hac eadem pœna Dominus detractores hoc tempore puniret, omnia serpentibus replerentur, vt venenatæ linguæ serpentum veneno atque morsu interirent. Iussu Domini serpēs æneus à Moyse suspenditur pro signo: vt qui percussus adspiceret illum, viueret. Quis hîc non miretur? Quis nō intelligit mysterium hîc latere? Melius fuisset serpentes abigere, vt antè, quando ranæ in paludes, & locustæ in mare relegatæ fuerunt à Domino. Quid sibi vult hoc remedij genus, id est, æneus serpēs in edito loco positus? Deus nihil agit temerè aut frustra, sed summo consilio & ratione omnia sua opera molitur, hac

Fide charitate inflammata, Dominus adspicitur.

Num. 21.

Ecclef. 10.

Detractores digni pœna.

Serpens æneus.

ipsa rerum inconcinnitate (quæ in diuinam sapientiam cadere nullo modo potest) nos ad sublimius aliquid inuestigandum excitat. Quid igitur hoc est? Nimirum sicut per veros serpentes, veros peccatores intelligimus: ita per imaginem serpentis, peccatorem non quidem verum, sed apparentem intelligimus. Quis verò peccati omnis expers alius, & peccatoris imaginem gerens, nisi Christus Dominus inter latrones patibulo affixus? *qui*, vt Esaias ait, *cum impiis deputatus est*: de quo tamen paulò antè dixerat, quòd neque peccatum fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Hic igitur peccati omnis expers, à peccato nos liberat. Omnes enim nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm. Hic ergo serpens, non verus, sed apparens, contra venena serpentum refugium & medicamentum est. Sed qua ratione serpens hic nos à morsu serpentum liberat? *Qui percussus*, inquit, *adspexerit cùm sanabitur*. Hæc certè figura non tam figura, quàm apertum vaticinium, quod crucis virtutem prædicat, existimanda est. Quid enim aliud significare poterit commodè, nisi hoc ipsum significet? Quid sit autẽ serpẽtem adspicere, idem Dominus apertè insinuauit, cùm post hæc verba subiunxit: *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Adspicere ergo est credere, & Christi fidem profiteri: quem videlicet proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Nolite, Auditores, errare: cùm fidem dico, non mortuam, sed viuam fidem intelligo: de qua scriptum est: *Iustus autem ex fide viuit*. Fides si fuerit mortua, non dabit vitam.

Esaia 53.

Num. 21.

Adspicere quid sit.

Rom. 1.

Fides duplex.

Fides est duplex, mortua & viua. Mortua est quidem vera fides, at est tanquam lucerna sub modio, quæ licèt accensa sit, minimè tamen lucem præfert. Viua fides est, quæ bona agere, & à malis abstinere omni studio atque labore contendit, quæ fidem cum pietate colit. Hæc est igitur fides qua iustus viuit, quæ hominem iustificat, quam Apostolus à nobis exigit, quam diuinæ literæ vbique prædicant, quæ nos Christo copulat, quæ Christum Dominum in cordibus nostris habitare facit, ac postremò *quæ* (vt Ioannes ait) *vincit mundum: nec mundum modò, sed vires etiam atque potentiam inferorum*. Vbi Samson capillis suis ornatus erat, hominibus cunctis erat valentior: at vbi fraudulentæ vxoris dolo capillos amisit, infirmus, aliorum hominum more, effectus est. Ad hunc ergo modum fides nostra, vbi piis & in-

1. Ioan. 2.

Iudic. 16.

flammatis motibus & affectibus, velut capillis ab ea pro-deuntibus, instructa & ornata fuerit, omnibus mundi atque gehennæ viribus superior est: si verò his destituta fuerit (quod non rarò vitio nostro euenit) infirmum, & telis omnibus expositum, & (quod ad mores attinet) similem aliorum hominum, qui fide destituti sunt, relinquit. Quot enim fideles sunt, qui licèt veram fidem habeant, nihilo meliùs quàm ethnici & exleges homines viuunt? *Confitentur nosse Deum, factis autem negant.*

Fides nuda quid efficit.

Tit. 1.

Fides igitur velut digito Christum Dominum in cruce pendentem ostendens, idem vnicuique nostrûm dicere videtur, quod olim Ioannes Baptista, Christum Dominum intuens, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* O fidelis anima (vult dicere) hic quem in cruce appensum vides, peccata mundi sustulit, hic chirographum peccati deleuit; hic tibi clausas cælestis regni fores aperuit, hic tibi morte sua, immortalitatis gloriam contulit. Quisquis igitur venenato serpentis antiqui morsu sauciatus est, in Christi cruce remedium sibi paratum esse cognoscat, si re-ctis fidei oculis illum intueatur. Hic, ô fidelis anima, est sponsus tuus: hic est verus Isaac, qui pro salute tua in ara crucis immolatus est: hic medicus tuus qui sacramentorum & gratiæ suæ medicamentis sanat omnes languores tuos: hic vindex libertatis tuæ, qui te à malorum omnium fonte, hoc est, à peccato, & carnis tyrannide per crucem suam liberauit, Apostolo testante, qui ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.*

Ioan. 1.

Col. 2.

Animæ remedium vnde sit.

Rom. 6.

Iam quid ad vitæ nostræ institutionem colligi possit, inspiciamus. Ille magnifica in nos contulit beneficia; iam consequens est, vt illum totis viribus diligamus, gratias agamus, & omnes spes nostras in eo repositas habeamus. Intueamur crucis instrumenta, & ea non parum poterunt nostram deuotionem excitare. *Quid enim,* inquit ille, *in eo deesse potest, in quo & omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est?* *Maiorem*, inquit ipse Saluator, *hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis.* Quisquis igitur hanc spem & dilectionem ex crucis mysterio concepit, is planè altissimam crucis Philosophiam assecutus est, idemque Dominicam crucem cum Helena sancta inuenit: hoc est enim spiritualiter crucem Domini inuenire. Parum enim profuerit, salutare crucis lignum inuenire

Fulgent.

Ioan. 15.

Crux inuenitur spiritualiter.

inuenire, nisi crucis mysterium & Philosophiam simul inueniamus, quæ in hac spe & dilectione constituta est. Pro nobis sanguinem fudit, & mortem pertulit: quid aliud desiderat & designat, quàm quod nobis & seipsum, & vitam suam impendere cupiat? Ab ipso Christo, & regia & sacerdotalia beneficia speranda sunt. Ad Regem spectat, magnifica in populares suos munera conferre: ad Sacerdotem verò, preces pro populo suo ad Deum fundere, & commissorum veniam, & salutarem in necessitatibus opem impetrare. Hæc duo officia Christus Dominus in Ecclesia exercet, dum magnifica in nos beneficia confert, & pro nobis apud Patrem sine intermissione aduocat, & vulnerum suorum ostensione causam nostram apud illum agit. Vtrumque autem hoc munus & officium, & pretiosum crucis lignum nobis apertè repræsentat. Crux enim velut imperij Christi sceptrum & insigne est, quod regiam eius potentiam (qua mundum imperio suo subiugauit) declarat: & crux item ara illa est, in qua summus hic Sacerdos seipsum æterno Patri pro nobis obtulit in sacrificium. Hæc omnia & dilectionem à nobis exigunt, & spem nostram roborant atque confirmant. Hæc singula salutem, hæc firma præsidia, hæc cælestes opes nobis pollicentur. Pudeat ergo nos nostræ vanitatis ac insaniæ, qui mundi amori adhæremus. Rectè sanè contra nos D. Bernardus: *Mundus*, inquit, *clamat, deficiam; caro clamat, inficiam; dæmon clamat, decipiam; Christus clamat, reficiam: & tamen ea est mentis nostræ cæcitas & amentia, vt, Christo nos ad se amantissimis verbis inuitante relicto, deficientem mundum, carnem inficientem, ac dæmonem decipientem sequamur. Quantus quæso ille mundi amor est, qui ne tot quidem eius plagis atque repulsis extingui potest.*

Christus Sacerdos & Rex. Psal. 109.

Christus Rex & Sacerdos.

Bernardus

Apostolus Paulus meritò in cruce Christi gloriabatur, quòd per illam & mundum sibi, & se mundo mortuum esse prædicabat. Colligimus, medicinam eorum qui à serpentibus infestabantur, in serpentis ænei adspectu positam fuisse. Hoc autem mysticè nobis innuit, omnium malorum nostrorum medicamentum in crucifixi Domini contemplatione consistere. Ad Dominum autem accedimus, non passibus corporis, sed affectibus mentis: hoc est, fide, spe, charitate, deuotione, compassione, & grati animi obsequio, pendentem in cruce Dominum contemplantes.

Galat. 6.

Accedere ad Deum quid sit.

RATIO FESTI INVENTIONIS S. CRVCIS.

ADrianus Imp. Rom. perfidus, & idolorum cultor, anno 140. Christi crucem, & latronum, qui cum illo pependerant, & clauos in eodem loco defodi iussit, & ruderibus impleri, & in eodem loco Veneris simulacrum erigi: vt si quis fidelium in eo loco crucem adoraret, non crucem, sed Venerem adorare videretur. Sed non est consilium contra Dominum. Anno enim salutis nostræ 218. imperante Constantino Magno, crucis gloria patefieri cœpit. Cùm enim idem Imperator, adhuc paganus, cum Maxentio tyranno militaribus copiis instructissimo congressurus esset, deque belli exitu trepidaret, vidit circa meridiem sole declinante, crucis signum in cælo coruscans, his literis inscriptum: IN HOC VINCE. Cùm autem is & de signo & de inscriptione incertus esset, eadem nocte Christus Dominus illi apparens, & signum quod viderat ostendens, præcepit, vt eo signo omnia militaria vexilla insigniret, quo victoriam de hostibus reportaret. Cùm autem in eo prœlio victor euasisset, & Christianorum illud esse signum intellexisset; ipse quidem primus Romanorum Imperatorum maiestatem Domini Saluatoris cognouit & honorauit, & eius Ecclesiam infinitis propè muneribus & ornamentis auxit. Post aliquod verò tempus, Helena, insigni pietate & religione femina, & Imperatoris mater, nocturno visu admonita, Hierosolymam petiit, vt Dominicam crucem, ex qua salus humana pependit, inquireret. De hac inuentione vide Ecclesiasticos Scriptores. In hac pia inquisitione miracula non defuerunt, quibus Dominus pretiosum crucis suæ vexillum & prodidit & honorauit. Crucis maiestas à latronum suppliciis transiit ad frontes Imperatorum: & quæ antea probro erat hominibus, nunc summo honori esse cœpit. Felix igitur, qui à communi hominum errore liber, spes omnes in creaturis fallaces esse intelligẽs, spes omnes suas, curas & cogitationes in crucis præsidio constituit. Dominus nobiscum semper. Amen.

IN

IN FESTO APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI, CONCIO: IN qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ioan. 14.

HODIE, Auditores, duplicatam duorũ insignium Apostolorum Philippi & Iacobi gloriã sub vna solennitatis lætitia celebramus. Et quidem de Philippo in sacra hui⁹ lectione diei, & sæpe alias in Euangelicis literis mentio: de Iacobo autem, qui frater Domini dictus est, & Lucas in Actis Apostolorum, & Paulus in Epist. ad Galatas & Corinth. mentionem facit. *Alium,* inquit, *Apostolorum, vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* Frater autem Domini appellatus est, quòd eius esset consobrinus, vtpote Mariæ Cleophæ, sororis beatissimæ virginis Mariæ, filius. Cuius feminæ singularis pietas in hoc elucet, & quòd iuxta crucem Domini cum piissima virgine adstitit, & quòd quatuor sanctissimorum filiorum mater exstitit, nempe Iacobi huius, Simeonis, & Thaddæi (qui alio nomine Iudas appellatur) atque Iosephi. Hæc ex Alphæo viro quatuor has cælestes propagines suscepit; quarum tres, hoc est, Iacobum, Simonem, & Thaddæum, Dominus ad Apostolici muneris dignitatẽ extulit; quartum verò, nempe Iosephum, in discipulorum ordinem cooptauit. Hodierna Euangelij lectio de solo Philippo mentionem facit. Admonitos autem vós, Auditores, in huius cõcionis initio velim, Euangelij huius scriptorem esse Ioannem Euãgelistam, qui & Aquilæ, & discipuli quem diligebat Iesus, nomine designatur. Hic autem Euang. hoc præcipuè inter alios suscepit, vt algentia hominum pectora, diuini amoris igne inflammaret. Ad hoc autem amoris huius causas, hoc est, clarissima diuinæ charitatis beneficia, in genus hominum collata, ante oculos ponit. Quod singulari quadam ratione in sacra huius diei lectione facit. cuius quot sunt verba, tot penè sunt igniti amoris incitamenta. Idem tamen, vt aquila regia, adeò sese supra nubes attollit, & inter nubila condit, vt non rarò caligantem mẽtis nostræ aciem effugiat. Quod

Galat. 1.
Iacobus cur frater Domini.
Ioan. 19.
Ioannis Euangelistæ laus.

in hac etiam lectione animaduertere licet, quando, quæ in ea Dominus disseruit, neque Thomas neque Philippus assequi potuerunt. Qua de causa eorum tarditatem corripuit. *Tanto*, inquit, *tempore, vobiscum sum, & non cognouistis me?* Quæ cùm ita sint, apertè liquet, nos diuinæ gratiæ lumine indigere, vt hanc cælestem aquilam in sublime volantem, altissimáque Christi mysteria docentẽ, consequi valeamus. Quod vt præstare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Non turbetur, inquit Dominus discipulis, *cor vestrũ*. In hac lectione discipulos Dominus de abscessu suo, & futurorum laborum atque persecutionum, quæ illos manebant, prædictione turbatos, multis rationibus consolatur. Triplici de causa discipulorum animi turbati erant. Primùm, quòd dilectissimum magistrum, cuius gratia omnia reliquerãt, à se discedere intelligebãt, vt non possent filij spõsi, ablato spõso, non lugere. Deinde quòd audierant vnum ex ipsis in tantum nefas prolapsurum, vt magistrum hostibus proderet. Quamuis enim huius tam tetri facinoris sibi conscij nõ essent, suæ tamen infirmitatis memores, pro se quisque tãtum illud nefas formidabat. Itaque contristati valde, cœperunt singuli dicere, *Nunquid ego sum Domine?* Postremò, illos etiam grauiter angebat, quòd audierant, Petrum, qui velut columna erat inter eos, Dominum esse negaturũ, ipsósque ea nocte graue scandalum passuros. Hanc igitur discipulorum trepidationem Dominus adimere intendit, cùm ait: *Nõ turbetur cor vestrum*, id est, *non deficiat fides vestra: quia Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Scio quòd negabitis me voce, attamẽ fides permaneat in corde vestro, illa non deficiat. *Creditis quidem in Deum, & in me credite*, neque tentationum mearum euẽtu terreamini & scandalizemini. Aderit hyems, sequetur statim æstas, ne dubitetis. *Creditis in Deum, & in me credite*, hoc est, sicut fidem atque spem vestram in vno Deo repositam habetis: ita & in me etiam reponite, mihi fidite, me tutorem, defensorem, ac patronum, & salutis vindicem agnoscite: nihil enim minus in me diuinitatis ac potestatis, quàm in Patre est. Cogitato quid scriptum sit: *Iuxtà est qui iustificat me, quis contradicet mihi? Stemus simul. Quis est aduersarius meus? accedat ad me.*

Discipuli turbati cur.

Matt. 26.

Credere in Deum.

Ecce

Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? Pij conquiescunt in Domino: quare aiunt cum Propheta: *Lætamini in Domino, & exultate iusti & gloriamini omnes recti corde.* Monet in Deo, non in se lætari, non in humanis præsidiis. Pater cælestis non minorem illorum, quàm parentes filiorum curam & prouidentiam gerunt. Hoc igitur primum Dominus discipulis præsidium atque solatium proponit. Sequitur aliud: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minùs,* hoc est, alioqui, vel si secus esset, *dixissem vobis. Quia vado parare vobis locum.* Hac ratione Dominus profectionem suam ad eorúm salutem pertinere ait, quòd ad parandum eis locum proficisceretur: quocirca nō modò illis minimè trepidandum, sed summopere etiam lętandum esse. *In domo,* inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt.* Summus ille bonorum omniū largitor, non aliam sibi, aliā fidelibus seruis beatitudinem proposuit: sed quod sibi diuinitatis iure conuenit, in illos per adoptionis gratiam contulit. Hic eadem gaudia & Angelis & hominibus. In illius igitur amplexu & contemplatione felices erimus, in illo summo gaudio explebimur, in illo volubilis & inquieta desideriorum nostrorum rota conquiescet: quia nihil vltrà habebit quod desiderare possit, cùm in illo summo & infinito bono, bonorum omnium summam deprehendat. Hoc enim bono Propheta se beandum profitebatur, cùm diceret: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Hic est autem denarius ille diurnus, qui Dominicæ vineę operariis in Euangelio promissus est. Denarius autem conplexu suo omnem continet nummum: vt hac ratione intelligamus, bonorum omnium summam in hoc sempiternæ felicitatis præmio contineri. *Sunt in domo Patris mei mansiones multæ, sunt multiplices felicitatis & gloriæ gradus.* Ex eodem fonte alius maiorem, alius minorem aquæ mensuram pro vasis magnitudine refert. Ita quicunque flagrantiori charitate Deum in hac vita dilexerunt, feruentioresque & alacriores in eius obsequio fuerunt, hi planè maiori voluptate atque gaudio afficientur, cùm illum ipsum aperta facie videant, quem adhuc velatum tantopere in hac vita dilexerunt. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Alia claritas est solis, alia lunæ, atque alia stellarum; stella quoque differt à stella in claritate: sic & ipsæ mansiones multæ sunt, & in gloria differunt: quæ tamen gloria Denarius vnus dicitur. Cæterùm ne discipuli hanc tantā gloriam quam diutissimo temporis

Pij in Deo conquiescunt.
Psal. 31.
Angelis & hominibus eadē gaudia.
Psal. 16.
Denarius diurnus.
Simile.
Matth. 5.
Mansiones multæ sūt

spatio differẽdam putarent, adiunxit protinus, se proficisci, vt eas illis mansiones pararet. *Et si abiero*, inquit, *& praeparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiã*, &c. Itaque meus hic ad horam discessus sempiterna mecum societate (quam nulla vnquam vis poterit dissoluere) compensandus est.
Matt. 24. Neque vllus vos error ab hac tanta spe deiiciat. *Æquum vt vbi est corpus, ibi congregentur & aquilae; vbi caput, ibi membra; vbi magister, ibi discipuli; vbi denique sponsus, ibi etiam filij sponsi. Nam & quò ego vado scitis, & viam scitis.* Magnus enim ad felicitatẽ gradus est, & in quo sit vera felicitas, & quo ad illam itinere perueniatur, agnoscere: quod vtrumque vos minimè latet. Vtrũque enim Dominus illos non rarò docuerat, cùm se ad Patrem, vnde in hunc mundum venerat, tunc regredi nunciasset. Via autem qua ad Patrem peruenitur, & mors Christi, & diuinorum mandatorum obedientia est: quam saepè Dominus discipulis exposuerat. Quod autem dicit; *Iterum veniam, & accipiã vos ad meipsum*; hoc in fine vitae Apostolorum, atque adeò piorum hominum accipiendum est, quo tempore illos Dominus ad felicitatis suae consortium rapiet. Nec in morte tantùm, sed ante mortem etiam spiritualiter eos inuisere solet. Oritur hîc quaestio. Quid enim sibi vult quod Saluator ait, se in hoc proficisci, vt locum discipulis inter caelestes illas mansiones pararet? Hae námque mansiones ab aeterno iam diuinae praedestinationis decreto electis omnibus paratae sunt: & quam quisque felicitatis mensurã sit percepturus, iam olim à Deo constitutum est. Est ita, fateor: sed qui in his mansionibus collocandi sunt, non sunt adhuc parati. Has námque mansiones non impuris hominibus, sed iustis, sed Dei amicis, atque adeò filiis charissimis (qui adoptionis iure in paterni patrimonij possessione collocandi sunt) Pater aeternus destinauit. At omnes posteri Adae, impuri, & in peccato cõcepti sumus, sicut Esaias ait: *Et facti sumus immundi omnes nos, & omnes iustitiae nostrae quasi pannus menstruatae.* Omnes item inimici Dei, omnes naturâ nascimur filij irae, omnes ferè multis criminibus alligati, & sempiternae mortis rei effecti sumus. Quocirca necesse est, impedimẽta haec, quae hominibus caelestis regni aditum intercludunt, amouere; vt digni efficiantur qui in illas mansiones admittendi sint. Christus suo incommodo mortis illas nobis parauit; ipse suo pretioso sanguine chirographum, quod erat nobis contrarium, deleuit. Ioannes inquit: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris*

Via qua ad Deum peruenitur.

Mansiones caelestes quibus paratae.

Esaiae 64.

Apoc. 1.

nostris in sanguine suo. Qui, inquit Apostolus, *dilexit nos, & tradidit semetipsum pro me.* Quî ergo fieri potest, vt non illum redamem, qui tanto me amore dilexit? Vnusquisque fidelium singulariter sibi impensum existimet. Vt enim solis lumen, quod omnia illuminat, non minùs vnicuique lucet, quàm si eum solum illuminaret: ita Dominicæ passionis sacrificium, quod pro omnibus oblatum est, non minùs vnicuique prodest, quàm si pro eo solo oblatum esset. Si bonitatis & beneficiorũ magnitudo ferrea etiam corda ad amorem excitat, quæ maior diuinæ bonitatis declaratio, quàm quæ in Christi passione & morte cõspicitur? Requirit autem hoc beneficium, vt amorem amore recompensemus: item ne amittamus quod Saluator tam immani odio exsecratus est, & patientes in laborum perpessione simus. Sic Apostoli in tormentis gaudebant, & martyres Christi. Cùm autem Saluator eos de mansionibus cælestibus certiores fecisset, Thomas (qui nondum hanc perceperat cælestem Philosophiam, sed de aliquo corporeo loco atque itinere Dominum loqui existimabat) *Domine*, inquit, *nescimus quò vadis; & quomodo possumus viam scire?* Quia enim Dominus paulò antè Petro dixerat: *Quò ego vado, non potes me sequi modò, sequeris autem posteà:* discipuli nihil his Domini verbis, nisi corporeum locũ intelligebant: ideoque Thomas suo & illorũ nomine rogat: *Domine, nescim⁹ quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Agit hîc Dominus cum discipulis, sicut egerat cũ Samaritana. Agebat Dominus de spirituali aqua; at carnalis mulier semper de materiali aqua Dominũ loqui arbitrabatur: loquitur hîc Dominus de suo trãsitu per mortem ad Patrem; at rudes discipuli, nihil horum assequentes, sola corporea loca & itinera cogitabant. Dominus tamen illis condescendit, & blandè loquitur, vt in viam adducat. Instruit igitur Thomã in hac Philosophia, & ad spiritualem inducit sensum, dicens: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Faxit autem idem Dominus, qui hæc aurea verba sanctissimo ore suo protulit, vt illorum nobis hodie sensum aperire dignetur. Video enim his pauculis verbis totam Euangelicæ Philosophiæ summam contineri. Itaque cùm Thomas & de via & de viæ termino interrogaret, Dominus vtrũque docet, cùm seipsum illi ostẽdit, qui simul & via & viæ terminus esset. Quia enim in ipso duplicem naturam confitemur & adoramus, humanam scilicet, & diuinam: per illam quidem via, per hanc autem viæ

Galat. 2. *Simile.* *Christi beneficia maxima.* *Act. 5.* *Ioan. 4.* *Discipuli Christi rudes.* *Euangelij summa quæ.*

Hilarius. terminus est. Itaque, vt Hilarius ait, nequaquam in erratica ducit ille, qui est via: nec illudit per falsa, qui est veritas: neque in mortis relinquit errore, qui est vita. Hac ratione Saluator omnibus omnia factus est. Ego sum via vitæ, veritas doctrinæ, vita salutis æternæ. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Sed nunc viæ termino prætermisso, de via differamus, de qua Dominus adiecit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, quia videlicet ego sum via, qua ad Patrem peruenitur. Necesse est sanè, vt qui ad vitam tendimus, viam, qua ad illam peruenitur, probè teneamus. Rectè enim dicitur, melius esse per viam claudis etiam pedibus

A via declinare. ingredi, quàm extra viam celeriter currere. Quo enim quisque celeriùs extra viam currit, hoc magis à via deerrat, atque declinat. Ideóque Propheta solicitè hanc viam rectam quæ-

Ierem. 6. rendam esse monet, cùm ait: *State super vias: & interrogate quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Quod eò diligentiùs curandum est, quò occultiora in hac via nobis ab antiquo hoste offendicula tenduntur. Qua de re Propheta queritur, cũ

Psal. 141. ait: *In via hac, qua ambulabam, abscõderunt superbi laqueum mihi.* Ne igitur in re tanti momenti fallamur, sciendum est, diuinam sapientiã, quæ homini, diaboli inuidia lapso, opem ferre decreuit, cùm multis hoc rationibus efficere potuisset, hanc commodissimam iudicasse: vt quia vnius hominis superbia & inobedientia exitium attulerat mundo, summa vnius Dei & hominis humilitas & obediẽtia (quæ vsque ad mortem crucis progressa est) salutem conferret mũdo. Hæc vnigeniti Filij Dei humilitas & obediẽtia Patrẽ cælestem

Roman. 3. nobis reconciliauit. Non igitur operum nostrorum merito, sed propter vindicis salutis nostræ sanguinem, idque gratis, saluamur. *Iustificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine illius.* Fides in Christum,

Fides radix salutis. est prima radix & origo nostræ iustificationis. Ex eius magisterio (nisi nostro vitio & arbitrij libertate impediatur) cætera omnia quę ad iustificationem sunt necessaria, oriuntur. Fides igitur non sola (ne quis vestrûm de sola sibi informi fide blandiatur) sed his virtutibus adiuta, iusti-

Simile. tiam & salutem parit. Vt enim sunt inter cibos aliqui per se quidem vtiles, qui certis tamen condimentis apparandi sunt, vt grati & suaues edentibus fiant: ita fides, vel informis etiam, inter Dei dona numeratur: quæ tamen spei, charitatis, & pœnitentiæ virtutibus, ceu condimentis qui-

busdam

busdam, perficienda & velut condienda est, vt & nobis salutaris, & Deo gratissima fiat. Iam facilè videtis, qua ratione Christus Dominus via esse dicatur. Quod quidem Christus non dissimili metaphora significauit, cùm ait: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.* Ipse nobis Patris præbet cognitionem: Patris item leges & præcepta, quibus itur ad cælum, planissimè nobis exposuit, imò & exemplis docuit. Ipse tanquam bonus pastor ante oues suas vadit. Ipse quoque nouæ legis sacramenta, quibus natura ægra sanatur, instituit. Est igitur Christus ad cælum via. Sed & per scalam, quam Iacob in somnis vidit, adumbratus est. *Ambula*, inquit D. Augustinus, *per hominem, & peruenies ad Deum. Nulli commodiùs viæ & scalæ nomen, quàm Deo & homini, conuenire potest.*

Fides vt salutaris. *Ioan. 10.* *Sacramenta Christus instituit.* *Genes. 28.* *August.*

Hæc tria nomina quæ Christo metaphoricè tribuuntur (quibus illum viam, ostiũ, & scalam appellamus) plurimum nobis ad pleniorem eius cognitionem conferunt. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Cognito Filio, qui est eiusdem cum Patre substantiæ, protinus & Pater ipse cognoscitur. Vnde ad Philippũ Saluator ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Qua ex re liquet, in perfecta Filij cognitione vitã æternam consistere, quando in ea Pater etiam cognoscitur: si tamen ea cognitio sit quam Ioannes definiuit, cùm dixit: *Qui non diligit, non nouit Deum.* Eius nomen & officium est Iesus, id est, Saluator. Artifices, qui victum sibi suis officiis exercendis parant, continenter labori incumbunt: totos enim se his operibus destinarunt: ita Christus Dominus, qui Saluatoris nomen & officium sortitus est, se quoque totum, atque omnem vitam suam, ad salutem hominum destinauit: quos omni ratione ad hoc iuuare nunquam in vita destitit. Hoc Christus tum ante passionẽ, tum quoque post resurrectionẽ abundantissimè præstitit. Nec solùm eo tempore quo inter homines versatus est, verùm etiam posteaquam mundum reliquit, & ad Patris dexteram sedet, hoc idem officium nunquã intermittit, sicut ipse ait: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horũ faciet: quia ego ad Patrẽ vado: & quodcunq; petieritis Patrẽ in nomine meo, hoc faciã.* hoc est, ego causã vestrã apud Patrẽ agã: & quod in nomine meo petieritis, impetrabo. *Ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad*

Ioan. 17. *1. Ioan. 4.* *Simile.* *Christi officium.* *Matt. 28.*

consum

Christus vbique Saluator.

Simile.

Seculariũ hominum studium.

conſummationem ſeculi. Tale diſcedens reliquit nobis ſolatium. His rationibus Ieſus noſter Saluatoris officium; naſcens, viuens, moriens, à mortuis reſurgens, in cælum aſcendens, & ad Patris dexteram ſedens, perpetuò exercet. Nobiſcum autem eſſe, eſt, nobis omni tempore adeſſe, nobis omni ratione prodeſſe, quę noſtra ſunt curare, & pro ſalute noſtra apud Patrem intercedere. Vt enim à niue frigus, ab igne calor, à Sole lumen oritur: ita, ac multò etiam magis, à perenni illo bonitatis fonte omnia bonitatis opera & officia manant. Quiſquis autem hoc cum animo ſuo attentiùs reputauerit, & quibus in rebus ſeculi homines amorem ſuum collocent, expẽderit: non poterit eos aut inſignis ſtultitiæ, aut ſingularis improbitatis nõ accuſare. Addit deinde Dominus: *Si cognouiſſetis me, & Patrem meũ vtique cognouiſſetis.* Hac oratione Dominus ſe viam eſſe ad Patrem, neminémque ad Patrem niſi per ipſum venire, confirmat planè, cùm ſubdit: *Si me cognouiſſetis, & Patrem meũ cognouiſſetis,* & ſic intelligeretis, quonam modo ego via ſim ad Patrem agnoſcendum, quando me cognito, cognoſcitur etiam Pater. Hoc autem ita eſſe, clariſſima illa duo Saluatoris nomina declarant. *Is* námque, vt Apoſtolus ait, *imago Dei inuiſibilis, idémque verbum Patris eſt.* Nihil autem rectiùs alicuius rei cognitionẽ, quàm eius imago præbet: neque quidquam aliud latentem animi noſtri ſenſum cõmodiùs, quàm verbum indicat. *Sunt enim,* vt ait Ariſtoteles, *ea quæ ſunt in voce, earum quæ ſunt in anima paſſionum notæ. Si me,* inquit, *cognouiſſetis, & Patrem meum cognouiſſetis.* Sed bono animo eſtote, *amodò enim cognoſcetis eum;* cùm videlicet Spiritus ſanctus mentes veſtras cæleſti ſapientia imbuet, pleniſſimámque diuinitatis cognitionẽ præbebit. *Et vidiſtis eum.* Quia videlicet cùm me vidiſtis, illum in me videre potuiſtis. Ad hæc Philippus, *Domine,* inquit, *oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Simili ignoratione ac tarditate Philippus, qua Thomas laborabat, nihil niſi corporeum, corporeiſque oculis videndum cogitabat. *Beati oculi qui vident, qui & credunt, quæ vos.* Inuiſibilis eſt Pater. Dominus Philippi tarditatem corripit, dicens: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? &c.* His quidem verbis Dominus ſe eſſe eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, aduerſus ſacrilegam Arrij impietatem, apertiſſimè declarat. Deinde diſcipulos docet, eam cognitionem, quæ de Patre haberi in hac vita ſolet (quando nequaquam illum per ſpeciem, ſed per eius opera

Coloſ. 1.

Ariſtoteles.

Pater in Filio videtur.

Lucæ 10.

cogno

cognoſcimus) iam dudum illos habuiſſe, cùm Filij opera vidiſſent Itaque ait: *Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Tanta inter me & Patrem meũ vnitas eſt, vt verba quæ ego loquor, ipſius quoque verba ſint: & inſignia miraculorum opera quæ ego facio, ipſe in me & per me exſequatur. Quocirca ſi me ex verbis & operibus meis iam pridem cognouiſtis, & Patrem meum vtique cognouiſtis: cùm hæc ipſa verba quæ audiſtis, & opera quæ vidiſtis, non minùs Patris quàm mea ſint. Atque vt huius rei fidem faceret, indiſſolubile argumẽtum ex diuinis operibus atque miraculis attulit. *Alioquin*, ait, *propter opera ipſa credite.* quæ cùm ſolius Dei opera ſint, Deum habes huius fidei auctorem ac teſtem: qui vt naturam vniuerſam omnipotenti virtute condidit: ita eandem pro arbitratu ſuo variè verſat ac voluit. Tanta eius eſt potentia, & hanc facultatem in ſe credentibus conferre non dedignatur. Petrus ſola corporis vmbra omnia morborum genera depulit, & in vno die quinque millia ad Chriſtum conuertit. Adſit nobis Deus ſemper.

Pater per opera cognoſcitur.

Act. 5.

IN NATIVITATE SANCTI IOANNIS BAPTISTAE, CONCIO: IN qua & lectio Euangelica explanatur, & Ioannis virtutes & laudes explicantur.

THEMA. *Erit magnus coram Domino: vinum & ſiceram non bibet.* Lucæ 1.

ECCLESIA hodie, Auditores, præcurſoris Domini natalem diem communi lætitia celebrat: natalem, non quo ad immortalitatem, melioris vitæ conditionem, natus eſt: ſed quo ex vtero matris in hanc ærumnoſam vitam editus eſt. Et mirandum cur Eccleſia maiori ſolennitate diem hunc celebret natiuitatis, quàm illum in quo per glorioſam mortem ad beatam vitam feliciſſimè eſt renatus: præſertim cùm Eccleſia in feſtis ſanctorum, non dies quibus in hanc vitam ingreſſi ſunt, ſed quibus in alteram demigrarunt, ſolenni ritu honorare ſolita ſit, eóſque natales eorum appellare. Ad hoc reſpondemus,

Ioãnis natiuitas cùr ſolennius celebretur.

demus, Ecclesiam in Ioannis festo nō illud inspexisse, quo illi commodius & gloriosius fuit, sed quod vniuerso ori salutarius & iucundius erat. At Ioannis natiuitas, Christi natiuitatem, cuius ipse præcursor erat, mundo nunciauit quo nuncio nihil mundo faustius atque felicius potest
Ioan. 1. nunciari. De Christo ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quid iucundius mundo nunciari potuit quàm aduenisse Agnum illū sine peccato, qui tolleret peccata mundi? Peccato nihil nocentius. *Iniquitates vestræ*
Esaiæ 59. (inquit Propheta) *diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exau-*
Lucæ 1. *diret.* Non temerè Angelus Domini ad Zachariam patrem Ioannis ait, multos in natiuitate Ioannis gauisuros. Multi in hoc die gaudent fideles & infideles: illi tamen potissimùm sincerè gaudent, qui peccatum summum malum esse statuunt, qui peccatum morte peius oderunt: qui quando (quæ est humana infirmitas) in peccatum labantur, ita anguntur & mœrent, vt cum Propheta dicere possint: *Miser factus sum, & curuatus vsque in finem.* Qui ergo tanta cordis amaritudine, tantoque lacrymarum imbre peccata deflent, vt penè oculorum lumen amittant: qua animi alacritate, quo plausu hoc felicissimum Ioannis nuncium excipient: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* Tales hoc nuncio præ lætitia gestire sibi videntur, quòd adsit iam cælestis medicus, qui lethalia eorum vulnera sanet. At mali, nihil hoc nuncio afficiuntur: illi in rebus pessimis exsultant. Non omnes gaudent, sed multi. Imploremus diuinum numen.

Peccatum summum malum.

Psal. 37.

AVE MARIA.

Inter omnes præcursoris laudes, non postrema illa est, quòd Prophetas, quòd Angelos, quòd Euangelistas, quòd ipsum Dominum habere meruerit laudatorem. Prophetæ illum appellant Angelum? Angeli magnum coram Domino
Mal. 5. *Matt. 11.* prædicant: Christus Dominus maximum inter natos mulierum testatur: Euangelistæ verò gesta eius, & mirabilem vitæ sanctitatem satis literis commendarunt: vt cum gestis Domini Saluatoris, gesta quoque præcursoris Euangelica auctoritate comprobarent. Quid autem de illo scripserint, iam nunc expendere incipiamus.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidā, nomine

Zacha

Zacharias, de vice Abia: & vxor illius, &c. Hæc prima præcursoris laus, à iustis parentibus esse prognatum. *Adulterinanámque plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt*: ab iniquo enim thoro semen exterminabitur. Ioannis parentes ambo erant iusti ante Deum. Magna sanctitatis commendatio, iustos esse ante Deum, qui est discretor cogitationum & intentionum cordis, qui solus veram ac falsam iustitiam discernere potest. *Itaque*, inquit Apostolus, *nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Pharisæus ille reputabat se iustum, imò iustificabat se coram hominibus. Dominus non quid faciant homines, sed qua mente, quo affectu faciant, præcipuè animaduertere solet. Qua de causa per Zachariam populo suo improperat, quòd religionis opera, quæ aliquando edebat, non ad Dei gloriam, sed ad suam cupiditatem referebat. Improperat Dominus, quòd recta non rectè faciebant, quando bona opera non ad Dei gloriam, sed ad suam commoditatem referebant. Multos autem hoc eodem morbo apud nos laborare arbitror. Amor enim sui vehemẽter omnia ad suam commoditatem trahere nititur. At sancti isti coniuges iusti ante Deum erant, quia illud Apostoli præceptum implere satagebant: *Omnia vestra in charitate fiant.* In templo Salomonis omnia erant aurea: ita nihil in spirituali Dei templo, hoc est, in viri iusti anima, esse deberet, quod non charitatis auro vestiretur. Addit etiã Euangelista: *Incedentes in omnibus mãdatis & iustificationibus.* Mandata Dei iustificant homines. Sunt inter aues, ac præcipuè inter perdices, quædã, quibus aucupes vti solent, vt earum cantu alias illaqueare possint: quæ quidem duplici nomine in pretio habentur: & quòd ad vescendũ aptæ sint, & quòd earum adminiculo alias captẽt. Simile quiddam in virtutum aucupio inuenire licet: quarũ illæ quidem plurimi faciẽdæ sunt, quæ nos ad alias adipiscendas plurimum iuuant. Inter has autem principem sibi locum vindicat charitas, *quæ patiens est, benigna est, quæ non æmulatur, non cogitat malum, quæ omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat*: quam hoc ipso nomine virtutibus cũctis anteponimus. Hi ergo beati Ioannis parentes vtrasq; virtutes studiosissimè colebãt: *Incedentes in omnibus mãdatis & iustificationibus Domini sine querela.* Sine querela, non solũ ante Deũ, sed ante homines etiam iusti

Sapien. 4.
1. Cor. 4.
Luc. 16. 18.
Zach. 7.
Opera bona rectè facienda.
Parentes Ioãnis iusti.
2. Cor. 16.
Simile.
Charitas obtinet primũ locum.
1. Cor. 13.

iusti erant: prouidentes scilicet bona nō solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: illud diligentissimè curantes, ne cui, verbo aut facto, offendiculo esse possent. Hoc vbique cauet Apostolus: *Nemo ergo nostrûm solo conscientiæ suæ testimonio contentus sit: oportet enim habere bonum testimonium & ab his qui foris sunt, ne cuiquam offensionis occasionem præbeamus.* Sic Iudith insignis vidua vitam instituit, vt non esset qui de ea loqueretur malum verbum. Talis autem horum beatorum coniugum erat vita, qui in omnibus mandatis Domini sine querela incedebāt. Addit deinde Euangelista: *Et non erat illis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Multi insignes viri ex sterilibus parentibus Deus nasci voluit, vt Isaac, Iacob, Ioseph, Samuel, Samson, item beatissimam matrem Domini. Multæ sanè sunt causæ, sed illa tamen præcipua est, quòd cū electos suos Dominus insigni aliquo munere afficere vult, eo tempore atque eo modo afficit, quo apertè liqueat, diuinum illud beneficium, non humanum opus exstitisse, ne homo habeat superbiendi materiam. Sic in Gedeone videre est, qui dimissis maximis copiis, trecentis innumerabiles hostiū copias fudit. O si hoc nobiles diuites cogitarent & agnoscerent! non vtique animis efferrentur, non sic insolescerent, non sic dilapidarent sua: intelligerent se dispensatores esse. Felices profectò quibus vtrique Dominus donauit: infelices verò quibus hoc datum non est, quibus diuina dona & beneficia in malum suum vitio suo versa sunt. Sequitur deinde: *Factum est autem cū sacerdotio fungeretur Zacharias.* Siendum est in loco hoc, in tabernaculo Domini extra velum (quo Sancta sanctorum tegebantur) altare aureum ex præcepto Domini cōstitutum fuisse: à dextra verò læuáque altaris huius candelabrū aureum, & mensam quæ propositionis panes continebat. In hoc autem altari bis in die soli sacerdotes thus Domino, siue thymiama addebāt. Semel autem in anno, septimo mense, in die qui expiationis vocabatur (quo videlicet Israëlitici populi peccata expiabātur) solus summus Sacerdos, vel qui eius vices gereret, ingrediebatur, vt pro peccatis populi Dominum precaretur. Quo tempore nequaquā populo licebat in atriis templi orare (quod aliis tamen temporibus licebat) ideóque hoc in loco dicitur, populū foris ad orandum stare. Cùm ergo Zacharias, vices summi Sacerdotis gerens, in Sancta sanctorum esset ingressus, *apparuit ei Angelus Gabriel,*

Roma. 14.
1. Cor. 8.
Sterilium parentū filij magni.
Iudic. 7.
Leuit. 23.

briel, stans à dextris altaris incensi. Ex qua quidem figura & loco facilè liquet, in humana specie Angelum apparuisse. Stare enim, & à dextris stare, ad humani corporis figuram pertinent. *Angelus in humana specie visus.* Eius verò conspectu vehementer Sacerdos perterrefactus est. Sic etiam pastores illi, quibus Domini natiuitas ab Angelo nunciata est, timuisse dicuntur timore magno. *Lucæ 2.* Hoc eodem modo Daniel Angelici fulgoris cõspectu sic exanimatus est, vt in terram corruens, respirare vix posset: *Dan. 10.* vsque adeò Angelicæ dignitatis sublimitas, humanæ naturæ conditionem superat. Iubet tamen Angelus Domini bono esse animo, dicẽs: *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & Elizabeth vxor tua*, &c. Nemo putet hoc in loco Zachariam pro impetrãda sobole Domino orationem fudisse: *Zacharias exauditus.* quandoquidem publicus minister publicam illo expiationis die populi causam agebat. Senex iuuentutis vota non præsumpsit. Dum solicitus pro populi salute supplicat, promissus est ei talis filius, per quem populus saluaretur. In tãtum verò pro suscipiendo filio non orauit, vt hoc fieri posse, Angelo promittenti non crederet. Addit deinde Angelus nasciturí filij nomen. *Et habebit*, inquit, *nomen Ioannes*, quod interpretatur donum Dei & gratia. *Ioannes quid significet.* Cur tanta Deo nominis electorum suorum cura fuit? Certè vt hac ratione & donorum suorum magnitudinem declararet, & donorum memoriam commendaret: vt si quando humana illis obliuio obreperet, ipsa nominis appellatio & parentes & filios ad recolendam Domini beneficentiam inuitaret, atque ita magis in benefactoris dilectione proficerent, maioribusque donis digni haberentur. Incipit deinde cælestis legatus nasciturí filij laudes explicare. *Erit*, inquit, *magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet.* Alij coram hominibus, alij coram Deo magni esse perhibentur: horum autem vera magnitudo; illorum verò, si priori conferatur, magna non est. Hæc enim magnitudo constat ingenti patrimonio, splendida mensa, & corporis cæteris deliciis: *Magnus qui fiat.* at verò coram Deo magnitudo, diuersa ratione in horum omnium contemptione, cælestiumque bonorum possessione consistit. Talis erat Ioannis magnitudo, qui his omnibus fortunæ opibus destitutus, deserto pro domo, solitudine pro familia, cilicio pro vestibus, & locustis melleque siluestri pro variis ciborum deliciis vtebatur. Locustæ, de quibus sermo est, herbarum radices esse à multis credũtur, quæ nec ignis vsu, nec vlla conditura egent. *Locustæ radices terræ.* Aliud est, semel in

vita his omnibus renunciasse; aliud, singulis per omnem vitam diebus crucem abstinentiæ ferre, & corpori delicias suas auidissimè exquirenti, pro dulcibus epulis amara fercula ministrare. Duæ rationes adducuntur, quare tum Ioannes, qui nullo modo peccare potuit, tum Anachoritæ corpora sua tam arctè disciplinarunt. Vna est, quòd hac ratione viri sancti omnium peccatorum occasiones velut vno ictu abscindere volebant. Constat enim ex Apostoli sententia, malorum omnium radicem esse cupiditatem. Isti sancti homines canes è Nilo bibentes imitati esse videntur, quos ferunt currentes aquam paulatim attingere magis quàm bibere: ne videlicet, si aliquam in bibendo moram fecerint, à crocodilis, cæterísque serpentibus, qui in eo flumine abundant, dilacerentur. Ad hunc ergo modum viri sancti humanæ vitæ subsidia parcissimè ex venenato huius mundi flumine carpebant: ne, si pleniùs eo sese ingurgitare vellent, commercium cum eo habere cogerentur, & lethali serpentum morsu, qui in eo plurimi degunt, sauciarentur. Hæc igitur prior huius tantæ asperitatis causa exstitit. Altera est, hoc omnibus viris sanctis propositum esse, vt omne tempus, quo de Deo non cogitarent, vel diuina præcepta non exsequerentur, reputant se perdidisse. Volunt esse à terrenis curis liberi atque soluti, vt in sublimia possint ferri. Itaque aquilarum naturam imitantur, quæ semper in sublime volant, nec ad terram deprimuntur, nisi cùm fame vrgentur, quam cùm expleuerint, protinus supera loca repetunt. Talis fuit S. Franciscus, tales omnes antiqui eremi Patres: tales filij Prophetarum, qui (vt testatur D. Hieronymus) veteris testamenti monachi fuerunt. Talis hic Ioannes Baptista; qui vt cæteris dignitate superior, ita in victu & cultu parcior exstitit. Nos aliter sapimus, omnes nostras curas & cogitationes ad terrena bona conuertimus. Dubium sane an cum istis partem habituri simus. Sed ad finem properantes, cùm hanc abstinentiæ laudem, multásque alias Zachariæ Angelus enunciasset, ille tantarum rerum magnitudine stupefactus, hæsitare de Angelica promissione cœpit. Quam is culpam nouem mensium silentio castigauit: quod tamen in filij natiuitate solutum est. Tunc enim laxatum est vinculum linguæ eius, & loquebatur benedicens Deum. Qua ex re diuinæ misericordiæ lenitatem D. Ambros. collegit, his verbis: *Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgen peccatis. Non solùm ablata restituit, sed etiam non sperata concedit.*

Monachi arctißimè viuebant.

Simile.

Simile.

Monachi olim quales.

Ambros.

concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conſcius delictorum, præmia diuina deſperet. Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. Quia verò Zacharias Sacerdos ſacerdotij & legis veteris typum gerit, non ſine myſterio is ante Ioannis natiuitatem mutus; in Ioannis verò, id eſt, gratiæ natiuitate, eloquens factus eſt. Hac enim imagine intelligimus, legem ante Ioãnis aduentum elinguem & mutam, hoc eſt, obſcuram & inacceſſam fuiſſe, quæ tamen poſt eius aduentum in Euangelij luce patefacta eſt. Vbi enim innocentiſſimi agni ſanguine & ſacrificio, à diaboli ſeruitute & poteſtate mundus eſt liberatus, & peccata hominũ expiata, tunc apertè fideles intellexerũt, quid ſibi omnia illa veteris legis ſacrificia, effuſuſque pecorum ſanguis deſignaret. Hoc æſtimari vtcunque poteſt, verbis explicari non poteſt. Hæc ergo tanta Seruatoris noſtri charitas, Auditores, tanta bonitas & miſericordia acerrimos nobis ſtimulos addere debet, vt tantæ ſalutis auctorem colamus & veneremur, illius laudes exemplo Zachariæ, perpetuò decantemus, illum toto pectore diligamus; vt cæleſtis hæreditatis patrimonium percipere mereamur. *Sacrificia quid deſignarint.*

Elizabeth, inquit Euangeliſta, *impletum eſt tempus pariendi.* Sicut aurora inter diem & noctẽ media eſt, partẽ quidem diurnæ lucis, partem verò tenebrarum & noctis continens: ita Elizabeth, dum ſterilis eſt, veterem legem deſignat; dum verò Ioannem, id eſt, gratiam parit, Euangelicæ vbertatis gratiam repræſentat. Sterilis enim erat lex, quæ literam occidentem, non ſpiritum viuificantem habebat: ideóque (vt Apoſtolus ait) neminem ad perfectũ adduxit. *Et audierunt*, inquit Euangeliſta, *vicini & cognati eius*, &c. Apertè homines hunc partum diuinæ miſericordiæ tribuebant: quia in eo duplex fœcunditatis impedimẽtum, ſenectutis videlicet ac ſterilitatis, diuina virtute ſublatum eſt. Atque hac potiſſimùm de cauſa in deſperata parentum ætate Ioannem Dominus & concipi & naſci voluit, vt liquidò homines eam ſobolem nõ humanæ virtutis, ſed diuinæ gratiæ beneficium eſſe agnoſcerent; atque hoc argumento & Deo in rebus etiam deſperatis fidere, & beneficiis eius grati eſſe addiſcerent. Sequitur deinde: *Et factum eſt in die octauo, venerũt circumcidere puerum*, &c. Verè ita eſt, quia cùm Ioãnis nomen gratiam ſignificet, quamuis multi eſſent qui hoc nomine vocarentur, pauci tamen erant in quos nominis huius ratio caderet, donec ille veniret, de cuius plenitudine omnes *Simile.* *Hebr. 7.* *Ioãnes diuino munere natus.*

acciperent gratiam pro gratia; hoc est, propter singularem aduentus sui gratiam, ipsi quoque gratiã acciperẽt, quæ illos Deo gratos efficeret. Hanc autem de Ioannis nomine controuersiam Zacharias pater diremit, qui rogatus filij nomẽ postulatis pugillaribus, cum piæ vxoris voluntate consentiens, scripsit, *Ioannes est nomẽ eius.* Imposito ergo à patre nomine, *Apertum est illicò os eius, & lingua eius: & loquebatur, benedicẽs Deum.* Quibus verbis benedicebat? *Benedictus,* ait, *Dominus Deus Israël: quia visitauit & fecit redemptionẽ plebis suæ,* &c. Dum ergo Ioannes nascitur, diuturnum patris silentium soluitur: nec soluitur modò, sed etiam prophetico spiritu loquẽtis pectus impletur. Vt enim vtero matris inclusus, gaudio suo matrem & Spiritu sancto impleuit: ita cùm in lucem fuit editus, patrẽ eodem Spiritu repleuit. Quo Spiritu actus, pulcherrimum illud carmen edidit, quo humanæ redemptionis beneficium celebrauit. Qua in re non paruâ admiratione dignũ est, quòd cùm sanctus hic Sacerdos tam nouis atque miris à Deo beneficiis, tali præstito filio, fuerit ornatus, sic tamen summi huius beneficij magnitudine stupefactus sit, vt eorum omnium quodammodo oblitus, hoc solũ prædicet, & pro hoc vno deuotissimas Domino gratias agat. Et quidẽ amissam loquendi facultatem recepit: Spiritu sancto & Prophetico lumine repletus fuit: Euangelij arcanum, & incarnationis Dominicæ sacramentum, Spiritu docẽte cognouit ac cecinit: filium desideratissimum, tot titulis insignem, recepit; nec filiũ modò, sed Prophetã, & plusquam Prophetam, sterilitatis macula è domo sua, cũctis admirantibus & gaudentibus, deleta: & tamen tot beneficiorum, quæ illius animum mirè exhilarare atque afficere poterãt, velut oblitus, pro hoc ineffabili cõmunis salutis beneficio gratias agit, dicens: *Benedictus Dominus,* &c. visitauit enim nos apparens in carne Dominus, & lõgiùs à se recedentes ineffabili

Deus visitauit nos. benignitate quæsiuit. Visitauit quasi medicus ægrotos; qui vt inueteratum superbiæ nostræ morbum sanaret, nouũ nobis stupendæ humilitatis suæ exemplum, velut antidotum salutare, adhibuit. Fecit verò redemptionem plebis suæ, qui venundatos homines sub peccato, & antiqui hostis seruituti addictos, oblato sanguinis sui pretio redemit. Vnde opportunè nos hortatur Apostolus, dicens: *Empti estis pretio*

1. Cor. 6. *magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Plebem autem suam appellat, non vtique quam veniens plebem suam reperit, sed quam visitando & redimendo suam fecit.

ORATIO AD SANCTVM IOANNEM BAPTISTAM.

TV sancte puer, qui in squalenti deserto, sine præceptore, sine literarum studio, sine coæuis pueris versaris, quid hîc negotij geris? quomodo vitam hanc, rerũ omnium indigam, ferre potes? vbi habitas? vbi cubas? vbi ab iniuriis & clementia cæli defenderis? vnde tibi cibum, vnde vestem, vnde reliqua ad vsum vitæ necessaria paras? Quænam hæc est professio quam profiteris? Cur tam rigidum vitæ propositum arripuisti? quod scelus tuum? quæ crimina in tam tenera ætate admittere potuisti, quæ tam aspera vitæ institutione luenda sint? Ad hæc quid ille respondere potuisset, nisi se à Spiritu sancto in illam solitudinem aduectum, illius ductum sponte secutum fuisse? Nec mirum esse, puerum in deserto solitariam vitam agere, qui in visceribus matris delitescens, auctorem suum diligere, colere, & venerari iampridem cœpisset.

Erat Ioannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos. Matth. 3.

Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. Ioannes ab omni populo habitus est pro Christo. Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne. Luca 7. Ioan. 1. Luca 3. Matt. 10.

IN FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur; atque in fine de Petri fide, & Pauli charitate disseritur.

THEMA. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth. 16.

HODIE, dilectissimi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli natalitia celebramus: quorum alter singulari Dei beneficio ex piscatore doctor; alter ex persecutore fidei, factus est propugnator eius atque defensor. His autem duobus ministris potissimùm

Dominus ad Ecclesiam suam erigendam & stabiliẽdam vti voluit: vt quo huius tanti operis ministri inferiores erant, eo eius gloria esset illustrior. Sicut enim Dauidis victoriam aduersus Philisthæum celebramus, quòd inermis puer armatum gigantem solo fundæ ministerio prostrauerit; & Samsonis fortitudinem commendamus, quòd mandibula asini mille viros occiderit, & castra fuderit Philistinorum: ita Dei nostri omnipotentiam prædicamus, quòd duodecim piscatorum ministerio totam mundi potentiam fregerit, aras idolorum euerterit, & Ecclesiam suam stabilierit. In quo quidem opere duo isti Apostolorum principes supra cæteros desudarunt. Hi námque sunt duo luminaria magna, quæ Dominus in Ecclesiæ suæ firmamento posuit, vt eam tum doctrinæ splendore, tum vitæ sanctitate illuminarent. Sunt item duæ cælestes tubæ, quibus Euangelij vox per vniuersum mundum insonuit: quod breuissimo temporis spatio (vt Apostolus ait) prædicatum est in omni creatura, quæ sub cælo est. Sunt fortissimi duces Christi, quibus ipse mundum sub imperium atque ditionem suam subiunxit. Paulus, vt doctor Gentiũ, Gentes expugnauit; Petrus Iudæis Euangelium prædicauit. Cùm ergo duo isti fortissimi duces, subacto iam & deuicto mundo, cælestem Hierosolymam sanguine laureati ingressi essent; alter crucis, alter ensis insignia in triumpho secũ ferentes: qua quæso cælestis curiæ alacritate, hodierna die illos exceptos fuisse arbitrabimur? Quòd si Roma olim tanta hominum frequentia & communi lætitia Imperatorem aliquem è bello redeuntem excipiebat, qui prouinciam aliquam aut amplum regnum populi Romani imperio adiunxisset: qua alacritate in cælesti hodie regno recepti sunt, qui tot prouincias à tyrannico principis huius mundi dominatu ereptas, ad lucem veritatis attulerunt, & legitimo Christi Domini imperio subdiderunt? Gaudet cælum, gaudet terra: adhuc loquuntur. Imploremus diuinum Numen.

Petri & Dauidis cõparatio.

Iudic. 15.

Apostoli tubæ.

Roman. 1.

Triũphus olim Romæ quantus.

AVE MARIA.

Fides salutis fundamentũ.

Cùm mediatoris & seruatoris nostri fides, totius Christianæ religionis & salutis nostræ fundamentum sit, hanc præcipuè cælestis magister in discipulorum mentibus plantare & stabilire curauit. Ad hoc autem commodissima ratione vsus est. Vocatis enim iis ad se, ait: *Quem dicunt homines esse*

Filium hominis? Hac interrogatione Dominus exemplo suo non solùm Ecclesiæ præfectos, sed vnũquemque etiam nostrûm admonet, vt fideles amicos, quid de nobis sentiant, interrogemus; & ipsi etiã nos ipsos, seposito nostri amore, nõ semel aut iterum, sed quotidie perscrutemur, & apud nos ipsos causam dicamus, & à nobis ipsis, cùm opus ita fuerit, vapulemus, si quid præter decorũ aut modum deliquimus. Quisquis enim hac ratione vitam suam expenderit, breui à consuetis vitiis liber erit. Ad hoc studium multi Patres nos adhortantur. Quod quidem consilium adeò salutare est, vt cùm nihil in vita magis homini quàm diuinum iudicium formidandum sit, in quo de tota æternitate sententia ferẽda est; huius tamen iudicij periculum euadat, quisquis hoc modo seipsum quotidie iudicat, Apostolo attestãte, qui ait: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Quisquis enim hoc facit ante iudicium parat iustitiã, atque ita dicere ad iudicem poterit: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia ego iam Apostoli tui voce iudicaui me. Quis autem ex nobis huius tanti periculi metu seipsum introspicit, vt sic tandem ante formidabile illud tribunal iudicatus appareat, non iudicandus? Cùm ergo Dominus ac Saluator noster hoc à discipulis quæsisset, illi varias vulgi hac de re sententias protulerunt: *Alij, inquiunt, Ioannem Baptistam, alij verò Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Credebant hi forsitan (vt Pythagorici Philosophi tradunt) animas in corpora migrare. *Vos autẽ*, inquit, *quem me esse dicitis?* Magnã hæc prima vox emphasim habet. Perinde enim est ac si diceret: Populus, qui operum meorum virtutem non agnoscit, ista fabulatur: vos ergo, qui mihi perpetuò assistitis, qui doctrinam meam quotidie auditis, & miracula videtis, vitam meam contemplamini, *quem me esse dicitis?* Videtis quomodo maiorem diuinitatis cognitionẽ ab his exigebat, quàm à populo: sic etiam plus aliquid in extremo iudicio requiretur à Sacerdotibus, quàm ab aliis. Hi gloriantur Petro auctore, hi quotidie manibus tractant Filium Dei, sunt dispensatores gratiæ & sanguinis Christi, qui claues habent regni cælestis, qui Angelorum officium in terra gerunt, qui sunt sal terræ. *Vos quid dicitis?* Cùm ergo Dominus, quam de se opinionem discipuli haberent, interrogasset; Petrus corporea transcendens, & supra humanæ naturæ conditionem elatus, confitetur in Christo gloriam diuinitatis: quia non ad

Examen conscientiæ nostræ.

1. Cor. 11.

Psal. 142.

Sacerdos quid scire debeat.

Fundamẽtum religionis nostræ fides.

solam respexit substantiam carnis & sanguinis. Religioni nostræ fundamentum est fides in Christum. Cùm Dominus discipulos suos in hac fide stabilire atque solidare vellet, singulari ad hoc modestia & prudẽtia vsus est. Cùm enim ipse (cui omne cor patet) optimè nosset, quid in discipulorũ pectoribus esset, voluit vt Petrus verum de eo testimonium ferret. Quod cùm ipse probasset, & merita laude & officij dignitate remunerasset, cæteri deinde Petri confessione discerent, quid de ipso credere & sentire deberent. Hoc enim docendi genus longè modestius fuit, quàm si ipse dixisset, Ego sum Filius Dei viui. Qua quidẽ modestia post ablutionem pedum, Apostolorum vsus est, cùm ait: Vos vocatis me magister & Domine. hoc enim verecundius dicitur, quàm Ego sum magister & Dominus. Petrus: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei viui.* Petrus itaq; in carne positus, mensuram carnis egressus, Christum Iesum Dei viui Filium confitetur, & quod omnium mortaliũ pectus latebat, prima Petri lingua nouo est sermone confessa. Cui Dominus, *Beatus es*, inquit, *Simõ Bar-Iona: quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi*, &c. Nouo illum nomine Petrum appellauit, qui anteà Simon appellabatur. Vt enim cùm Abram multarum gentium patrem constituit, nouum illi Abrahæ nomen indidit, quòd hanc numerosam filiorum propagationem significabat: ita cùm Simonem solidissimum & sempiternum Ecclesiæ fundamentum constituere voluit, nouo Petri siue Petræ nomine appellauit, vt ipsum etiam nomen officij dignitatem & stabilitatem significaret: quam protinus apertè declarauit, cùm subdit: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eã.* Hic Leo Papa: Ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam meam. Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim immobilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris: vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Dominus prædicit futuram Ecclesiæ impugnationem, & eiusdem firmitatem. Quot enim bella aduersus Ecclesiam concitata sunt! quot exercitus instructi! quot arma mota! quod non afflictionum & vindictæ genus excogitatum! proscriptiones, aliáque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda! Atque hæc non ab extraneis, verùm etiam à nostris domesticis. Neque enim ciues cum ciuibus,

Modestia Christi in docendo.

Ioan. 13.

Maximus

Genes. 17.

Petrus quid significet.

Ecclesia persecutionibus nunquam expugnata.

Hæretici domestici hostes.

tibus,verùm etiam cognati cum cognatis, domestici cum domesticis,amici cum amicis conflictabantur:nihil tamen horum dissoluit Ecclesiam, ac ne inferiorem reddidit. Tenera Ecclesia ita adorsa est,nec succubuit:quid iam faceret stabilita? *Et tibi dabo claues regni cælorum*,&c. Quid, Auditores,magnificentius Petro? inquit Maximus,qui tantæ cōfessionis merito, cùm corruptibili adhuc esset in corpore & necdum ipse adscendisset in cælum, regnum illi cæleste, & claudere & aperire concessum est. Hæc autem potestas, quæ singulariter Petro,tanquam Ecclesiæ principi, cōcessa est,in cæteros deinde eiusdem Ecclesiæ ministros deriuatur, quorum ministerio fidelibus cæli portæ reserantur:dū enim à peccatis soluuntur,idonei fiunt, qui in cælesti palatio recipiantur: vt hoc argumento intelligatis, quāta sit veræ pœnitentiæ,& puræ confessionis sublimitas,qui frequēter homines è statu damnationis in statū transfert æternæ salutis. Non solùm pro se Petrus has accepit claues,sed etiā nobis. Hæc autem gratia non ad legem, sed ad Euangelij dignitatē & gloriam maximè pertinet. Est autē latum inter Legem & Euangeliū discrimen. Lex terret, Euangelium consolatur. Lex viam in cælum ostendit, Euangeliū vires ad ingrediendum præbet. Euangelium felix & faustū nuncium significat,quo Deus nos in gratiam & amicitiā suam per Christum recipit. Ad Euangelicam lectionem in Ecclesia assurgimus,ad Prophetarum ac Apostolorum lectiones sedemus. Quanta illa Dei nostri bonitas & clementia,quæ claues cæli homini in terra degenti tradidit! Aperi tu Ecclesiæ ministro crimina tua, & aperietur tibi cælum : non est opus maria transfretare. Christus dilexit nos, & lauit à peccatis nostris. Est igitur Euangelium faustissimum nuncium, quo pœnitentes animas suas sanctificant, iis tamen qui oblata salutis medicamenta respuunt (dum illis,nisi vi coacti, vti nolunt) eorum quidem vitio infelicissimum est: quando in extremo illo iudicio (quod cuique in morte imminet) nihil habebunt quo socordiam & improbitatem suam tueantur,cùm gratis oblatum salutis beneficium accipere noluerunt.

Maximus

Potestas ligandi per Petrū sacerdotibus concessa.

Legis & Euangelij discrimen.

Euangelium facit assurgere.

Apoc. 2.

Hactenus de Euangelica lectione:nūc ad beatissimorum Apostolorum laudes prædicandas orationem cōuertamus.

Hodie nāmque,Auditores,Ecclesia beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli agonem & mortem festiuis gaudiis celebrat. Gloriosi enim principes terræ, quo modo in vita

sua dilexerunt se,ita & in morte nõ sunt separati. Morte autem,humano iudicio,nihil horribilius. Hodie Petrus crucifixus est, hodie Paulus decollatus est. Hæc hodiernæ causa festiuitatis,hæc præsentiũ materia gaudiorũ. In conspectu Domini mors pretiosa sanctorum. Visi enim sunt oculis insipientiũ mori,illi autem sunt in pace. In paucis quidem vexati, &c. Quomodo autẽ hi duo Ecclesiæ principes fuerint à mundo vexati,& qua animi fortitudine atque constantia eius infestationem pertulerint,exponemus breuiter.

Psal. 115. *Sapien. 3.*

Primùm quidem Petrus ab Herode captus, & in carcerẽ coniectus, ac morti adiudicatus, populóque post Pascha producendus, vt sanguine suo inimicorum sitim atque rabiem satiaret; tamen inter duos milites accubans, vinctus catenis duabus, dormiens ab Angelo excitatus & liberatus est. Per orationes Ecclesiæ liberatus est. Tandem spõte sua, nullo adigente,se morti obtulit. Cùm enim ad importunas fidelium preces Roma egressus esset, vt mortis periculum effugeret, obuiam in itinere Christum habuit. Rogatus à discipulo quonam iret, Vado,inquit, Romam iterum crucifigi. Verùm discipulus magistri intelligens mentem, in vrbem sponte reuersus, ad crucis supplicium damnatur: vt quẽ in vita prædicauerat,morte quoque imitaretur. Quod ille supplicium adeò sibi gloriosum duxit, vt honoris partem refugiens,non sublimi capite,sed ad terram depresso, stipiti affigi postulauerit, ne parem cum Domino suo gloriam sortiri videretur. Sic igitur Petrus agonem suum feliciter consummauit, admirabile humilitatis & constantiæ exemplum morte sua Ecclesiæ sponsæ relinquens, quod vtinam ante oculos haberemus.

Act. 12. *Petrus è carcere liberatus est* *Petrus crucifixus.*

De eius verò coapostolo Paulo quid dicendum? quibus verbis & laudibus eius virtutes & certamina celebrabimus? Certè non aliis quàm quibus eum Dominus commendauit. Ananiæ enim dicenti, Domine,audiui à multis de viro hoc,quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem,&c. Dominus respondit, Vade, quia vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël. Ego enim ostendam ei,quanta oporteat eum pati pro nomine meo. Quibus verbis singularem Pauli patientiam, & laborum tolerantiam (prætermissis aliis eius laudibus atque virtutibus) extulit. Non enim dixit, Ego illum in tertium cælum atque in paradisum rapui : ego illi arcana cælestia, quæ non licet homini loqui, declaraui : ego illum

Act. 9. *Pauli conuersio.*

docto

doctorem Gentium, & magistrum, & Apostolum creaui: *Patientiæ*
horum nihil dixit, sed tantùm patientiæ meminit: tantum *dignitas*
in hac virtute dignitatis est. Solent qui vehementer amant, *singularis.*
amoris affectum verbis amantissimis prodere. Ex abundan-
tia enim cordis os loquitur. Quæ mater, quæso, amantis-
simum infantem adeò blandis verbis & nominibus com- *Philip. 1.*
pellaret, sicut iste suos? Apostoli verbis non video quid *Philip. 4.*
amantius dici potuerit. *Charitatis esse, gaudere cum gau-* *Roma 12.*
dentibus, & flere cum flentibus, idem Apostolus ait: hoc est, *1. Thes. 3.*
aliena commoda & incommoda propter eandem amoris
communionem sua reputare, sícque vt suis, non vt alienis
affici: quod ab inuidiæ liuore alienissimum est. Ab hoc au-
tem vitio Paulus fuit alienissimus. Aliena verò mala quo
affectu vir diuinus se lugere testatur! Quis in verbis Pauli *2. Cor. 11.*
plus quàm maternum animum non agnoscat, qui aliena *2. Cor. 2.*
peccata lugebat vt sua, & sic eum alienis sceleribus, vt suis, *2. Cor. 12.*
humiliari à Domino prædicabat? Iam verò cùm Galatas à
pseudoapostolis in fraudem cóiectos esse intellexisset, qua
verborum acrimonia in eos inuehitur! Alibi enim velut pa-
terna censura sæuiens, ait: *O insensati Galatæ, quis vos fasci-* *Gal. 3. & 4*
nauit non obedire veritati? Nullus enim (vt diuus Chry- *Chrysost.*
sostomus ait) *tanto affectu mala propria, quanto ille de-*
flebat aliena. Est & aliud, pręter ea quæ diximus, maximum
veræ atque germanæ dilectionis argumentum, nempe iis
quos amore prosequimur, salutem, & bona omnia arden-
tissimè desiderare. Cùm enim amare sit bene velle, quo quis- *Amare*
que ardentiùs maiora alicui bona expetit, hoc illum arden- *quid sit.*
tiùs amare conuincitur. Quo autem Paulus alienæ salutis
desiderio flagrauit, certè non humano eloquio, sed angelico
(si id quidem fieri posset) explicandum erat. Ad Romanos *Rom. 9.*
ait: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratri-*
bus meis. Animaduertitis, Auditores, quantopere hic vir
diuinus salutem populi Iudæorum sitiebat, qui illum tot
malis affecerát. Quid tali desiderio, quid hac tanta dilectio-
ne mirabilius, erga illos præsertim, qui tanto ipsum odio
prosequebantur? Ecce, quanto magis efferebantur inimici, *Pauli conuersio.*
tanto eorum magis miserabatur insaniam. Vt enim ali- *Paulus ini-*
quis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi *micos a-*
laborantem, cuius quanto magis conuiciis ictibúsque pul- *mat.*
satur, tanto magis eum miseratur atque deflet: ita Pau-
lus, qui de ipsa magnitudine passionum, eorum à quibus
affligebatur, æstimabat furorem, maiora illis adhibebat
fomenta pietatis. Hanc tantam dilectionis vim in mentem

Pauli Dominus immisit, vt cælesti virtute roboratus, nō famem & sitim, non vlla terræ marísve pericula, nullas hominum insidias, nullas denique vel hominum vel dæmonum
1. Cor. 4. infestationes propter Euangelij gloriam, & hominum salu-
2. Cor. 11. tem formidaret. Omnes labores, omnia certamina Paulus
Pauli mores quales. salutis humanæ gratia non solùm patientissimè, sed etiam libentissimè sustinuit, vt Christi oues ex diaboli faucibus
Chrysosto. extraheret. Quis igitur hoc tam inuictum animi robur non miretur, non obstupescat? *Cui ergò rei*, inquit Chrysostomus, *poterit quisquam Pauli pectus comparare, cui ferrò, cui adamanti?* Planè de his duobus Apostolis dicere pote-
Psal. 67. rimus: *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Rectè proinde ait qui-
Maximus dam: *Gloriosissimos Christianæ fidei principes annua solennitate celebrantes, ipsum Dominum, qui huius auctor est fidei, debita religione veneramur.* Hos tanta cælestis dignatio visitauit, vt hic fieret de piscatore doctor, ille de persecutore defensor. Verè igitur Deus est mirabilis, vt Propheta
Psal. 103. contemplans aiebat: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione*
Psal. 138. *tua.* Iterúmque: *Mirabilia*, inquit, *opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Quid igitur de operibus gratiæ dicendum, quæ tanto sunt præstantiora, quanto ad nobiliorem finem destinata sunt: quæque præcipuè diuinæ bonitatis & charitatis magnitudinem erga sanctos suos profitentur? Quam rem in his potissimùm duobus Apostolorum principibus
Act. 19. contemplari licet. Quid enim mirabilius quàm quod Lucas de Paulo refert, quòd eius videlicet sudaria & semicincta omnia morborum genera curarent? hoc est, quòd tan-
Pauli virtus. to Dominus amore Apostolum suum complecteretur, tantóque illum honore afficeret, vt non ipsum modò, sed sudariola etiam, quibus ille narium incrementa purgabat, tanti faceret, tantúmque illis honorem exhiberet, vt ipsa naturæ iura, legésque à se præfixas, illorum virtuti subiiceret. Quo igitur in pretio Apostoli sui corpus & animam habebat, qui vel semicinctia eius hoc honore donabat, quòd eius corpus attigissent? Sed quamuis hoc mirabile sit, longè
Act. 5. tamen mirabilius est quod de Apostolo Petro idem Euangelista memorat, quòd non iam sudaria, sed (quod omnem superat admirationem) corporis eius vmbra omnia morborum genera depelleret. Quis hoc credere potuisset, nisi
Psal. 138. Euangelista retulisset? O quàm verè dictum est: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principa-*

tus

tus eorum. Et illud item: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Ioan. 14.
Certè enim plus est quod Petro Dominus contulit, quàm quod sibi ipsi sumpsit. Is námq; aut verbo, aut contactu manus aut vestis, ægra corpora sanabat: Petrus autem sola etiam vmbra: quo virtutis & potentiæ genere non legimus vsum fuisse Dominum. Vide quid Petrus pœnitentia, quid lacrymis promeruit. Tibi enim Petre hoc tempore Ecclesiæ suæ gubernacula, & regni cælorũ claues, quas antè fuerat pollicitus, tradidit. Verè de Petro pœnitente ait diuus Gregorius; *Dux in prœlio illum militem plus diligit, qui post fugam conuersus fortiter hostem premit, quàm qui nunquam fugit, & nunquam fortiter egit.* *Gregorius.* *Medicus noster,* inquit diuus Augustinus, *omnipotens est: & sic consueuit plagas nostras curare, vt ne cicatricum quidem vestigium post ipsius medicamenta remaneat.* *Augustin.* *Medicus noster qualis sit.* Hoc & in Dauide cernere licet, Habemus exempli loco pœnitentiam in Petro: habemus & patientiam & constantiam eius. Humanæ quippe naturæ fragilitate diligenter inspecta, valde miramur, quî fieri potuerit vt non Apostoli modò, sed innumerabiles Christi martyres adeò noua & horrenda supplicia præsenti alacrique animo pertulerint. Habuerunt corpora vt & nos: at nos illis dissimillimi sumus, qui acceptam iniuriam vix ignoscere volumus. Virtus omnipotentis gratiæ Dei illos fecit insuperabiles. Hæc Apostolum Petrum ita in fide stabiliuit. Petrum non parum iuuit cælestis præmij singularis quædam prælibatio. Vidit Transfigurationem Christi. Paulo nõ modò humanitatis Christi, sed etiam diuinitatis gloria singulari Dei beneficio frui datum est. *Act.* 4. *Matt.* 17. 2. *Cor.* 12. Habemus quidem omnes fidem: fides tamen sanctorum, quæ tam magna operata est, duplici forma, altera quidem extrinseca, altera intrinseca, insignita & illustrata erat. Petrus ipsum Dominum habuit laudatorem: *Beatus es,* inquit, *Simon Bar-Iona.* *Matt.* 16. Ipsi cœtus Apostolici principatus vt dignissimo commissus est. De diuo Paulo Chrysostomus ait: *Sicut Magi Pharaonis, vbi signorum vim & excellentiam quæ Moyses coram Pharaone patrabat, animaduerterunt, digitum Dei & diuinam potestatem in eis esse intellexerunt: ita quisquis res gestas & Epistolas Pauli attentiùs legerit, digitum Dei & vim diuinam in eo esse, apertissimè deprehendet.* *Simile.*
Expergiscimini quæso, Auditores, & vel ex Apostolorum Martyrúmque tormentis cælestis hæreditatis præstantiam *Peroratio.*
digni

dignitatémque cognoſcite: nec vos pigeat exiguo obedientiæ, pietatis, charitatiſque labore comparare, quod illi omnes ſanguine ſuo, & acerbiſſimo mortis ſupplicio mercati ſunt. Amen.

IN FESTO VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, concio: in qua Euangelica lectio explanatur.

THEMA. *Exſurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione.* Lucæ 1.

SALVTAVIT hodie, Auditores, Virgo cognatam ſuam Elizabeth, quam reuelatione Angeli grauidam eſſe cognouerat. Cuius autem virtutis fuerit ea ſalutatio, præſens S. Euãgelij lectio ſatis declarat. Simul enim atque ſalutationis eius vox in beatæ ſterilis aures inſonuit, tum ipſa, tum etiam infans Ioannes in vtero eius deliteſcens, Spiritu ſancto, cæleſtibúſque donis pleni repentè fuere. Quæ res facit vt fidelis quiſque illud maximè optare debeat, vt ab hac ſacra Virgine ſimili felicitate ſalutari mereatur. Ad hoc autem impetrandum cõmodiſſima ratio eſſe videtur, ſi deuotiſſimo affectu eãdem nos quoque Virginem ſalutemus. Si enim honeſti & vrbani hominis eſt, ſalutantem reſalutare; agreſtis verò & inhumani, hanc mutuam officij viciſſitudinem non reddere: quomodo hoc officium beatiſſima Virgo, quæ totius eſt probitatis & humanitatis exemplar, prætermitteret? Hac igitur ratione ſalutationem eius promereri licebit, qua eiuſdem beatiſſimæ Virginis amicitiam & gratiam ſanctus Bernardinus Confeſſor promeritus eſſe dicitur. Hic cùm adhuc puerulus eſſet, ſingularem erga Virginẽ dilectionis affectum gerebat, & ſæpius Angelicam ſalutationem cum lacrymis ante eius imaginem repetebat. Quo factum eſt, vt ſingularem apud illam gratiam inire mereretur. Eadem igitur, Auditores, ratione beatiſſimæ Virginis opem, qua nunc potiſſimùm indigemus, impetrare ſtudeamus.

Salutatio Mariæ quid effecerit.

Simile.

Salutatio Angelica cuius virtutis.

AVE MARIA.

Principio Euangelicam hiſtoriam (quæ miris diuini Spiritus deliciis & myſteriis referta eſt) quantum Dominus dederit,

derit, explanare incipiamus. Quod cùm facimus, cũ discipulis Domini spicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perueniamus. Historia igitur sic habet: *Exsurgẽs Maria* (videlicet post auditam cælestis nuncij legationem, qua hinc virginis, inde sterilis & grandæuæ mulieris conceptus nunciabatur) *abiit in montana cum festinatione.* Initio sacræ huius lectionis inquirenda nobis huius festinationis causa, & paulò fusiùs aperienda est. Sciendum illud maximè gloriosum nomini Christi, quod nobis maximè est salutare. Maxima Dei gloria est, homines à morte ad vitam reuocare, & maximis eos beneficiis afficere. *Omnes*, inquit Apostolus, *peccauerunt, & egent gloria Dei,* hoc est, vt Deus peccatorum nostrorum gratuita remissione, pietatis & misericordię suæ gloriam illustret. hinc illud Esaiæ: *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri: & ideò exaltabitur parcens vobis.* Meritò omnes cũ Ecclesia in Angelico cantu dicere debemus: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: quoniam gloria tua, salus & redemptio nostra est.* Quod ipse quoque Dominus per Esaiam testatur his verbis: *Dabo in Sion salutem, & in Hierusalem gloriam meam.* Quã quæso Domine, gloriam in Hierusalem ostendisti, in qua vinctus, consputus, irrisus, flagris concisus, & inter latrones affixus patibulo ignominiosè fuisti? Nimirum hæc maxima bonitatis & misericordiæ tuæ gloria fuit, nusquam anteà simili opere patefacta, quòd tot tantáque supplicia perpeti dignatus fueris, vt homines, quos ardenter amabas, à teterrimis scelerum impietatisque tenebris, ad clarissimam pietatis atque honestatis lucem traduceres. Qua certè in re, quo illustrior diuinæ bonitatis gloria apparet, eo salutis nostræ ratio vberior exsistit. His igitur ita constitutis, facile erit, itineris à sacra Virgine tanta cũ festinatione suscepti causam intelligere. Si enim gloria Domini in salute nostra promouenda posita est: ipse autem infinito amore & gloriam suam, & salutem nostram sitit: quid mirum si sacra Virgo à filio acta, quem felici vtero gestabat, tanta festinatione ad sterilis Elizabethæ filium sanctificandum, & ab originis peccato purgandum, & Spiritu sancto replendum properat? Hac enim festinatione Dominus studium salutis nostræ, & ardẽtissimam in genus hominum charitatem, & infinitam bonitatem suam facilè declarat. Ad gratiam hominibus conferendam properat, ad pœnam siue vindictam inferendam tardissimus est. *Non* enim

Lucæ 6.

Festinatio quatenus vtilis fuerit.

Rom. 3.

Esaiæ 30.

Esaiæ 46.

Christi gloria in nobis illustratur.

Maria cur properat.

Ezech. 18. enim, *vult mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant.* Expendant hæc pij omnes & incredibile dictu est, quantopere eorum mentes afficiat, & singulari quadam spe confirmet, & in amorem tantæ bonitatis accendat. Docemur ita hac Virginis festinatione, qua animi alacritate & promptitudine viri sancti Dei præceptis obtemperare, & illi obsequi atque inseruire soleant. Hi semper cum Apostolo
Act. 9. lo non tam verbis quàm re ipsa dicere videntur: *Domine,*
Simile. *quid me vis facere?* Itaque vt famuli, qui ad fores palatij Regū excubant, sic ad vocantis domini vocem attenti sunt, vt cùm primùm illa insonuerit, sine vlla mora accurrant, & sermonem, quem cum amicis magna cum voluptate conferebant, maiori cum iucunditate intermittant: sic fideles Christi serui ad Domini sui non modò vocem, sed etiam nutum, rebus omnibus posthabitis, parati sunt & expediti.
Obedientia commendatur. Sic vbique obediendi promptitudo commendatur. Sic Abrahæ obedientia commendatur; qui cùm nonagenarius iussus esset à Domino circuncisionis cauterium suscipere,
Genes. 17. eadem ipsa die & se, & Ismaelem filium, & omnes vernaculos
Genes. 22. los suos circuncidit, nec in sequētem diem distulit. Sic vbi-
Genes. 18. que obediētiæ signa edidit. Abraham festinat, Sara festinat,
Orig. in Genes. puer Abrahæ festinus Domini præceptum exsequitur. *Nullus* (ait Origenes) *piger est in domo sapientis: omnes ad parendum celeres, omnes alacres & expediti. Nescit enim* (vt Ambrosius ait) *tarda molimina Spiritus sancti gratia.*
Charitas summa vita Christiana. Charitas non remissis actibus, sed vehementioribus & ardentioribus augetur & intenditur. Non oportet res diuinas atque sacratissima mysteria languidè & negligenter tractare. Hic
Deus qualis in nobis sit. Dei nostri mos est, vt talem se hominibus exhibeat, quales se illi homines exhibere solent. Qui ergo magno studio & feruore animi Deum quærit, magna quoque ab eo auxilia percipit, magnisque diuini splendoris radiis illuminatur, quibus in Dei amorem mirabiliter exardescens, magnos quotidie in virtute progressus facit. Contrà inertes & socordes, qui non magis curant siue afficiuntur cùm diuina
Vide fabulam de Gallo. tractant, quàm cùm ea negligunt. Hi neque accedentem ad eos Dominum, neque recedentem sentiunt, atque ita sui penè similes in omni vita permanēt. Vtrumque autem paucis Salomon expressit, cùm ait: *Egestatem operata est ma-*
Prouer. 10. *nus remissa, manus autem fortium diuitias parat.* Et iterum:
Prou. 12. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.* Seruiet autem variis affectibus, seruiet mundo, pro

proprięque voluntati: quibus omnibus inertes homines obedientiæ tributa pendent: à qua seruitute manus fortium libera est. Vnde hoc vel maximum inter vtrosque discrimen esse videtur, quòd isti (quantum ad celeritatem parendi attinet) sunt instar sphærici corporis in plano constituti, quod leuissimo tactu, atque adeò solo flatu, quocumque volueris, mouetur: illi verò instar onustæ nauis, quæ nisi vehementissimis flatibus concussa fuerit, immota manet. At quanto aliter hodie sacra Virgo, quæ Spiritus sancti ductu ad cognatam venire iussa, cum festinatione ad montana processit! Quamuis enim ardua sit via salutis (est enim adscensus in cælum) vis tamen diuini Spiritus impedimenta omnia vincit. Sed iam ad sequentia veniamus: subdit enim Euangelista:

Seruire tributis.

Simile.

Et intrauit domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Minutus in hac historia videretur Euangelista, qui non modò festinationem, sed etiã salutationẽ Virginis describit (quam quiuis alius historiæ scriptor prætermittendam putaret) nisi hæc omnia mysteriis grauida essent. Hoc enim ad Virginis gloriam maximè pertinet, cuius vocem Christus Dominus, qui in eius vtero delitescebat, instrumentum esse voluit, per quod ad Ioannem gratię sanctificatio perueniret. Ideò námque in Cantic. cùm mystici corporis, hoc est, Ecclesiæ membra designãtur, Christo quidem capitis, Virgini autem colli nomen tribuitur: colli, inquam, quod Christo capiti adhæret; per quod à capite ad corpus omnes gratiarum atque donorum influxus manant. *Ecce enim*, inquit, *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultauit in gaudio infans,* &c. Simul enim vt vox Virginis aures pulsauit annosæ matris, cùm ipsa simul voce diuinus ille afflatus totã latentis infantis animam peruasit, admirandísque muneribus ornauit. Videtis ergo, Auditores, Virginis vocẽ & salutationẽ viuum instrumentum extitisse, quo Christus Iesus in vtero adhuc delitescens vsus est, vt infantem Ioannem cælesti Spiritu repleret? Vnde sanè liquet, non exiguam beneficiorũ partem, quæ fidelibus sempiterni numinis beneficentia largitur, intemerata Virgine sequestre & internũcia donari. Sicut enim Deus Pater omnia hominibus bona per filium, ita filius per matrem pleraque concedit. Hinc, sicut ille mediator apud Patrem, ita mater (vt D. Bernardus ait) apud filium pro hominibus mediatrix est: vt omnes hoc nomine sicut honorificant filium, honorificent etiam matrem, eamque sibi piis

Cantic. 1.

Mariæ lingua instrumentũ Christi.

Maria patrona apud Deum.

Bernardus.

precibus & rectè factis, propitiam semper reddere studeant. Hîc studiosus Concionator multas huius festinationis rationes adducere pro instructione poterit. Deus ignis est: & qui hunc intra se habent, à bonis operibus otiosi esse non possunt. Ignis non potest latere neque quiescere: ideò vbicumque diuina hæc flamma fuerit, foras erumpere nititur. Hoc indicio de animæ suæ statu quisque iudicare poterit. Sunt enim multi qui vehementer scire cupiunt, odióne an amore digni sint: hoc est, an intra se Deum commorantem habeant. Feruor spiritus non postremum locum obtinet: qui autem tepet & languet in bonis, ignem hunc non habet. Neque verò absurdum est, si interpretemur etiam festinationem hanc, Virginei pudoris & verecundiæ indiciũ fuisse, quæ in publico videri erubesceret. Nam pudor, virginitatis ac pudicitiæ tutissimus custos est; vt contrà inuerecundia impudicitiæ dux est. Vide Ambrosium. Hoc præceptũ Dina Iacob filia, seruare neglexit. Oculi seruandi, ne per eos mors ingrediatur. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exsultauit infans in vtero eius.* Quis mirum, si salutante Maria, salus illi domui facta sit, cùm eam Apostolis Dominus facultatem concesserit, vt si intrantes domum, pacem hospitibus bene precarentur, super illos pax Domini requiesceret? Cùm igitur sacra Virgo salutem Elizabethæ bene precata fuerit, vera & certa salus (quæ non alia quàm Spiritus sanctus est) in eius animam descendit. Qua admiratione & quo gaudio affecta fuerit, quæ vis orationis explicare valeat? Mysteria omnia, quæ Paulus Gentibus in paradiso nuncianda didicerat, Spiritu sancto tradente, beata hæc sterilis plenissimè intellexit. Constat autem, inter omnia diuina opera summum locum Euangelij sacramentum, & incarnationis Dominicæ mysterium tenere, quibus tamen Dei operibus variè solent homines permoueri. Improbi enim & qui nullo diuini amoris sensu tanguntur, viridibus sunt lignis persimiles, quæ subiecto igne vsque adeò non accenduntur, vt ipsum frequenter ignem humore suo extinguant. Homines autem pij, & qui aliquos diuini amoris igniculos internis præcordiis conceperunt, pulueris sulphurei vim atque naturam imitantur, qui vel leuissima scintilla vehementissimè inflammatur. Sed iam relicta matre, ad eius filium veniamus, de quo eadem ad sacram Virginem ait: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultauit in gaudio infans in vtero meo.* Infans iste

De⁹ ignis. *Genes. 34.* *Lucæ 10.* *Ephes. 3.* *Simile.* *Simile.*

iste, sicut omnes alij, originalis peccati labe infectus, à Deo auersus, & ab eius gratia alienus erat. Ea verò fuit diuinæ pietatis & gratiæ magnitudo, vt nullis præcedentibus meritis, ab eodem quo detinebatur peccato fuerit emundatus, & Spiritu sancto repletus, & fidei lumine illustratus, & ad redemptoris sui cognitionem informatus: in cuius amorem ita exarsit, vt, præ amoris magnitudine, intra materni vteri angustias salierit, & gaudio exsultauerit. Dum autem infantem hunc gratuitis donis ornat, omnes nos ad bene sperandum inuitat. Quomodo enim negare aliquid illis poterit qui ipsum diligunt, qui mandatis eius obtemperant, qui tam liberalis in eum fuit, qui necdum seipsum agnoscebat? Apud hunc omnia virtutum officia plurimum valent, amoris tamen vinculis maximè capitur. Amor enim illum adduxit ad homines, & amor item homines adducit ad eum. Infantis autem huius exemplo, qui præ gaudio exultauit, docemur, vt non solùm interno, sed etiam externo pietatis & benignitatis studio Dominum colamus. Sunt enim quidam ad spiritualia exercitia propensi, qui tamen ad benignitatis officia, ad quæ non raro vocat necessitas charitatis, tardiores sunt. *Hoc præceptum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem, lingua & opere.* Iam Elizabeth, acta Spiritu sancto, in hæc pietatis & deuotionis plenissima verba prorupit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Verè benedicta tu, quia benedictus vteri tui fructus. Non sanè quia tu benedicta, ille benedictus: sed quia ille te omni benedictione spirituali in cælestibus benedixit. In cæteris quidem arboribus fructus ab arbore commendatur: hîc autem diuersa ratione fructus arborem nobilitat & commendat. Huius autem arboris benedictus fructus omnia illa damna reparauit, quæ ex interdictæ arboris fructu in mundum inuecta sunt: vt hac ratione diuinæ sapientiæ ordinem agnoscamus, qui, qua via mors introiuit in mundum, eadem ipsa vitam reuocare constituit. Femina damnauit seculum pomo; femina item vitalem fructũ mundo attulit: vt meritò & arborem & salutarem eius fructũ cum beata Elizabeth sine intermissione laudare debeamus, dicẽtes: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* qui nobis antidotum & medicamentum aduersus venenatæ arboris fructum attulit. *Et vnde,* inquit, *hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quasi dicat, Quæ mea dignitas, quæ mea merita, vt mater Domini ac Regis Angelorum

Peccato originali infecti omnes.

Deus vt promereatur.

1. Ioan. 3.

Damna mũdi quis abstulerit.

ad me venire dignetur? Huic simillima sunt Centurionis
Matth. 8. verba quibus ad Dominum dixit: *Domine, non sum dignus*
vt intres sub tectum meum. Dic communicaturus hæc verba,
& dic cum hac Elizabeth: Vnde hoc mihi, vt veniat Domi-
nus meus, imò rerum omnium Dominus, in hanc ruinosam
& sordidam domum? Summa hominis perfectio in hac feli-
ci cum Deo cõmunione posita est. Amor Deum impulit ad
hominis creationem; & amore item homo in suum princi-
pium recurrens, suam cõsequitur perfectionẽ. Naturæ enim
perfectio est, eò vnde primùm fluxit, conueniens & apta
Amor nos Deo coniungit. conuersio. Neque enim aliunde petendũ est vitæ extremum,
quàm vnde vitæ principium duximus. Post hæc igitur ad-
mirationis & reuerentiæ verba, addit sancta femina admi-
rationis causam, his verbis: *Ecce enim vt facta est vox salu-*
tationis tuæ in auribus meis, exsultauit infans in gaudio in v-
tero meo. Quibus sanè verbis liquidò cõstat, Angeli promis-
sionẽ fuisse impletam, vt scilicet nasciturus Zachariæ filius
Spiritu sancto repleretur adhuc ex vtero matris suæ: hoc e-
nim pueri gaudiũ à Spiritu sancto in eius animam intran-
te manauit. A quo sanè Spiritu primùm ita fuit in gratia cõ-
firmatus, vt ab omni peccato in vita immunis seruaretur:
quod munus & Apostolorum fuit, & beatarum mẽtium est,
quæ sunt in gratia confirmatæ. Nos vel hoc nomine mise-
Ezech. 2. ri, qui in freto grauissimis tempestatibus æstuanti nauiga-
mus, qui in hac vita militamus, quæ tota tentatio est; qui
cum scorpionibus habitamus, qui in medio laqueorum po-
siti sumus, qui super aspidem & basiliscum ambulamus, qui
cum antiquo serpente continenter bellum gerimus, certi de
Casus magnorum qualis. pugna, incerti de victoria. Nec enim seruata diu innocentia
securos nos reddere potest, cùm ea nec Dauidẽ sanctissimum,
nec Salomonem sapientissimum, nec Nicolaum Spiritu san-
Act. 6. cto plenum, & ab Apostolis inter primos Ecclesiæ diaconos
electum, à fœdissimo casu liberauerit. Petrus quoque Apo-
Matt. 26. stolus, qui tot Domini miracula viderat, qui ait; *Etiam si*
oportuerit me mori tecum, non te negabo: vix animosa hæc
verba protulerat, cùm fœdissimè lapsus est. Si igitur tales
viri ac tanti ita corruerunt: quis adeò stupidus & infirmi-
tatis suæ nescius erit, qui similem casum non formidet? Et
horum quidam post lapsum surrexerunt, alij verò in eodem
ad finem vsque miserabili obstinatione perstiterunt. Quis
autẽ nostrûm scire potest, an sit resurrecturus post ruinam,
cùm hoc opus magis sit diuinæ virtutis, quàm humanæ
facul-

facultatis? Nos itaque, Auditores, miseri sumus, quippe quorum salus & vita, quamdiu in hoc corpore militamus, in tanto discrimine versatur: felix autem Ioannes, qui sine vllo suo merito hodierna die in gratia confirmatus, perpetuæ innocentiæ donum nactus est. Neque verò hoc solùm beneficio diuina largitas Ioannem affecit, sed adiecit clarissimum fidei lumen, & rationis vsum, qua & incarnationis Domini sacramentum, & lętum Euangelij nuncium, & Domini sui præsentiam agnouit & honorauit. Qui enim rudis asinæ linguam in humanæ vocis organa formauit, qua Prophetæ insipientiam corriperet; qui mutorum ora solet aperire, & linguas infantium disertas facere; vtique potuit semestris infantis animam rationis & fidei lumine illustrare. O verè felix præcursor Domini, & iudicis præco, qui mortalium omnium primus aduentum Domini mundo nunciasti! Intemerata quidem Virgo mysterium hoc prima cognouit, sed sub silentio tenuit: at Ioannes & cognouit, & matri nunciauit. Vocem enim Mariæ Elizabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit: illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum. Mater ergo à paruulo suo hoc mysterium prima didicit; quod posteà Zachariæ, ac deinde Ioseph, tum Simeoni, Annæ, pastoribus & Magis, ac postremò toti mundo nunciatum est. Miramur Ionam in vtero piscis orantem: Ioannes in vtero prophetat. Creator creaturarum noluit se illis subiicere. Quid verò nos, in huius mysterij fide nati atque educati, ad hæc dicemus: qui hoc tanto salutis nostræ opere ante oculos posito, ne tantillum quidē commouemur? Huius verò tantæ ingratitudinis atque adeò stuporis causa esse videtur, quotidiana hoc ipsum audiendi consuetudo. *Naturale enim est hominibus, magis noua, quàm magna mirari.* Sancti viri, qui nunquam oculos ab hoc summo diuinæ dignationis opere diuellebant, ita afficiebantur, ita in Christum Dominum pro illis natum & mortuum rapiebantur, vt cum puero nascente renasci, & cum moriēte mori, sibi præ doloris & amoris magnitudine videntur. Sed erit tamen aliquando, cùm huius obliuionis & ingratitudinis reddenda sit ratio. In illo quippe supremo mundi examine nihil erit de quo districtiorem supernus ille arbiter rationē, quàm de fuso sanguine suo exigat. *Qui tātum dedit, scit quantū reposcat.* Sed omissa iam Elizabeth, ad sacram Virginem redeamus. Quid, quæso, ô beata Virgo, inter tot miracula diuina, & inter tam magnifica laudum

Militia vita nostra.

Num. 22.

Ambros.

Maria cōscia mysteriorum.

Iona 2.

Seneca.

Piorum studium.

Euseb. Emiss.

tuarum præconia cogitas? quid Elizabeth ſuper omnes mulieres te benedictam prædicanti reſpōdes? *Magnificat anima mea Dominū. Et exſultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* quod Hebræa lingua dictum eſt, *In Deo Ieſu meo.* Hoc eſt autem illud Canticum, quod ab hominibus Prophetæ diu multúmque exigebant, quod tamē hactenus nemo cecinerat. Cecinerunt olim ſanctæ feminæ cantica multa: quorum tamen nullum nouum, ſed omnia vetera fuerunt, in quibus pro collatis olim beneficiis gratias Domino agebant. Sic Anna Samuelis mater, ſic Maria Moyſis ſoror, ſic Delbora, ſic etiam Iudith, pro parta victoria laudes Domino cecinerunt. *Pſal. 93.* Propheta canticum nouum ab hominibus, propter ſingularis & communis ſalutis beneficium (quo omnium populorum, gentium, ac nationum ſalus continebatur) exigit: quod beatiſſimæ Virgini ante omnes cantandum iure optimo commiſſum eſt, vt pro amplitudine muneris eſſet *1. Reg. 18.* etiam dignitas cantoris. Legimus olim Dauidem cantu ſuo dæmonem à Saule Rege fugaſſe: quæ res magno miraculo & myſterio non vacat. Ille cantus, qui ex pio & grato animo proficiſcitur, pro acceptæ ſalutis beneficio, ille fugat diabolum. Quiſquis igitur ex vobis, Auditores, importuni huius hoſtis impetum frangere vult, ad citharam Dominicæ crucis confugiat, ibique toto affectu pro hoc tanto ſalutis beneficio Redemptori gratias agat. Interim conetur Chriſtum & eius matrem in ſumma humilitate imitari. Dicat *Pſal. 130.* cum Propheta: *Domine non eſt exaltatum cor meum.* & habebit veriſſimè partem in regno cælorum. Dominus nobiſcum. Amen.

IN FESTO BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Lucæ 7.

CVM de mirabili peccatricis mulieris cōuerſione & pœnitentia nobis hodie dicendum ſit, Auditores, certè requirimus veræ pœnitentiæ ſtudioſos, & qui flere magis quàm audire parati ſint.

Hoc enim animo D. Gregorius ad hoc ipsum argumẽtum tractandum accessit, cùm orationem suam sic exorsus est: *Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quàm aliquid dicere.* Cuius enim vel saxeum pectus, illæ huius peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant? Quòd si non eodem nos animo ad audiendum, quo beatus hic Pater ad dicendum, conuenerimus; frustra hæc insignis mulieris pœnitentia, singularísque erga eam Domini misericordia nobis ante oculos ponetur. Vix enim tanto ad pœnitendum exemplo commouebimur, & tanta illa Domini misericordia ad sperandam veniam excitabimur. Quia verò hoc præstare non quidem opis nostræ, sed diuinæ gratiæ munus & beneficium est, ideò hanc à Patre misericordiarum, beatissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Gregorius.

Magdalenæ pœnitentia exemplar.

AVE MARIA.

Inter omnes humanæ vitæ miserias, non postremum locum obtinet illa, quòd homo per se quidem labi potest in peccatum, lapsus verò surgere per se non potest, nisi singulari Dei ope atque auxilio iuuetur. sic enim Saluator ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hieremias quoque: *Scio*, inquit, *Domine, quòd non est hominis via eius, neque viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Sunt auiculæ quædam oblongis alis, pernicissimíque volatus; quæ si casu in terram deciderint, assurgere ac volatum resumere non possunt, quòd alarum longitudo terram contingens, conatum ad volandum impediat. Id quod iustis etiam in peccatum lapsis contingit: qui quamuis in cælum sese diuini Spiritus alis attollant, in peccatum tamen lapsi, nisi Deo opem ferente, & ad gratiam excitante, nullo modo eò redire possunt, vnde corruerunt. Constat sanè, neminem ex iniusto fieri iustum, nisi is peccatum super omnia detestetur, illúdque super omnia vitare constituat: hæc verò duo habere nemo potest, nisi Deum diligat super omnia. Sequitur quòd homo potens sit ad peccatum, adeóque impotens ad iustitiam & pietatem exsistit. Quot beneficiis Dominus populum Iudæorũ affecit? Quid deinde? *In omnibus his peccauerunt adhuc, nec sperauerunt in salutari eius.* Post hæc námque omnia vitulum fabricati sunt, eique diuinos honores tribuerunt. Videmus ergo, sine interna Dei ope, externa omnia salutem minimè conferre: simul hac

Ioan. 6. *Hiere. 10.* *Simile.* *Homo facilè peccat.* *Psal. 77.*

ratione peccati metũ immittere vobis cupimus,à quo(ſi in
illud fortè ruatis)niſi Deus manum porrigat,exſurgere non
Simile. poteſtis.Samſon cùm primũ in Philiſtæorũ manus incidit,
Iudic. 16. luminibus orbatus eſt:ita vbi primùm homo in poteſtatem
hoſtis antiqui venit,diuinæ gratiæ lumen amittit,atque ita
cæcus ad diuina contuenda relinquitur. Sic per peccatum
2. Reg. 12. mortuus iacuit Dauid per annum, at tandem per Nathan
Eccl. 21. excitatus eſt.Rectè ait Eccleſiaſt. *Quaſi à facie colubri fuge
peccatum.* Vide huius Dauidis pœnitentiam: qui admiſſi
ſceleris conſcientia perculſus,tanto animi dolore concutie-
Pſal. 6. batur,vt diceret: *Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum*,&c.
Quo ſignificare voluit, ſe plorando lumen oculorum penè
Pſalm. 37. amiſiſſe. Quod ipſe alibi declarat,cùm ait: *Lumen oculorum
meorum & ipſum non eſt mecum.* Sed his aliiſque ſimilibus
exemplis prætermiſſis, locupletiſſimum hodie exemplum
in hac beata peccatrice proponit nobis ſanctus Lucas, his
verbis: *Rogabat Ieſum quidã Phariſæus,vt manducaret cum
illo. Et ingreſſus domum*,&c. Hoc verò commune peccatricis
nomen tantam mulieris huius fuiſſe turpitudinem declarat,
vt indigna eſſet,quæ proprio nomine exprimeretur. Quid
enim turpius quàm proſtitutione corporis quęſtum facere,
Verùm hoc etiam nomine vſus eſt,vt non huius flagitij tã-
tùm,ſed omnium quoque aliorum,quæ hoc vitium comi-
tari ſolent,ream oſtenderet. Duabus enim de cauſis homi-
nes à peccatis abſtinere ſolent, hoc eſt, vel Dei metu, vel
Meretri- hominum. Vtrumque autem Maria perdiderat,quæ mere-
cũ propriũ triciæ turpitudini vacabat: cuius eſt, pudorem omnem &
quid. verecundiam prorſus exuiſſe.Cùm ergo nec Dominum ti-
meret,nec homines reuereretur: quo fræno ſeſe ab illo ſce-
lere contineret? Nõ immeritò hæc mulier peccatrix appel-
latur; non ſolùm quòd impudicam vitam, ſed etiam quia
multis aliis vitiis contaminatam degeret.Quam ſententiam
D.Gregorius confirmat,qui hanc eſſe Mariam illam credit,
à qua ſeptem dæmonia à Domino eiecta fuiſſe Marcus me-
Marc. 16. morat.Septem autem dæmoniorum nomine,idem Sanctus
Magdale- vniuerſitatem vitiorum,quibus mens illa erat obſeſſa,com-
na inſignis prehendi vult.Exaggerant autem ſancti Euangeliſtæ morbi
peccatrix. magnitudinem,vt medici peritiam atque potentiam oſten-
dant.Quamuis hæc turpiſſima eſſet,Dominus tamen(cuius
immenſa miſericordia ad omnia pertingit,cuiuſque boni-
tas nulla ſuperari malitia poteſt)ex aliis omnibus, quæ mi-
nùs peccauerant, hanc elegit, in quam ſuam oſtenderet

miſeri

misericordiam. Hæc sunt Dei iudicia, iusta quidem, sed stupenda & occulta: quæ nobis non solùm timoris, sed lætitiæ quoque materiam præbere debent. Opes in peccatores effusæ, iustorum diuitias & felicitatem ostendunt. Vt verò Dominus peccatricem ad se traheret, & à lethifero illo somno excitaret, acem illam in mentem illius prætulit, qua illuminata, vidit protinus horrenda scelerum monstra, quibus vndique obsessa erat; vidit terram peccati faciem, quam induerat. Erubuit, ait ille, salua res, non excusauit. *Vt cognouit quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, &c.* Hac igitur fiducia confirmata, ad animarum medicum Dominum Iesum, in Pharisæi domo discumbentem, pergit. Quis tibi, ô mulier, indicauit, Dominum Iesum potestatem habere dimittendi peccata, cùm hoc diuinæ solùm potestatis sit, contra quam peccata committuntur? Hoc enim arcanum Ioanni Baptistæ diuinitùs reuelatum est, qui primus omnium, mirantibus discipulis, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ad hæc illa respondebit: Ille nimirum me hoc mysterium docuit, de quo scriptum est, *Erunt omnes docibiles Dei.* Ille ergo me erudiuit, ille me trahit, & ego ab illo didici, quia verè hic est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quam quidem rem postrema lectionis Euangelicæ verba testantur. Cùm enim Dominus mulieri dixisset, *Remittuntur tibi peccata tua*; & quidam ex conuiuis dicerent, *Quis est hic, qui etiã peccata dimittit?* Dominus ad eam dixit: *Fides tua te saluam fecit.* Ex quibus verbis liquet, peccatricẽ hanc ex reuelatione summi Patris hoc mysteriũ agnouisse. Hac igitur fide instructa, venit ad Dominum Iesum importunissimè. Anteà tenebris obcæcata nihil metuebat, quia nihil videbat: modò verò, vbi desuper infusa luce, horrendam peccati faciem videt, nullo modo potest quiescere. Itaque prudens mulier neque hospitum frequentiam, nec hominum iudicia, neq; Pharisæorum contemptum veretur. *Quia*, inquit D. Gregorius, *semetipsam grauiter erubescat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris.* Peccati enim pudor omnem alium ab animo suo pudorem excutiebat. Nos autem differimus pœnitentiam, habemus nostras excusationes: quia qualis sit facies peccati, non perinde à cælesti Patre didicimus. At qui ab hoc magistro docti & instituti, virus & pondus peccati agnouerũt, ne ad momentum quidem intolerabile eius pondus sustinere possunt. Hoc igitur peccati horrore stupefacta Maria, con-

Peccata tetra mõstra.

Ioan. 1.

Ioan. 6.

Peccatorẽ quis trahat.

Gregorius.

Peccatũ iugum intolerabile.

uiuij domum ingreditur, & stat retrò secus pedes Domini. O pudor verè pœnitẽtis! Solent huiusmodi personæ esse inuerecundæ. Hæc retrò stat, non audet comparere ante conspectum. O mutatio dextræ excelsi! O si hos nobis Dominus oculos contulisset, quibus animæ deformitatem peccatis inquinatam cerneremus! tanto pudore afficeremur, vt cum damnatis, montibus diceremus, *Cadite super nos*; & collibus, *Operite nos.* Hæc retrò accessit, quoniam oculos ad Christum leuare nõ audebat. Accessit, nõ iuxta legem offerens aliquid, sed: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Itaque non hircos aut vitulos, sed meipsam, hoc est, animam meam illi offero, illámque lamentis acerbissimóque doloris gladio in sacrificium mactabo. Aperit igitur oculorum suorũ fontes, è quibus tanta inundauit copia lacrymarum, vt Christi Domini pedibus abluendis sufficeret. Fleuit Petrus amarè, dum Dominum negauerat, qui tamen tot viderat miracula. Sed quòd mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, quæ saxeum cor erga diuina gerebat, sic tota in lacrymas diffluat, hoc certè ingenti admiratione non vacat. Demiratus Propheta Dei potentiam, qui è silice in deserto aquam sitienti populo eduxit, exclamat: *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum:* at ego non minùs planè demiror, lapideum peccatricis huius cor ita Dei virtute emollitum, vt tantam piarum lacrymarum vim profunderet, quæ lauandis Domini pedibus satis essent. Quis vnquam audiuit tale obsequium alicui Regi aut Imperatori exhibitum, vt pedes eius aureis feminarum capillis tergerentur? Hoc obsequium non habuit à se ipsa, nec caro & sanguis docuit, sed idem ille Spiritus, qui illam adduxit. Adiecit & capillorum ministerio oscula & vnguenta. Sed quis verbis cõsequi possit, quo charitatis ardore pia oscula sacris illis vestigiis imprimebat? Quod turpiter sibi exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat: vt totum Deo seruiret in pœnitẽtia, quo Deum contempserat in culpa. Verè pœnitentibus innuitur, vt vires, opes, & facultates, quibus Diabolo anteà militauerant, & vanitati seruierãt, eas modò in obsequium Domini cõuertant, & piis vsibus addicant. Apostolus ait: *Sicut antea exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, &c.* Hoc igitur hodie Maria fecit, quæ omnia vanitatis & turpitudinis instrumenta à Diaboli seruitio vindicata, in obsequium Domini conuertit, & super ea quasi super ligna, quæ de nemore

Psal. 50. *Matt. 28.* *Psal. 113.* *Lacrymæ cui exhibita.* *Gregorius.* *Pœnitentia vera quæ.* *Roman. 6.*

Baal (quod Gedeon iussus fuerat destruere)succiderat,cor- *Iudic.6.*
dis humiliati atque contriti sacrificium obtulit. Quòd si quæras, quibus tandem rebus ad hunc summum puritatis & dignitatis gradum hæc mulier à Domino perducta fuerit:non dubium quin humilitate,charitate,fide,& pœnitentia instructa, hanc tantam gratiam fuerit consecuta. Fides enim fuit, quòd ad Dominum Iesum salutarem animarum medicum curanda venit:humilitas fuit, quòd non ausa est ante conspectum eius apparere, sed stans retrò: pœnitentia fuit, quòd tantam vim lacrymarum effudit, quibus animæ suæ sordes lauit: charitas verò fuit, quòd pedibus Domini osculis fixit, quòd capillis suis tersit, quòd vnguento vnxit. Inter has autem virtutes humilitas potissimùm illuxit. Publicanus,malè actæ vitæ cõscientia territus,percutiebat pe- *Luca 18.*
ctus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Sic Maria nostra,ab eodem Spiritu edocta,ad vestigia Domini *Eccles. 35.*
sese deiecit. *Oratio humiliantis se penetrat nubes: & donec appropinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus adspiciat.* Regius vates ait: *Asperges me Domine* *Psalm.50.*
hyssopo, & mundabor: lauabis me,& super niuem dealbabor. *Aug.li.4. de Doctrina Christiana.*
Hyssopi nomine,inquit D. Aug.*humilitatis virtutem designat, qua verè pœnitẽtis habitus est,qui sui ipsius demissione Deum, quem peccando contempsit, honorat, & sui ipsius deiectione placat, quem elatione atque tumore ad iram concitauerat.* Est enim hyssopus herbula quædam exigua, quæ tamen ad *Hyssopus cuius natura sit.*
pulmonis tumorẽ purgandũ maximè salutaris est: cuius radices durissimos etiã lapides penetrant:quæ omnia maximè humilitati cõueniunt.Primùm enim verè humilis paruulus *Bernard.*
est in oculis suis,qui etiã nõ vult apparere humilis, sed vilis. *Augusti.*
Deinde humilitas iactantiam cum tota vitiorũ propagine ab anima pellit,atq; ita à seruitute diaboli hominẽ liberat. Vera est enim illa D.Aug.sententia: *Quemcunque superbum videris,filium diaboli esse non dubites.* Hyssopus frangit durissimos lapides,ita sanè humilitas omnipotentis Dei iram in lenitatem vertit, & ad misericordiam flectit. Hac igitur virtute primùm Maria instructa venit, cũ retrò stans se ad *Humilitas virtus optima.*
pedes Domini suppliciter abiecit:quæ iram eius ita leniit,vt illum ex iracundo leone in agnum mansuetum verterit.

Post humilitatem autem, veræ pœnitentiæ lacrymas profudit,quibus Dominicos pedes rigauit. Hic spiritus sanctus charitatis ignem vehementer in corde eius accẽderat, vt ex hoc cælesti imbre irrigata,ex rudi incultoque dumeto paradi-

paradisus voluptatis effecta, dignos pœnitētiæ fructus protulerit. Capillis, quibus diabolo & mundo militauerat, iam Christo deseruit: capillis se ipsam perdiderat, capillis se modò perditam seruat. Quis hoc vnquam vidit, vt res eadem iustitiæ & iniustitiæ, vitæ & mortis instrumentum fieret? Sic opes, prout vsæ fuerint, bene collocatæ salutem, malè autem collocatæ pestem suis possessoribus afferunt. Impudicæ feminæ quanto amore capillos suos prosequuntur? Hæc earum idola. Hæc sculptilia hodie Maria contaminauit, dum capillos ad puluerem & sordes pedum tergendas demisit. Tunc etiam abominationes Ægyptiorum (quarum Esaias facit mentionem) Domino immolauit, quando capillos suos, quos illa sibi deos fecerat, Domino sacrificauit. Mos est regiæ familiæ, vbi Rex fato functus est, vexilla regia per terram in mœroris significationem raptare. Hoc ipsum Maria fecit, in cuius hodie pectore dæmon, cui illa tanquam regi suo militabat, mortuus fuit, ideóq; teterrimi regis vexillum, nempe capillos suos, quibus ipsa ceu vexillo quodam satellites diaboli ad se vocabat, ad pedes Christi demisit, atque raptauit. Nec hoc officio contenta, osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Vnguentum capiti præcipuè, non pedibus, qui luto & puluere fœdantur, adhiberi solet. Parum est pedes eius lacrymis abluere, & capillis tergere: sanguine (si liceret) abluere, & visceribus ipsis tergere parata erat. *Oratio Deum lenit, lacryma cogit: hæc vngit, illa pungit.* Sic fleuit Ezechias Rex. Nemo tamē existimet, hoc summum Christi Domini beneficium ad vnam solam Mariam fuisse reseruatum. Latè patet diuinæ misericordiæ campus omnibus, qui simili officio Dominum promerentur. Ille adscendit in cælum, pedes tamen reliquit in terra. Qui sunt autem pedes Domini, nisi ij qui infimi omnium videntur? nempe pauperes, quos & ipse Dominus minimos appellauit, cùm dixit: *Quod vni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Capilli sunt diuitiæ tuæ. Oscularis pedes Iesu, cùm materno charitatis affectu suscipis pauperum curam, ac veluti proprios filios foues ac nutris. Hac igitur ratione pium beatæ huius peccatricis obsequium etiam nunc poterimus imitari.

Capilli quibus idola.

Esaiæ 50.

Simile.

Pius quidam.

Esaiæ 38.

Pauperes, Domini pedes sunt.

Matt. 25.

Videns autē Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, &c. Hìc apertè videmus impletū quod Samueli Dominus dixit: *Homo videt ea quæ foris patent, Dominus autem intuetur cor.* Pharisæus enim vulgi

1. Reg. 17.

iudicium sequens,& anteactã vitam peccatricis, eam damnabat. Christus autẽ Dominus,de quo longè ante pronunciatum erat, *Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes*; cor illius charitate, humilitate,acerbissimoque dolore contritum intuebatur: ideóque quam mundus accusabat, ille,qui renum & cordis scrutator est, commendabat. Nec hoc solùm nomine accusandus est Pharisæus,sed hoc etiam quòd ad veram sanctitatẽ & iustitiam pertinere credebat,peccatorum,ac præcipuè pœnitentium, contactum refugere: quasi huiusmodi contactu pura mens inquinari posset. Sedtamen vana & ficta Pharisæorum religio in huiusmodi nænias inciderat: quæ vt ad plausum & oculos hominum seruiebat; ita interna pietate neglecta,ea solùm quæ humanis oculis conspicua erant,curabat. Videtur mihi Pharisæus hic quadam ex parte similis illi fuisse, qui seipsum publicani comparatione iactabat: ita enim hic eiusdem superbiæ & præsumptionis sectator huius peccatricis comparatione efferebat. Cuius cogitationibus Dominus tam mirabili consilio & arte respondit,vt peccatricem illam longè ipso iustiorem esse declararet,& is tamen hac respõsione nihil offenderetur. Ait igitur: *Simõ habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic, Duo debitores erãt,&c.* Delicatæ aures,nisi his ambagibus & parabolis, veritatem, quæ illos perstringit,audire recusant. Sic etiam Nathã Propheta scelus adulterij Dauidi Regi proposuit,vt non à Propheta reprehensus, sed à seipso damnatus fuisse videretur. *Duo*,inquit,*debitores*,&c. Animaduertite quæso, Auditores, Domini misericordiam & gratiam. Mulier faciem Domini verita accessit retrò: at is qui humiles corde non auersatur, terga petenti faciem reddidit. Moysi,faciẽ Domini videre cupienti, posteriora videnda traduntur: at huic peccatrici retrò accedenti,facies Domini exhibetur. Conuersus enim ad illam,dicit Simoni? *Vides hanc mulierẽ? Intraui in domũ tuã,aquam pedibus meis non dedisti*; &c. Miram in hac officiorum supputatione consolationẽ animus meus percipit. Hoc enim argumento facilè coniicio,quibus immensa illa bonitas oculis piorum hominum rectè facta contemplatur: quando omnis boni operis circunstantias atque particulas adeò vigilanter excutit,vt simplex beneficium minutatim in tot partes diuidat,quod circũstantias habet,quo vnicuique suum prę miũ tribuat. Simili modo misericordiæ opera, quibus

Esaia 11.

Pharisæorum superstitio.

Luca 18.

2. Reg. 12.

Exod. 33.

Deus non obliuiscitur operu nostri.

quibus pauperum necessitatibus cõsulimus (quæ vnico nomine comprehendi poterant) singulatim in extremo iudicio diuidet, cùm illis sua præmia decernet. Itaque, Auditores, sicut Apostolus ad bene operãdi studium spe futuræ resurrectionis Corinthios hortatur: ita vos ego ad idem studium hortor, quòd iustissimorum vestrorum operum æstimatorem in cælo habituri sitis, cui nõ sit necesse oratorem adhibere, qui vestra rectè facta amplificet, & rẽ ipsam cum partibus ante eius oculos ponat: ipse enim & bonorũ operum retributor, & idoneus amplificator est: quique non solùm boni operis, sed omnium etiam vel minimarũ circunstantiarum rationem habeat. Quid igitur sibi Saluator hac officiorum enumeratione voluit? Primùm hinc apertè colligit, quam ille peccatricem damnabat, esse illo sanctiorem, quòd videlicet maiori esset charitate prædita: quã rem maiora charitatis officia indicabant, cùm ille præter hospitij conuiuium nihil addidisset, hæc verò mulier illa omnia ardentissimæ charitatis officia præstitisset. Itaque ex operum præstantia, charitatis excellentiam: ex hac verò, sanctitatis præstantiam non obscurè intulit: quod ille fortasse minùs intellexit. Sed non leuis tamen dubitatio circa hanc Domini conclusionem oritur, qua is, proposita duorum debitorum parabola, quorum alter minus, alter plus deberet, intulit: *Propter quod dico tibi, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, &c.* Videtur enim inuersa cõclusio. Si enim ex duobus debitoribus plus diligit, cui plus dimissum est; ex hoc colligi videbatur, vt hæc mulier, cui multa debita dimissa sunt, multùm diligeret. Itaq; maioris debiti remissio, maioris dilectionis causa est. At hîc cõtrà Dominus maiorem dilectionem remissionis causam esse intulit, cùm ait: *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Spes quò vehementiùs à diuino Spiritu roboratur, eò maiorem in Christum amorem excitat. Ea verò in hac peccatrice tanta fuit, vt ardentissimum in eius pectore amoris ignem accenderet, per quem tantum sibi beneficium firmiter conferendum esse sperauit. Quò verò spes firmior & certior, eò charitas exstitit ardentior. Maria dilexit multùm, vbi illud à Domino lætitiæ & exsultationis verbum audiuit, *Remittuntur tibi peccata tua:* & ante hoc etiam verbum, *dilexit multùm,* quia firmissima spe (quæ nõ fallit) credidit esse sibi peccata multa remittenda. Hoc enim nõ obscurè Dominus indicauit, cùm ait: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Hac enim

Matt. 25.
1. Corin. 6.

Peccata cui remittantur.

enim fide,& futuram per Christum remissionẽ credidit: & quia credidit,& quia sperauit, auctorem tantæ salutis dilexit. Hoc est autem quod cælestis Magister in hac parabola intulit, quod erat videlicet obscurius: quod enim per se satis manifestum erat, iudicio reliquit auditorum. Hæc Dauid paucis manifestat: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Item alibi: *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.* Addit; *Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.* An non igitur hunc Dominum toto pectore diligam, colam, & perpetuis laudibus celebrabo, qui tam est propitius? Ipse homini remittere iussit septuagies septies: multò magis ipse præstabit, quod aliis faciendum esse præscripsit. Nemo tamen huius spei obtentu diutiùs in sceleribus perseuerandi occasionẽ sumat: imò verò quò diutiùs in peccato manet, eò magis sibi salutis aditum præcludit. Vera pœnitentia eximiam laudem promeretur, maiorem tamen obtinet innocentia. Dominus Iesus, huius sanctæ feminæ, quæ exemplar est pœnitentiæ, interuentu, sit nobis semper propitius. Amen.

Psal. 114. *Psalm. 4.* *Matt. 18.* *Peccata deserenda.*

IN FESTO BEATI IACOBI APOSTOLI, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur, ac deinde verba Thematis tractantur.

THEMA. *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20.

IN hodierna sancti Euãgelij lectione imago quędam humanæ infirmitatis in duobus Christi Apostolis, Iacobo & Ioanne, nobis ob oculos ponitur. Hi námque in Christi schola (quæ veræ humilitatis magisterium erat) enutriti, & diuinis eius præceptis imbuti, post hanc tantam veræ sapientiæ & humilitatis disciplinam, modò subornata matre, dextras & sinistras sedes, hoc est, summum in Christi regno (quod terrenum esse arbitrabantur) principatum petunt, qui paulò antè reficiendis retibus operam dabant. Hîc planè non parua nobis timoris materia exhibetur. Si enim in his duobus fratribus, qui toties ab inexhausto illo veritatis & sapiẽtię fonte potati fuerãt, honoris & principatus sitis exstincta nõ est, quid de nobis sperandum erit, quibus ea felicitas minimè

Schola Christi qualis. *Matth. 4.*

contin

contigit; quorúmque vota ac desideria ad hanc terrenæ felicitatis gloriam continenter adspirant? Hanc enim nobis, hanc amicis & consanguineis optamus: hanc auida mater filiis, quos in sinu gestat, precatur; pro hoc vota facit, & eos solos felices putat, qui huius felicitatis cōpotes sunt. Quàm altè hæc honoris & principatus cupiditas visceribus nostris infixa sit (vt alia prætereamus exempla) declarat fratrum Ioseph inuidia: qui fratris somnium de principatu suo adeò indignè tulerunt, vt de indignissima eius nece, pessima consilia inierint. Sic duo illi gemelli, Iacob & Esau, in materni vteri visceribus constituti, mutuò collidebātur. Homo constat carne simul & spiritu: iam corpus quærit quæ sua sunt, verùm animus sua negligit. Ad hoc dicendum, eam esse rerum omnium conditionem, vt vnumquodque eius rei naturam induat, in qua receptum est. Si enim aut clarissimam aquam in atramentum, aut purissimum vinum in aceti dolium fuderis, claritatem aquæ in obscurum atrumque colorem, & vini puritatem in acetum cōuerteris. Ad hunc ergo modum cùm spiritus noster carni immersus sit, in carnis quodammodo naturam degenerat: adeóque carnis naturam refert, vt interdum etiam ipsius carnis mancipium fiat: nisi diuini Spiritus beneficio ab hac seruitute liberetur. Sicut enim qui adhæret Deo, vnus cum eo spiritus fit: ita qui huic meretrici, hoc est, carni suæ adhæret, in eius quodammodo naturam transit. Hinc multos videre licet, quorum omnis cogitatio in sola earum rerum inquisitione, quæ ad carnis voluptatem spectant, posita est. Antequam accedamus ad Euangelium, diuinum numen implorandum erit.

Vota nostra qualia. *Genes. 37.* *Genes. 25.* *Simile.* *1. Corin. 6.*

AVE MARIA.

Matth. 4. Scitis, Auditores, Petrum, & Andræam fratrem eius, ante cæteros Apostolos fuisse vocatos à Domino. Cùm enim in mari Galilææ retia laxarent, à Domino ad aliam multò digniorem atque vberiorem piscationē vocati sunt. Vbi autem hos vocasset, procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum hunc, qui Hispanorum dicitur Apostolus, & Ioannem cum Zebedæo patre, reficiētes retia sua, & vocauit eos. *At illi, relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Quid hac diuina vocatione mirabilius? Qui piscatorum statu, atque eorum præcipuè, qui reficiendis laceris retibus vacabant, abiectius? Quid verò Apostolici muneris dignitate in Ecclesi-

Iacobus Hispanorum Apostolus.

clesia sublimius? Et tamen mirabili hac Saluatoris dignatione, abiectissimi piscatores ad tantam celsitudinis gloriam vocati sunt, vt appareat verum esse quod Sapiens ait: *Facile est in oculis Domini subitò honestare pauperem.* Et: *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Causam huius vocationis aliam assignare non possumus, nisi diuinam liberalitatem atque voluntatem, sicut ipse ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* &c. ne quis habeat vnde meritò ex se gloriari possit. Horum ergo duorum discipulorum mater, Zebedæi vxor, & beatissimæ Virginis soror, quæ Maria Salome, scilicet filia, appellatur (illa, inquam, Salome, quæ cum Maria Magdalena, & Maria Iacobi matre, summo mane cum aromatibus ad Dominicum corpus vngendum venerat) cùm videret filios suos inter primos Apostolorum à Domino vocatos, & sanguinis cõiunctione propinquos petit, vt eos regni sui (quod terrenum ac temporale, Iudæorum more, futurum somniabat) summos principes faceret, eisque ad dexteram suam atque sinistram consessum præberet. Mater ergo à filiis subornata, & materno amore decepta, hunc tantum honorem filiis in Christi regno petebat, qui paulò antè cum Zebedæo patre lacera retia reficiebant. Accessit ergo mater ad Dominum Iesum, *adorans & petens aliquid ab eo.* Quis huius orationis exordium audeat improbare? Adorare enim & orare, vtrumque ad religionis officium pertinet, quæ est moralium omnium virtutum præstantissima; ad quam post Theologicas virtutes, diuini numinis cultus præcipuè spectat. Et tamen si quis orationis huius mentem propositumque consideret, inueniet eam vanitatis & ambitionis labe prorsus infectam. Ideò enim hæc mulier Christum adorat, ideò se illi supplicem exhibet, vt terrenam dignitatem filiis impetret. Quo exemplo monemur, vt solicitè in iis operibus, quæ cum pietate suscipimus, maximam intentionis, & finis, quem intuemur, rationem habeamus. Caro sibi cupit tributum aliquod impendi. Constat autem omnes nostras actiones ex fine, quem mente concipimus, esse diiudicandas. *A fine pendet omnis honestatis ratio.* Qui voluptatem finem suum instituunt; siue alias tes varias, non sunt prudẽtes habendi. Cùm igitur tota operis nostri dignitas ex fine pendeat, solicitè admodùm, quid nos in pietatis operibus moueat, quò intentionis nostræ oculus tendat, quid præcipuè captet, indagate debemus:

Eccl. 11.
Psal. 112.
Ioan. 15.
Marc. 19.
Aristoteles.
Finis intuẽdus est.

ne fortè bonum opus, quod molimur, aliqua inanis gloriæ labe polluatur. Ad hoc ipsum D. Gregorius fatuarum virginum exemplo diligenter adhortatur, cùm ait: *Sæpe vos, fratres charissimi, admoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare; sed hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis*, &c.

Gregorius.

Act. 24.

Paulus disputabat ante Præsidem Felicem de extremi iudicij acerbitate, qui tantum Præsidi timorem incussit, vt totus præ horroris magnitudine tremefactus fuisse dicatur. Quid verò post hunc adeò vehementem affectum consecutum putatis? Mira profectò res: *Simul* (ait Lucas) *sperabat se pecuniam accepturum à Paulo, propter quod frequenter accersebat.* Sic multi magis curiositatis quàm ædificationis obtentu ad diuina veniunt, eleemosynas largiuntur. Quàm multi siue viri siue feminæ, corporis castitatem, nullo diuini timoris respectu, sed solo humani pudoris atque dedecoris metu, conseruant! Videtis ergo Auditores, quàm multis in rebus vis amoris proprij sese operibus nostris adiungat, earumque puritatem labe aliqua adspergat, vt apud æquissimum iudicem Deum (qui renes scrutatur & corda) vel nihil valeant, vel minùs valeant, vel interdum etiam eius offensionem incurrant. Vt enim accipiter visa præda; ita huius amoris vis, quauis commoditate ante oculos posita, vehementer excitatur. Qua de causa viri sancti in iis etiam actionibus, quas cum pietate suscipiebant, trepidi semper atque pauidi subsistebant: hoc enim Iob (cui nemo similis erat in terra) de seipso fatetur: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Sciebat vir sanctus, aliter Deum, aliter homines videre & iudicare. Sciebat, Spiritu docēte, quod Apostolus ait, nempe Deum esse discretorem cogitationū & intentionum cordis, nullamque creaturam esse inuisibilem in conspectu eius; sæpéque apud illum sordere, quod apud homines in pretio est. Videndum nobis, ne externa virtutis specie decipiamur: quod huic feminæ contigisse videmus; quæ Dominum Saluatorē suppliciter adorans, vanitatis & ignorantiæ plenissimam petitionem illi, suo suorumque filiorum nomine, proposuit, cùm ait: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram, in regno tuo.* Exigua gratia (qualis tunc Apostolorum ante Spiritus sancti aduentum) in horum Apostolorum pectore erat: quare hæc ambitionis occulta fibra in eorum mentibus residere poterat. Vi-

Auarus Præses Felix.

Timore qui boni sint.

Simile.

Iob 9.

Hebr. 4.

Vitia fugienda.

no-

non possunt omnia exstirpari, Deo ita permittente: oportet igitur diligenter cauere ne socordia nostra incrementa suscipiant. Venialibus peccatis aliquando lethifera præbent aditum ex dormitantia nostra. An non fabulam illam legistis, quæ agricolam refert paruulum in agro serpentem inuentum domum attulisse, atque blandè nutriuisse; qui tamen, vbi adoleuit, duos filios eius necauit? Hæc igitur siue fabula siue similitudo nos admonet, vt cuiusuis ambitionis aut superbiæ vel minimam etiam labeculam studiosè fugiamus: ne videlicet ea ex paruo serpente in draconem posteà, hoc est, in ingentem superbiam (quæ peccatorum omnium initium est) erumpat. Hæc fiducia Loth ruinam cum duabus filiabus fecit. Oportet nos diligenter à duabus sororibus cauere, id est, superbia, quæ maior est; & inani gloria, quæ minor appellatur. Vt ad institutum redeamus: Discipuli adhuc rudes, veros honores à falsis discernere nesciebant, falsum honorem à Deo petebāt. Quibus Dominus ait: *Nescitis quid petatis.* Verè enim quid peterent, nesciebant, qui veræ solidæque dignitatis & gloriæ ignari, hanc vulgarem dignitatem & gloriam ambiebant. Quod autem illis à Domino responsum est, nobis quoque responsum putemus, qui simili morbo, similique errore laboramus. Intellige miser homo, verum honorē esse qui virtuti & sanctitati ac religioni tribuitur: hoc enim te in hoc seculo, & in futuro, & coram Deo & hominibus, clarum in primis & illustrem reddet. Regius Propheta in mendacis gloriæ amatores inuehitur, cùm ait: *Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Rectè itaque ait Dominus, *Nescitis quid petatis*; quando humanæ felicitatis auidi, curarum atque laborum materiam postulatis. Regnum autem meum tot Prophetarum vaticiniis & oraculis prænunciatum, non ad hæc falsa & fallentia bona, sed ad vera & solida, cęlestia nempe, pertinet. Oportet primùm postulare tolerantiam quàm gloriam. Fuit in matre impotens affectus, qui est tanquam densissima nebula omnia impediens. Orandus Deus, vt nos ab impotenti affectu eripiat: hoc enim dominante, homo rationis lumine & officio per id temporis quodammodo spoliatur, & in pecudum naturam degenerat: quæ non ratione (qua carent) sed impetu & cupiditate feruntur. Atque vt in litibus decernendis suspectus per leges est iudex, qui amore aut odio litigantis laborat: ita nobis nos suspecti esse debemus, qui nimiùm nosmetipsos diligimus,

Genes. 19.

Sorores quæ cauendæ.

Honor verus quis sit.

Psal. 4.

Affectus prauus q̄d efficiat.

Iudex suspectus quis.

vbi vehementi aliquo affectu concitamur. Quisquis ab hoc
periculo tutus esse cupit, nullo modo affectibus, sed consi-
Eccl. 37. lio atque rationi gubernacula vitæ committat. Sic Sapiens
ille, *Ante omnem*, inquit, *actum, consilium stabile.* Quid enim
indignius, quàm neglecto rationis lumine, vitæ nostræ gu-
Simile. bernacula affectibus committere? Vt enim idem naturæ cõ-
ditor, oculos homini contulit, vt pedes cæteraque membra
dirigeret: sic mentem homini dedit, vt affectus (qui pedes
animæ esse dicuntur) gubernaret. Vt igitur monstri simile
esset, oculos à pedibus dirigi: ita monstri genus est, mentem
& rationem affectibus parere, & eorum ductum atque mo-
tum sequi. Huiusmodi autem mõstris hodie plenus est mun-
Psal. 72. dus. Hos Propheta dicit transisse in affectum cordis: quod
perinde est ac si diceret, eos in pecudum naturam degene-
Simile. rasse. Vt enim frequenter vinum transit in acetum: ita isti
vitio suo à rationis præstantia deiecti, in bestiarum naturam
transierunt. Qua quidem ex re liquet, hoc potissimùm inter
probos & improbos, sapientes & stultos discrimen esse,
quod Salomon paucis descripsit, cùm dixit: *Et cognoui
quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum dif-
fert lux à tenebris. Sapientis oculi in capite ipsius: stultus in*
Eccl. 2. *tenebris ambulat.* Omnes gestant oculos carnis, non tamen
oculos mentis, nisi soli sapientes. Hi ita cogitationes & ope-
ra sua dirigunt & regunt, vt nihil extra præscriptum ordi-
nemque rationis agant. At stultus in rebus agendis non le-
Prou. 4. ge aut iudicio, sed cæco impetu & impulsu agitatur. *Oculi
tui*, inquit Sapiens, *recta videant, & palpebræ tuæ præcedant
gressus tuos.* Pia hæc mater errauit, quia amoris impatientia
superata, quid peteret, non aduertit, Dominus autem ambi-
tiosæ petitioni mansuetè respondit, qui potuisset acriùs
respondere, ignorantiæ tribuens, quod ambitionis & insi-
gnis erat vanitatis, quam tamen non minor ignorantia præ-
cedebat. Verè enim qui honores, qui seculi dignitates, qui
excelsas sedes postulabãt, nesciebant quid peterent: quando
pacem, tranquillitatem, & felicitatem in his rebus esse cre-
debant, quæ non modò curis & laboribus, sed etiam anima-
Ambitio rum periculis & præcipitiis plenæ sunt. Ambitio pestis est
quid sit. occulta, multorum malorum initium: nullius regitur iudi-
cio siue consilio, sibi tantum fidit. Dominus, vt discipuli se-
uarent ordinem, eos reuocare vult, cùm dixit: *Potestis bibere
calicem quem ego bibiturus sum?* Quod perinde est ac si dice-
ret: De merito debetis esse soliciti, non de præmio; de labore,
non

non de requie; de humilitate obediendi, non de principatu dominandi. Erratis toto cælo, cùm existimatis, me humanis rationibus ita moueri, vt, quod virtuti & religioni meritisque debetur, istis rationibus tribuam. De hoc ergo calice bibẽdo soliciti esse debetis (hoc enim ad vos spectat) sedium autem & dignitatum curam sempiterno iudici relinquite, qui vnicuique reddet iuxta opera sua. Ab hac igitur inanium bonorum cupiditate ad vera bona traducere discipulos suos Dominus volens, ait illis: *Potestis bibere calicẽ quem ego bibiturus sum?* Olim etiam hanc contentionem dum tractarent discipuli, eos Dominus præuenit, & sapientissimus magister, latens in eorum pectore ambitionis virus agnoscens, longè diuersam viam indicauit: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Dicendum vobis cum Propheta: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ad hũc ergo modum cùm in præsenti Euangelio Dominus duos hos discipulos animaduerteret à dextris & sinistris consessum, hoc est, requiem & placidam vitam (quæ sedis nomine designatur) appetere, eos à quiete ad labores & certaminis studium reuocat, dicens: *Potestis bibere calicem, &c. Dicunt ei: Possumus.* Videtis hoc in loco, præsumptionem ambitioni esse coniunctam. Quisquis enim honorem aut dignitatem vehementer ambit; hoc affectu ipse sibi imponit, dum ad eam dignitatem cõsequendam se idoneum putat. *Mentitur* enim *iniquitas sibi.* Sed quantum inter boni operis propositũ & bonum opus intersit, hoc exemplo discimus. Cùm enim ad calicem Dominicæ passionis ventum esset, qui se illud bibituros spoponderant, relicto magistro, fugerunt. Ideóque, Auditores, firmitati sui propositi nemo nimiùm fidat, nemo in hac vita (quæ tota tẽtatio esse dicitur) securum se esse arbitretur: cùm hoc exemplo videatis ipsos Christi Apostolos, & Apostolorum quoque principẽ, qui ea miracula viderat, quæ ferrea etiam corda ad fidei confessionem inducere potuissent, in primo periculi limine defecisse, & turpi fuga saluti suæ consuluisse. Vigilandum nobis est, & orandum cum Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Ad hoc enim Saluator ipse hortatur, cùm ait: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Cùm ergo discipuli se calicem Domini bibituros dixissent, ait ad illos Dominus: *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram*

Psal. 62. *Marc. 9.* *Matt. 18.* *Psal. 83.* *Labor ante quietem requirendus.* *Discipuli Christi fugiunt. Matt. 26.* *Psal. 24.* *Luca 22.*

meam & sinistrã, non est meũ dare vobis. Verba sunt Domini in forma serui loquẽtis. Nam ex persona Filij idem ipse ait:
Matth.11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ad hanc autem diuinitatis Filij gloriam & prædestinatio, & cælestium sedium distributio non minùs, quàm ad Patrem pertinet. His autem verbis Dominus viam illis regiam ostendit, qua nõ ad temporariam & inanem, sed ad verã dignitatem & gloriã peruenitur: quæ nõ alia quàm variorum laborum patientia est. Hoc enim passim diuina volumina prædicant atque decantant.

Via ad veram gloriam quæ.

Lucæ 9. Matt. 10. Galat. 5. *Si quis*, ait Dominus, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et alibi ait: *Qui non accipit crucem, & sequitur me, non est me dignus.* Et Apostolus: *Qui Christi* (inquit) *sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Itaque non est satis, & vitiis & vitiorum cupiditatibus obsistere, eásque cruci affigere: sed ipsam quoque carnem, quæ & vitiorum & cupiditatum seminarium est, eiusdẽ Apostoli Pauli exem-
1. Cor. 9. plo castigare monemur, dicentis: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne, cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Omnes sancti hunc calicem bibere conati sunt. Sic Ioannes, cuius Euangelium facit mentionem, in feruentis olei dolium missus, & exsilio multatus: Iacobus verò ante omnes alios Apostolos martyrio fuit laureatus. Ita qui principem inter alios locum petebant, meliori conditione principatum adepti sunt: dum enim primus omniũ calicem Domini diuus Iacobus bibit, clarissimum fidei & cõstantiæ suæ exemplum reliquit. Ex omnibus istis addiscimus patientiam, vt Apostolus docet:

Sancti calicem Domini biberunt.

Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem.* Petitio autem discipulorum, & responsio, non minùs ad nos quàm ad ipsos pertinet. Ambiebant illi regnũ terrenum, nos ad æternum adspirare debemus. Ad hanc enim sortem & finẽ conditi, & à Iesu Christo prædestinati sumus. Oportet autem per calicem ad calicem peruenire. Ad hunc calicem non nisi per varios labores & certamina peruenire nõ possumus.
Lucæ 12. Matth. 7. *Contendite*, inquit cælestis magister, *per angustam portam intrare: quia lata porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Multa enim ferenda, multi labores tolerandi sunt, vt in pietatis ac virtutis curri-
Matt. 16. culo ad finem vsque perseueremus. *Oportet & crucem tollere, & abnegare nosmetipsos.* hoc est, seipsum non agnoscere, se tãquam externum & inimicũ tractare. Proponitur nobis

crux

crux,patientia,paupertas, & omnia vitia deteſtantur. Non immeritò ſponſa ſponſum ſuum faſciculum myrrhæ appellauit:quoniam ſi eius doctrinam omnem ſpectare velis,nihil frequentius quàm laboris,doloris,lacrymarum, patientiæ,inopiæ,& amaritudinis myrrham deprehendes. Neque verò ſolam eius doctrinam, ſed vitam quoque ipſam amaritudinis myrrha pleniſſimam fuiſſe,calicis nomine declarat in hoc Euangelio,cùm ait:*Poteſtis bibere calicem quē ego biturus ſum?* Vtroque igitur modo,verbis ſcilicet & exēplis, nos ad laborum tolerantiam inuitat. Si ergo rerū omnium Dominus,nullis noſtris meritis prouocatus, ſed ſola miſericordia calicem hauſit paſſionis non pro ſe,ſed pro me:cur ego,tali exemplo prouocatus & excitatus , pro ſalute mea non faciam,quod is pro aliena facere non dubitauit? Rectè Leo Papa Dominicam paſſionem ſacrificium eſſe dicit & exemplum: & ſacrificio quidem infenſum nobis Patrē placaſſe,exemplo autem homines ad ſui imitationem allexiſſe. Hic hæretici hallucinantur, qui ſolam ſacrificij virtutē attendunt, vt ſalutem ſibi otiantes alieno labore parent : virtutis autem exemplum minimè conſiderant, ne illum imitari compellantur. Nos igitur , qui Catholicæ Eccleſiæ filij ſumus,vtrumque in Chriſti calice conſiderare debemus: vt ſacrificij eius merito ſpem concipiamus,& paſſionis exemplo ad charitatem & patientiam excitemur. Quid autē nos magis ad harum virtutum amorem,quàm immortalis Dei mors, inflammare debeat? Hoc autem exemplo nullū conſtat eſſe maius. Si præter hoc alia deſideratis, habetis omnes Chriſti Domini diſcipulos , qui ſimili paſſionis ſacrificio Dominum glorificauerunt. Habetis in præſenti Euangelio duos fratres,Iacobum & Ioannem, qui hunc calicem biberunt. Iacobus hunc calicem bibit , quando primus Apoſtolorum iugulum lictori,propter fidei confeſſionem,præbuit. Quis autem verbis conſequi poſſit , qua animi promptitudine & alacritate vir diuinus ad ſupplicij locum procedebat? Agatha virgo,quaſi ad epulas inuitata,lætiſſimè ibat ad carcerē,at hic multò alacriùs. Dominus Deus , vt Apoſtoli ſui dolorem leniret , qui voluit omnes eſſe ſaluos , effecit vt carnificem Ioſiam, martyrij conſortem, momento temporis haberet. Quanta Apoſtoli gratia , cuius meritis tanta gloria Ioſiæ conceſſa eſt , vt ex perſecutore fidei fidelis, ex carnifice martyr efficeretur! Quis negare audeat , hoc tantum munus , Apoſtoli meritis & precibus tributū fuiſſe?

Labores ſubeundi. *Cantic.1.*

Calix ebibendus.

Leo.

Hæretici hallucinātur.

Iacobi vita.

Agathæ laus.

Clemens Alexand. teſtatur.

Psal.36. Verè dictum: *Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Mors sanctorum, & vita nostra pia, pretiosa erit in conspectu Domini.* Faxit Deus vt earn ducamus, & vitam consequamur æternam. Amen.

IN FESTO BEATI LAVRENTII

CONCIO: IN QVA POST EVANGELIcæ lectionis explanationem, ad dolorum atque miseriarum, quibus hæc vita referta est, tolerantiam adhortamur: ad quod nos beati Laurentij patientia inducit.

THEMA. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan.12.

Hodierna sancti Euangelij lectio, Auditores, Dominicæ passionis fructum, simul & exemplum quod imitari debeamus, breuiter exponit. Huic autem doctrinæ tradendæ Gentiles quidam, qui adscenderunt vt Dominum in Hierusalem adorarent, occasionem Domino præbuerunt. Hi námque, audita mirabilium operum eius fama, eiúsque videndi desiderio incensi, Philippum adiere, hoc illi desiderium suum declarantes. Philippus autem hoc ipsum Andreæ significauit, & vterque Domino. At Dominus, qui altissima semper mysteria animo versabat, hac occasione, hoc est, pio Gentiliũ desiderio commotus, de Gentium conuersione, quæ sacratissimæ passionis suę merito & sacrificio iam iã perficiẽda erat, disserere cœpit, his verbis: *Amen dico vobis, nisi granum frumẽti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solũ manet.* Hac comparatione seipsum frumenti grano in terram iacto similem facit: hic passionis suæ ignominiam, & eiusdem passionis incomparabilem fructum breuiter ostendit. Hic enim fructu innumerabiles secum homines felicitatis & glorię suæ consortes, passionis suę merito effecit. In hac oblatione est summa obedientia, humilitas, charitas, patientia, misericordia, non pecudum strages, sed Christi oblatio. Pater cęlestis his placatur muneribus & oblectatur, imò horum sacrificiorũ merito opes suas in nos transfundit. Quia verò Christi sanguine à diaboli seruitute & peccati iugo redempti sumus,

Gentiles Christi amore flagrant.

Christi passionis fructus.

æquum

æquum vt eius adiũgamur imperio. Hic est igitur copiosus ille electorum omnium fructus, qui ex cælestis huius grani morte consecutus est: qui omnes, hoc tantũ salutis suæ beneficium vni illi acceptum referentes, apud Ioannem magna voce clamant: *Redemisti nos Domine in sanguine tuo ex omni lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.* Proponit igitur in Euangelio hoc duas vias: altera est mandatorum, altera verò consiliorum, id est, altera imperfectorum, altera verò perfectorum. Hîc omnes quidem, sed eos potissimùm instituit, qui mortis & crucis suæ exemplo, mortificationis crucem in omni vita portare decreuerunt; per quam sibi ad cæleste regnum viam munierũt. Ex hoc fœcundissimo grano innumerabilis Martyrum exercitus prodiit: ex hoc myriades sanctorum Pontificum & Confessorum: ex hoc purissimus sanctarum Virginum chorus: ex hoc item clarissima Monachorum & Anachoritarum examina: ex hoc denique quidquid electorũ in libro vitæ scriptum est. Quos omnes sanctus Ioannes tanquam turbam magnam se vidisse ante thronum testatur. Omnes enim isti in ducem suum, in edito crucis loco positum, oculos coniicientes, & mirabilem eius charitatem, patientiam, constantiam, obedientiam, & humilitatem; reliquásq; eius virtutes considerantes, ab eo spiritũ & virtutem contraxerũt, quibus & mundũ, mundíque delicias & pompas contemnerent, & per varios labores atque certamina suum ducem sequerentur. Quid verò mirũ, si Saluator proposito sibi huius tam multiplicis fructus gaudio libenter mori voluerit, vt tam copiosus fructus ex huius grani morte prodiret? Quia verò Saluator noster non ob hoc solùm passus est, vt nos mortis suæ merito & sacrificio redimeret; sed etiam vt exemplo suo nos ad sui imitationem, hoc est, ad laborum patientiam, atque tolerantiam induceret; subdit protinus: *Qui amat animã suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam.* hoc est, quisquis carnem suam vnà cum vitiis crucifigit & mortificat, is planè hac spirituali morte & salutari odio nõ quidem eam exstinguit, sed in vitam æternam custodit. Itaque dum carnem suam odit, amat; dum amat, odit: dum illam molliter nutrit, perdit: dum verò illi necem infert, in vitam æternam seruat. Tria in passione Christi potissimùm nobis consideranda sunt: nempe sacrificium, beneficium & exemplum. Et quidem sacrificio Dei Filius Patrem placauit:

Apoc. 5.

Granum frumenti cuius virtutis.

Apoc. 7.

Deus noster qui sit.

Galat. 5.

Caro nostra odiẽda.

beneficio homines ad sui amorem pellexit: exemplo autem suo ad virtutum suarum imitationem compulit. Sacrificio igitur spes nostra roboratur: beneficio charitas accenditur: exemplo autem patientiæ eius ad imitationem inuitamur. *Qui odit animã suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam.* En salus animę sempiterna. Amor Dei, & amor sui, sunt velut bilances: in quibus quo magis altera deprimitur, ho[c] magis altera attollitur. Sui enim amore decrescente, Dei amor crescit: contrà verò vbi sui amor augetur, Dei protinus amor fugit. Qui Deum super omnia diligit, ille carnis desideriis minimè acquiescit. Qui contrà facit, & pro disciplinæ securitate, molli indulgẽtia corpus suum nutrit, illud sanè experietur, quod à Salomone dictum est: *Qui delicatè nutrit seruum suum, posteà inueniet eum contumacem.* Deinde verò Dominus addit: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* En Christi societas & contubernium felicissimum. Sequimur autem Dominum non gressibus corporis, sed passibus mentis: hoc est, imitatione laborum atque virtutum: vt videlicet sicut ipse amplexatus est crucem, vt obediẽtiam Patris impleret: ita nos crucis mortificationem in corpore nostro circumferamus, vt diuinæ legis præcepta fideliter exsequamur. Huius igitur doctrinæ summa est, vt quoniam Christianæ vitæ finis in charitate positus est, nihil autem post lethale peccatum charitati magis quàm immodicus sui amor obsistit: aduersus hũc amorem arma sic capiamus, vt pro hoc amore sanctum nostri odium mentibus nostris infigamus. Amor Dei priùs vitam & omnia vitæ incommoda, quàm charitatem amittere paratus est: amor sui, cuiusuis vtilitatis gratia diuinas leges violare non veretur. Ille castigat corpus suum, & in seruitutem spiritus redigit: hic totus in oblectanda carne mollitérque tractanda intentus est. Ille soli Deo, iste soli carni & seculo placere & obsequi cupit. Ille diuinis eloquiis sacrisque lectionibus & precibus pascitur: huic omnia diuina eloquia, omnisque spiritualium rerum commẽtatio, tædio & fastidio est. Ille publicum fugit, & solitudinem amat, vt solus soli Deo vacare possit: iste frequẽtiam diligit, vt inter homines humana solũ atque terrena tractet. Liquet ex hac tam longa collatione, quãtum inter Dei suiq; ipsius amorem intersit. Atque, vt paucis absoluam rem omnem, Dei amor virtutes omnes: sui autem immodicus amor omnia vitia parit. Verissimè à diuo Augustino dictũ est: *Radix bon[orum]*

Simile.

Prou. 29.

1. Cor. 4.

Christum quatenus sequamur.

Amor Dei, & amor sui.

1. Cor. 9.

Pij amãt solitudinem.

August.

bonorum omnium, charitas: radix verò malorum omnium,
cupiditas. Vnde consequens est, vt nulla ratione vterque
amor in eadem simul mente cohabitare possit: ideoq; alter *Amor nostri pellendus.*
pellendus est, vt alteri sit locus. Expelli autem amor nostri
non potest, nisi spiritualem crucem & mortẽ mentibus nostris affigamus: tunc enim animus noster verè Deo viuit,
cuius vita in charitate est, cùm sibi fuerit mortuus. Quisquis enim Deum diligit, viuit: qui non diligit, mortuus est.
Postremò Dominus addit: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus.* En summi parẽtis honor: à quo honorari, summus honor & vera gloria est. His igitur tã magnificis præmiis propositis, non adeò difficile erit supra naturam per gratiam assurgere, & hanc aduersus carnẽ suam pugnam capessere. *Qui itaque amat animam suam, perdet eam.*
Qui immoderato amore corporis vitam diligit, seq; totum illius obsequio & voluptati tradidit, is planè non vitam animæ solùm, sed corporis simul cum anima vitã sempiternæ
morti addicit. *Qui verò odit animam suam,* hoc est, qui salutari *Odium salutare.*
sanctoque odio carnẽ suã prosequitur, qui eius semper
cupiditatibus obsistit, qui turbidos illius motus & impetus frangit, qui eam ieiuniis & inedia subigit & macerat, ne aduersus spiritum insolescat, & sessorẽ excutiat, hic planè carnem simul cum spiritu ad sempiternam vitam seruat. Hinc *Bernard.*
diuus Bernardus quibusdam seculi hominibus, qui monachorum eius abstinentiã, & asperrimum vitæ cultum accusabant, quòd videlicet seipsos odio habere viderẽtur (quippe qui hostili odio corpora sua prosequi viderẽtur) prudentissimè respondit: *Vos*, inquiens, *estis qui corpora vestra odio* *Monachi excusantur.*
habetis, quandoquidem propter temporariam & exiguam voluptatis illecebram ad acerbissimam eam mortem nullo vnquam tempore finiendam damnatis. Sic igitur perditi homines, cùm seipsos nimiùm diligunt, oderunt: contrà verò pij, cùm seipsos salutari odio prosequuntur, verissimè diligunt. An verò seipsum D. Hieronymus odio habebat, cùm *Hieronym.*
se, vt ipse ait, gehennæ metu, asperrimo vitæ cultu: quasi ad carcerem damnauerat? Imò verò tunc se maximè diligebat, cùm temporali pœna euadere æternam curabat. Hoc item
modo seipsos sancti martyres odio habuerunt, *qui non di-* *Apoc. 12.*
lexerunt animas suas vsque ad mortem, hoc est, qui corporis vitam propter fidei confessionem perdiderunt: ideoque sempiternam vitam pro temporaria percipere meruerunt. Quod plenissimè beatus Laurentius præstitit, qui non vno

mortis

Laurentij robur. mortis genere, sed multis hâc mercatus est. Huic enim Dominus & patiendi materiam, & robur inuictum, & propensam ad patiendum voluntatem & alacritatem contulit. Primùm enim scorpionibus, iubẽte Imperatore (cuius animus dæmonum furiis agitabatur) immanissimè toto corpore cæditur & laceratur. Deinde nouo alio flagellorum genere iisdem temporibus vsitato, hoc est, crudelibus virgis, sæuissimè cæditur; inde plumbatis, vt totum corpus contunderetur, & ossa constringerẽtur, cæditur. Cùm ergo sanctus martyr mortẽ sibi iam imminere credidisset, sublatis in cælum oculis, cælestem Imperatorem his verbis appellat: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Quid ad hæc Dominus Iesus? O miranda diuinæ sapientiæ consilia! Ad hanc Martyris petitionem clarissima è cælo vox delapsa est, quam ipse etiam crudelis tyrannus audiuit: *Adhuc multa tibi desunt certamina.* Cùm in craticula igni vreretur, ad teterrimum airtyrannum: *Agnosce miser & reipsa doctus intellige, me istis tuis* *Laurentij passio acerbißima.* *ignibus adeò non terreri, vt ij mihi magno etiam refrigerio sint. Agnosce ergo te victum, agnosce te mea fide & constantia superatum, & conatus tuos omnes irritos & inanes fuisse. Agnosce ergo, miser, Romanum Imperatorem, non modò ab vno adolescente superatum, sed etiam irrisum atque contemptum. Itaque assasti vnam partem, gyra aliam, & manduca.* Videris quantum ex hac passionis acerbitate Martyris gloria creuerit? Vnicum sanctorum omnium studium fuit, modis omnibus Dei gloriam magnificis laudibus & operibus celebrare. Dei gloria, fide & obsequio seruorum eius maximè declaratur. Quod cùm ita sit, quantum quæso beatissimus Laurentius Dei gloriam illustrauit; cuius tantam ma- *Imperator victus.* iestatem, tantum imperium credidit, vt pro ludo habuerit omnes tormentorum machinas, omnem Imperatorum potentiam, ne cælestem Imperatorem suum aliqua infirmitatis nota offenderet! Vt verò fidelis famulus in Dominum, ita fidissimus Dominus exstitit in seruum: qui tanto illum spiritus robore donauit, totque miraculis eius fidem confirmauit, & certissimam illi spem salutis & gloriæ mox futuræ ostendit. Nam cùm in carcere esset, signo crucis subitam & insperatam videndi facultatem cæcis contulit: & *Hippolytus cõuertitur.* his miraculis Hippolytum, carceris custodem, eiúsque familiam ad Christi fidem ita conuertit, vt martyrij participem effecerit. Quin & Angelum misit, qui martyris sui sanguinem, ex vulneribus defluentem, linteo abstergeret.

Hoc

Hoc ergo modo fidiſſimus cum fideli ſeruo Dominus certare quodammodo videbatur. Quò enim martyr grauiora tormenta patiebatur, hoc maiora illi Dominus ad patiẽdum præſidia & adiumenta conferebat. Iam verò ad Catholicæ fidei exemplum & firmamentum, quantum roboris hæc Laurentij tormenta præbuerunt! Quo enim immaniora ſupplicia, ne à fidei ſinceritate deficeret, paſſus eſt, hoc clarius & firmius ſanguine ſuo Catholicę veritatis & fidei teſtimonium tulit. Quid verò de martyris gloria & corona, hac tam dira paſſione aucta, dicam? Vnus martyrij dies totam æternitatis gloriam illi contulit: tantóque maiorẽ, quantò paſſionis certamen acrius fuit. Quo quidem fructu ſanctus martyr fraudatus fuiſſet, ſi poſtremum hoc craticulæ ſupplicium defuiſſet. Eius igitur gloriæ & felicitati Dominus cõſulebat, cùm maiora illi certaminaupereſſe cælesti voce denunciabat. Beatus Laurentius diuinæ gratiæ opibus ditiſſimus erat: cuius virtute tormenta illa, & multò etiam atrociora ſuſtinere poterat. Iam ex his quæ diximus, colligere licet, eos multùm errare, qui metu laboris, quem in diuinæ legis obſeruatione eſſe putant, ab ea deterrentur. Non enim diuinæ gratię virtute (quam fortaſſe nunquam experti ſunt) agnoſcunt: cuius tanta vis eſt, vt non modò legis diuinæ ſuaue iugum, & onus leue, ſed ferrum etiã, & ignes, & ſcorpionum verbera, & crates ferreas alacriter ferre poſſit. Quæ quidem gratia omnibus, qui ſe ad eam parare ſtudent, in promptu eſt: cùm ipſius gratię auctor perſonarum acceptor non ſit, ſed omnibus ad ſe redire volentibus, miſericordiæ ſuæ opes explicare & impartiri ſoleat. Quam ergo ignauiæ noſtræ excuſationem in extremo illo examine prætexere poterimus, cùm gratiæ collator expanſas ſemper manus in cruce habeat, vt ſua in nos munera largiatur?

Paſſio q̃d Laurentio contulerit.

Iugũ Domini leue & ſuaue. Matth. 11.

Excuſatio omnis adẽpta nobis.

Hinc etiam colligere licet, quanta ſit illa ſupernæ patriæ felicitas, quam omnes ſancti Martyres dignam putauerũt, propter quam omnia tormentorũ genera perpeti decreuerunt: cùm tamen certum ſit, ne omnes quidem paſſiones ſimul congeſtas, vel vnum felicitatis huius diẽ æquare poſſe, niſi diuinæ gratiæ virtus eas hac felicitate dignas efficeret. Quanta ergo demẽtia ac cæcitas eſt, nolle ſolo diuinæ legis ſuauiſſimo iugo ſine vulnere & ſanguine mercari, quod martyres omnes membrorũ omniũ dilaceratione ſibi compararunt? Quid hi quæſo facient, cùm viderint ſe ab hac tanta gloria excidiſſe, quã tam leui diuinæ legis ſarcina ſine ferro

Non ſunt condignæ paſſiones, &c Rom. 8.

ferro & vinculis promereri potuissent? O qualis tunc erit luctus, quantus furor, cùm hanc tantã socordiam & amentiam suam ad mentem reuocauerint! *Mortificamus n[...] membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, propter quæ vitia venit ira Dei in filios incredulitatis*: vt his pestibus liberati, ad gloriosa Martyrum contubernia peruenire mereamur. Quia verò sic se odisse, propter vehementem amoris proprij vim, difficile admodùm est, maximum illi Dominus huius odij præmiũ proponit: vt quos operis difficultas terret, mercedis magnitudo ad laborem inuitet. Vbi enim dixisset, *Qui mihi ministrat, me sequatur*, subdit protinus: *Et vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Magna sanè felicitas, & qua nulla maior esse potest, *vt*, sicut diuus Augustinus ait, *ibi sit adoptatus, vbi est vnicus.* Additque deinde: *Si quis mihi ministrauit, honorificabit eum Pater meus.* Cur hoc honorandi hominis officiũ præcipuè exhibuit Patri, cùm ipse quoque hoc etiã præstare queat? Certè quia nihil aliud vnigenitus Patris Filius in vita, quàm Patris honorem & gloriam, quæsiuit, sicut ipse ait: *Pater, manifestaui nomen tuum*, hoc est, nominis tui gloriam, *hominibus.* In huius ergo fidelissimi obsequij præmium, hoc suscipit Pater, vt qui Filio suo fuerint obsequẽtes, illique fideliter ministrauerint, sempiternis atque diuinis honoribus ab ipso afficiantur. A quo honore perfecta laus, plenissima felicitas, & summa gloria est: quam ipse nobis largiri dignetur.

Ephes. 5.

Perfectio vitæ proponitur.

August.

Ioan. 17.

TRACTATIO THEMATIS.

Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Ioan. 12.

FIDELES omnes auidissimè cum Christo regnare cupiunt: at cũ Christo pati, & calicis eius participes fieri recusant. Regnũ cælorum desiderant: iter tamẽ, quo ad hoc regnũ peruenitur, omni ratione fugiũt. Volunt sine certamine vincere, & sine victoria coronari. Sanctorũ gloriã appetunt, sed Sanctorũ vitã imitari detrectant. Nolũt in lacrymis seminare, & volũt tamen cũ exultatione metere. In vtroque igitur seculo felices, in vtroque beati esse cupiunt: quod tamẽ fieri nulla ratione potest.

Psal. 125. Gaudium vt habeamus.

Impossibile quippe est, vt homo ex deliciis transeat ad delicias: vt hîc ventrem expleat; illic mentem: & in vtroque seculo primus, in vtroq; felix habeatur. Aduersus hunc autem communem multorũ errorem, & præsens sancti Euangelij lectio, & omnia sanctarum Scripturarum volumina apertè militant. Quia verò homo rationis est particeps, & rationibus magis, quàm testimoniorum auctoritate gaudet, rationes adferam, quibus errorem refellam.

Requiritur vt vita, quæ nos ad finem, qui æterna est beatitudo, ducit, talis esse debeat, vt non humana, sed diuina: non communi aliorum hominum more, sed singulari quadam & supernaturali virtute instituta esse videatur. *Qui non ex sanguinibus*, inquit Ioannes, *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati*: hoc est, qui repudiato prioris natiuitatis ingenio, & affectibus carnis conculcatis atque compressis, non vt cæteri filij hominum, sed vt filij Dei, vitam longè diuersam agunt. Hîc expugnandus est immodicus amor sui, qui nimis visceribus est infixus: quod sine labore & contentione fieri nullo modo poterit. Vt supra naturam assurgamus, natura priùs subiicienda & calcanda est: cuius vires potentissimæ sunt. Christus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* hoc est, sempiternam animarum vestrarum salutem, passionũ & laborum meritis obtinere debetis. Apostolus Paulus vtrũque requirit, id est, fidem, tanquam initium: patientiam, vt virtutum omnium adiumentum & complementum. Altera laboris & patientiæ causa est, vt vigilemus cõtra hostes, qui sunt diabolus, caro nostra, & hic mundus: vt sic vna manu operi instemus, & altera arma capiamus. *Diabolus est leo rugiens:* caro est altera Dalila, quæ virum suum, deliciis emollitum, in potestatem tradidit hostium suorum. De mũdo ait Iacobus: *Qui voluerit esse amicus mundi, inimicus Dei constituitur.* Quisquis igitur virtutis amore captus est, fortitudinis & constantiæ virtutem sibi tanquam sponsam indissolubili vinculo copulare debet, seque totũ illius studio atque amori addicere. Virtus vt natura sua est nobilissima, ita iucundissima atque gratissima. Diligenter perpende quòd nemo athleta sine labore coronatur, quomodo ergo nos illã sempiternæ gloriæ coronam adipiscemur sine vllo labore? Vide quid fecerunt Christi martyres, qui nullos cruciatus, nulla tormentorũ genera, pro hoc tanto bono adipiscẽdo recusarunt. Vt prudentissimi enim mercatores terrena contempserunt.

Ioan. 6.

Natura superanda est.

Lucæ 21.

Hebr. 6.

2. Petr. 5.

Iudic. 6.

Iacob. 4.

Virtus iucunda est.

Simile.

Martyres quid pro salute fecerint.

runt, vt inuenirent cælestia: temporalia reliquerunt, vt poss[iderent] derent æterna: vitam corporis ad horam neglexerunt, [vt] animæ simul & corporis vitam, & sempiternam gloria[m] mercarentur. Mitto alios, vnus nobis Laurentius satis eri[t,] qui tam multis atque horrendis cruciatibus hoc tantu[m] bonum mercatus est. Quid quæso nunc beate martyr agi[s?] quæ cogitationes versantur in animo tuo? Mille iam anni[s] passione tua fluxerunt, in quibus vnius tantum diei & no[] ctis laboribus cum inæstimabili gloria frueris: nunc auten[m] infinita annorum spatia supersunt, in quibus eadem glor[ia] fruiturus es. Quas ergo gratias tantæ felicitatis auctori [a]ges, qui & in tormentis salutari gratiæ suæ ope, & Angeli co ministerio, & miraculorum gloria confirmauit, ac diui nis armis sepsit, & modò te claritatis & gloriæ suæ in omn[i] seculorum æternitate consortem facit? O quàm felices nu[nc] illos tuos agones & certamina iudicabis: felices cratic[u]las, felicia vulnera & verbera, quæ momento temporis ex[a] cta, sempiternam tibi gloriam, sempiternam requiem [&] laudem pepererunt! Quem ex sanctis Martyribus tanta [so]lennitate per totum orbem terrarum Ecclesia celebrat? H[oc] exemplo, Auditores, discimus, exiguum & breuem vir[tu]tis laborem non horrere, quòd sempiternam nobis ex[] felicitatem partum iri certò confidamus. Flagret saltem [in] nobis Christi charitas, & facile omne difficile erit. Ad[iuuet] Christus. Amen.

Laurẽtius quàm felix.

IN FESTO ASSVMPTIONI[S]

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, CONCIO

in qua lectio Euangelica, & literali & mysti ca expositione enarratur: deinde de huius di[ei] gloria, & communi Virginis ac cælestis curiæ lætitia, agitur.

THEMA. *Martha, Martha, solicita es & turba[ris] erga plurima. Porrò vnum est necessarium: Mari[a] optimam partem elegit, quæ non auferetur ab e[a].* Lucæ 10.

HODIE, Auditores charissimi, beatissima Virgo Ma[ria] ex hac lacrymarum valle, cum summa totius cu[riæ] cælesti[s]

cælestis lætitia, in superas illas sedes in æternum regnatura migrauit. Hodie exsilium in patriam, mortem in vitam, mœrorem in gaudium, lacrymas felici commercio in æternam lætitiam commutauit. Hodie sanctarum animarum septa agminibus, & Angelorum vallata choris, ad æthereum thalamum, sibi ab æterno destinatum, cum clamore & iubilo deducta fuit. Si enim sancti Lazari mendici anima ab Angelis deducta in sinum Abrahæ fuit; si beati Martini, multorumque aliorum Sanctorum corpora hymnis cælestibus canora cælestis turba ad tumulum vsque prosecuta est: quid de sanctissima Virgine pietas Christiana credere debet, quæ tanto maiori gloria digna fuit? In libro Regum legimus Dauidem olim arcam Domini cum hymnis & canticis, cum clamore & iubilo, maximáque totius populi frequentia ad locum, quem ei parauerat, adduxisse. Qua ergo hodie lætitia, quibus cælestium virtutum laudibus & canticis, non vmbratilis, sed vera arca, in qua Dei Filius nouem mensibus requieuit, ab eodem Filio in cælum deducta est? Quæ igitur, dum in hac vita maneret, dignum Dei Filio & in corpore, & in anima sua parauit hospitium, qualem hodie ab eodem Filio hospitalitatis huius mercedem accepisse credenda est? Hac enim de causa lectio sancti Euangelij, quæ hospitium describit, quo Martha & Maria Magdalena Dominum exceperunt (quarum altera corpus Domini necessaria ministrando pascebat; altera, eius verba audiendo, ipsius animum reficiebat) in hac sacra solennitate legitur: vt in hoc piæ hospitalitatis officio beatissimæ Virginis officium, quod erga Dei Filium exercuit, intelligamus: quæ, præterquàm quòd illum in visceribus suis excepit, & humanitatis nostræ veste induit, non semel aut iterum, sed toto vitæ eius tempore ad crucem vsque ministrauit. Ex huius hospitalitatis & officij dignitate, mercedis magnitudinem, quam hodie mater à filio recepit, poterimus vtcumque cõiicere. Hoc autem festum sancti Apostoli primùm omnium dignissimè hodierna die celebrarunt. Dicturi aliquid, cælestem opem imploremus.

Lucæ 16. *Sancti ad cælum delati per Angelos.* *2. Reg. 6.* *Maria Christo sedulò seruiuit.* *Dionysius testatur de assumptione Mariæ.*

AVE MARIA.

Lectio sancti Euangelij, Auditores, si nudam solùm rei gestæ historiam, quæ in ea describitur, spectare velitis, nihil ad præsentem solénitatem facere videbitur: si verò rei gestæ

mysterium attendatis, nihil ad eam commodius afferri po-
Euangeliũ cuius nos admoneat. tuit. In ea verò narratur, duas illas sorores, Martham & Ma-
riam, Dominum Iesum, vbi castellum quoddam ingressus
esset, intra domum suã excepisse, & omnia illi hospitalitatis
& humanitatis obsequia deuotissimè exhibuisse. Prudẽtissi-
mè enim piæ sorores, hospitis sui mores & ingenium agno-
scentes, sic inter se officia partitæ sunt, vt altera sacri corpo-
ris eius, altera animæ pascendæ officium sibi sumeret; &
altera quidem illum in domo sua, altera in mẽte reciperet.
Martha enim, satagens circa frequens ministerium, mẽsam,
qua corpus Domini reficeretur, apparabat: Maria verò, de-
uotione & amore, atque cælestis verbi auditione, prædican-
tis Domini animam, dum pasceretur, ipsa pascebat. Nouerat
enim ipsum, vbi Samaritanam mulierem docuisset, & ad
fidem conuertisset, discipulis cibum offerentibus dixisse:
Ioan. 4. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cúmque illi
de hoc cibo quæsissent: *Meus*, inquit ille, *cibus est, vt faciam
voluntatem eius qui misit me.* Cùm ergo hoc probè teneret
Maria, simili obsequio Dominum reficere curauit, ad illius
pedes sedens, & verbum eius deuotissimè audiens, illúmque
hoc modo non solùm reficiens, sed etiam intra animæ suæ
hospitium excipiens. Cùm ergo Martha satageret circa fre-
Maior refectio mẽtis quàm ventris. quens ministerium, sororémque ad pedes Domini assiden-
tem sine vlla solicitudine cerneret, studio magis hospitali-
tatis quàm indignatione commota, ad Dominũ ait: *Domine
non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me*, &c. vsque ad fi-
nẽ. Multa sunt, quæ tum in hac Marthæ querela, tum in Do-
minica responsione commẽtari possemus: sed illud præcipuè
hoc in loco obseruandũ est, quod sancti Patres annotarunt;
nempe per has duas sorores, duo viuendi genera, quibus in
Duo vitæ genera: Actiua, & Contemplatiua. Ecclesia pij omnes exercentur, commodissimè designari.
Martha enim, quæ in hospitalitatis & misericordiæ operibus
desudabat, Actiuam vitam repræsentat: Maria verò, quæ ad
pedes Domini sedens, audit verbum illius, Cõtemplatiuam
designat. Est enim actiua vita, quæ in iis operibus versatur,
propter quæ Dominus in extremo iudicij die cæleste re-
Matt. 25. gnum ouibus suis se esse largiturum promittit, cùm ait: *Esu-
riui, & dedistis mihi mãducare*, &c. Contemplatiua verò vita
est, ab his quidem operibus (cùm necessitas charitatis nõ vr-
Psal. 33. get) feriatim vacare, & gustare *quoniam suauis est Dominus*,
hoc est, diuinarum rerum contemplationi toto pectore in-
hęrere, ac cęlestem vitam in terra meditari. Tale vitæ genus
sancti

sancti illi Anachoritæ in desertis egerunt, ab omnibus vitæ curis liberi, terrena bona contemnentes. Illi verba Prophetæ dicebant: *Diligam te, Domine, fortitudo mea*, &c. *Psal. 17.*

Vtraque vita Deo est gratissima, atque, quæ sit præstantior, cælestis magister declarat, cùm ait: *Maria optimã partem elegit, quæ non aufertur ab ea.* Christi voce nihil certius. Illud hanc vitam maximè commendat, quòd in ea actione versatur, ad quam præcipuè homo à Deo conditus est. Non est nobis mens, in qua intellectus inest, concessa, vt inferioribus seruiat, sed inferiora menti seruire natura ipsa debent. Non est enim dominus propter seruum, sed seruus propter dominũ; neque eques propter equum, sed propter equitem atque sessorem equus. Illud semper opus præstantissimum habitum est, ad quod & totus mũdus, & homo ipse pręcipuè conditus est; quod quidem cõtemplatiuæ vitæ proprium est. Omnes illi qui vnquam rectè philosophati sunt, in hac ipsa contemplatiuæ vitæ actione humanam felicitatem, & summum hominis bonum posuerunt. Hîc vitæ huius dignitas apertè colligitur. Inter omnia quippe Spiritus sancti dona principem locum obtinet sapiẽtia. Proprium autem sapientiæ opus est, diuina contemplari: id agunt in terra, quod beatæ mẽtes in cælo semper exercent. Multa virtutũ officia simul cum vita finiuntur, hoc tamen munus & officium tunc perfectiùs incipitur, cùm in hac vita finitur. *Charitas*, inquit Apostolus, *nunquam excidit*, &c. Hîc Apostolus designare voluit, charitatis munus & officium manere in patria, cùm tamen alia Spiritus sancti dona & benignitatis officia ibidẽ locum habere non possint, vbi miseria nulla, nulla imperfectio est. Quam quidem rem apertè Saluator exposuit, cùm Mariæ partem nunquam ab ea auferendam esse dixit. Fides enim & spes non erunt in patria; charitas verò, & diuinæ pulchritudinis cõtẽplatio, perpetuò in ea mãebunt. Ex his autem illud etiã colligitur: nempe, hac familiari & assidua cum Deo, rebusque diuinis cõsuetudine, paulatim hominẽ humana omnia dediscere, & in spiritualẽ atque diuinũ hominem euadere, Apostolo testante, qui ait: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Quisquis huic studio addictus fuerit, gloriari verè poterit cũ Propheta, dicẽs: *Funes ceciderũt mihi in præclaris.* Plurimũ illi hallucinãtur, qui hãc vitã vacantẽ & otiosam dicũt, quòd per eã homines sibi ipsis prospiciãt tantùm, & nõ etiã publicæ saluti & vtilitati. Aduersus hos D. Bern. ait: *Otiosum non est vacare Deo, sed negotiũ negotiorum omnium.*

Homo ad vitam cõtemplatiuã coditus.

Felicitas summa quæ.

Sapientiæ proprium.

1. Cor. 13.

Homo paulatim fit diuinus.

1. Cor. 6.

Psal. 15.

Bernardus

Felix quis dicendus. Felix igitur ille est, qui se totum à mundo abdicauit, qui videlicet omnes curas in hanc vnam curam, amores omnes in hunc vnum amorem, & gaudia omnia in hoc vnũ gaudium *Matt. 19.* commutauit. Quisquis enim ob amorem Christi omnia reliquit, eadem centuplum aucta non in altera solùm vita, sed etiam in præsenti percipiet. Quisquis autem ad hanc felicem vitam adscendere parat, amorem illum immodicũ sui abiiciat, conscientiæ puritati studeat, atque cupiditatum omniũ cohibitioni diu multumque insudare debet. *In maleuolam* *Sapient. 1. Cant. 1.* quippe *animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Vnde sponsa in Cantic. cùm sponsum ad lectum inuitat (hoc est, ad internæ quietis & spiritualium deliciarum locum) floribus illum respersum esse ait: hoc est, non prauis cupiditatibus, sed piis affectibus & sanctis desideriis plenum. Libenter enim sponsus ad huiusmodi loca declinat. Habet contemplatiua vita suas laudes: actiua tamen in extremo iudicij die suum præmium habe- *Matt. 25.* bit, dum iudex electis dicturus est: *Venite benedicti Patris* *Misericordia comes defunctorum.* *mei, &c.* Intelligunt sanè pij omnes, quàm summo illi misericordiarum parenti grata est in homines, quos ipse ad imaginem suam fingit, misericordia. Hac virtute, misericordia non solùm Deo assimilamur, sed etiam quodammodo pa- dij cum illo efficimur. Hoc enim à Deo vir misericors distat in hoc officio, quòd quidem (cuius immensa bonitas & potentia) omnibus prouidet; ipse verò (cuius tenues opes sunt) non omnibus, sed paucis hominibus consulit. Quam *Eccles. 18.* rem breuiter Eccles. significauit, cùm ait: *Misericordia hominis ad proximum suum: misericordia autem Dei ad omnem carnem.* Quod cùm ita sit, quomodo Deus non eximio il- *Deo quomodo homo assimiletur.* lum amore prosequatur, quem secum cernit cooperantem & adiutrices manus ad opus, quod ipse indefessa cura molitur, porrigentem? Si enim qui recipit Prophetam in nomine *Matth. 10* Prophetæ, mercedem accipit Prophetæ; quid de illo sentiendum est, qui ipsum Domini opus vrget, & eandem salutis humanæ tuẽdæ curam suscipit? Nemo igitur Mariæ partem, quam Dominus optimam prædicauit, sic attollat, vt Marthæ munus & officium deprimat, quæ hominem, Dei imitatorem & germanum filium, ac penè diuinum efficit. *Colos. 3.* Proprium electorum Dei est, misericordiæ viscera gestare ac induere, & miseros ad se allicere. Hæ duæ vitæ sorores sunt: quarum est, se mutuò germana charitate iuuare. Ex- *Matth. 6.* pendẽdum quod ait Saluator de vno illis necessario: *Quærite*

regnum

regnum Dei,&c. *Timete Dominum omnes ſancti: quoniam ni-* *Pſal. 33.*
hil deeſt timentibus eum,&c. Verùm de his hactenus: iam autem tempus eſt, vt ad ſacrę Virginis feſtum veniamus: licèt ea quæ hactenus dicta ſunt, non omninò ab eius laudibus abhorreant. Ipſa totius vitæ ſuæ cōſuetudinem in amantiſſi- *Feſtiuitas*
mi filij contubernio atque conſpectu tranſegit, quem nun- *tractatur.*
quam adſpexit, quin ardentiſſimi amoris facibus inflāmaretur. Ambas vitas, id eſt, actiuam ac contemplatiuam, ſi quis vnquā exercuit, ipſa omniū diligentiſſimè exſecuta eſt. Quis lingua aut ſermone explicare poterit, quos pro eo labores ſubierit? Ipſius cor puriſſimū verè gladius doloris pertrāſiit, *Lucæ 2.*
dum cum eo Herodem fugiens, in Ægyptum concedere, ac cum idololatris morari coacta eſt. Inde ſtans iuxta crucem, piis oculis lacerū amantiſſimi filij corpus contemplata eſt. Potuit quidem Dominus Ieſus calicem ſuæ paſſionis hau- *Mater*
rire vel inſcia matre, vel abſente, vt fuiſſet expers doloris: at *Chriſti non*
De⁹, quos habet chariſſimos, maximis in hac vita laboribus *fuit expers*
exercere ſolet, ſic matrem prȩſentem eſſe voluit, vt tormen- *dolorum.*
torum teſtē ac ſociam. Poſtremus autē Virginis labor fuit, tam diu in hoc mundo poſt filij adſcenſum in cælū permanſiſſe. Quantus autem hic cruciatus fuerit, quis pro dignitate poterit explicare? Si enim Tobiæ mater filij peregrè profe- *Tobiæ 10.*
cti abſentiam continuis lacrymis deflebat; ſi Apoſtolus Pau- *Philip. 1.*
lus ob eximiam in Chriſtum charitatem tanto eius videndi deſiderio flagrabat, vt diſſolui cuperet, vt eius præſentia frueretur; ſi Dauidi Regi licuit dicere, *Sicut ceruus deſiderat* *Pſal. 41.*
ad fontes aquarū, ita deſiderat anima mea ad te Deus: quale beatiſſimæ Virginis videndi filij deſideriū fuiſſe putandum eſt, quæ tāto maiore charitatis ardore flagrabat? Si de Sāctis *Sācti mor-*
omnibus verè dictū eſt, quòd mortē habeant in deſiderio, & *tem deſi-*
vitam in patientia: quid de hac ſanctiſſima Virgine creden- *derant.*
dū eſt? Si enim quo maior eſt dilectio, hoc ardentior dilecti videndi, & eius præſentia fruendi cupido eſt: quæ tantum in charitatis virtute cæteros omnes ſanctos anteibat, quanto maiore videndi amātiſſimi filij deſiderio flagrabat? Sciebat vtique ſe matrē Dei, ac proinde tanto præſtantiorē in cælis locum ſuper omnes beatarum mentiū ordines habituram, quāto maior gloria Regis matrē, quàm Regis ſeruos & miniſtros decet. Ipſa acta Spiritu ſancto dicere potuit, *Beatam* *Ignatius*
me dicent omnes generationes. Ipſa cū Apoſtolis & Euāgeli- *& Ber-*
ſtis cōmorari debuit, tanquā eorū magiſtra, vt eos de om- *nardus.*
nibus Chriſti operibus certiores faceret. Fuit (teſte Ruperto

Tuit.lib.1.in Cant.) in Concilio quod Apoſtoli celebrarunt,
& omnia ad nutum eius in Eccleſiæ plantatione inſtituebā-
tur. Verum huic dolori perfectiſſima eius obedientia occur-
rebat, quæ mœrorem leniret, quæq; illam diuinæ voluntati
Chriſti & Mariæ volũtas vna. pleniſſimè ſubiiceret. Illius voluntas diuinæ voluntati ſem-
per conſentiens & ſubdita erat, & adeò in diuinam volunta-
tem tranſlata, vt ex duabus volũtatibus vna quodammodò
effecta & quaſi conflata videretur. Videamus meritorũ eius
præmia: Omnes ſancti Deum tanquam Dominum, nemo
1. *Cor.* 3. verò tanquam filium, ſicut ipſa, dilexit. *Vnuſquiſque pro-
priam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem*, ait Apo-
ſtolus: qualem ergo hodie mercedem percipiet, quæ tot la-
Lucæ 22. bores cum Chriſto & propter Chriſtum paſſa eſt? *Vos eſtis*,
inquit Chriſtus ad diſcipulos, *qui permanſiſtis mecum in
tentationibus meis: & ego diſpono vobis regnum*, &c. At illi
paruo tempore Chriſtum ſecuti ſunt, quē tandem paſſionis
tempore (quod minimè decebat) deſeruerunt. Quod igitur
regnum illi paratum erit, quæ ab infantia ad crucem vſque
filium ſecuta eſt, & quæ iuxta crucem ſtetit, vbi & amantiſ-
ſimi filij vocem loquentis audiuit, & ſanguinis riuos ab eius
vulneribus defluentes, piis oculis vidit, & ignominiarum
filij, tanquam vera eius mater, particeps effecta eſt? Si vero
martyribus tam copioſa in cælo merces conſtituta eſt, quod
martyrium cum hoc Virginis martyrio comparari pote-
Mariæ in Chriſtum amor. Nullus enim martyrum tam charam corporis ſui vitam ha-
buit, quàm Virgo & mater filij: vnde conſequens eſt, vt ma-
iorem dilectionem maior cruciatus conſequeretur. Recte
Bernardus inquit Bernardus: *Quantum gratiæ in terris adepta eſt p-
cæteris, tantum in cælis obtinet gloriæ ſingularis.* Quòd
1. *Cor.* 2. oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor homi-
adſcendit, quæ præparauerit Deus diligentibus ſe: quid præ-
3. *Reg.* 2. parauit gignenti ſe? Salomon matrem ſuam ponendo iux-
thronum ſuum honorauit: qua gloria Virginis filius virg-
nem matrem hodie decorauit? Super omnes igitur Sancto-
ordines, ſuper omnes Angelorum choros exaltata, ad dext-
ram filij glorioſa hodie conſedit, vocem illam ex Canti-
libro repetens: *Inueni quem diligit anima mea, tenui, n-
Cantic. 3. *dimittam.* Conſtat Angelorum miniſteria in hoc nume-
in primis, quòd ſint animarum noſtrarum (ſi piè vixerimus
Lucæ 16. in cælum portitores. Sic enim mendicus ille Lazarus
Euãgelio, ipſo Domino referẽte, ab Angelis in ſinũ Abra-
Angeli mi portatur. Sic multorũ Sanctorum animas chori Angelorum

dete

detulerunt exsultantes. Iam facilè coniicere poterimus, qua celebritate & pompa, quibus hymnis & canticis, & qua cælestis illius Senatus lætitia mater Regis æterni hodie excepta sit. In terrenis quippe regnis hoc videmus, quòd cùm noui Regis nuptiæ celebrantur, aut filius regni hæres nascitur, aut etiam Rex ad Imperatoris dignitatem euehitur, & Imperatoria corona redimitur, regni proceres, quò quisque Regi charior & in eius regno præstantior est, eò sumptus maiores in Principis sui gratiam facere, maiorémq; lætitiæ significationem dare. Coniicere par est, qua hodie lætitia superni illi ciues persultarunt, qua frequentia ad hunc diem celebrandum conuenerunt: cùm intelligerent, gloriam matri Dei exhibitam in Regis sui gloriam redundare. Accessit & alia causa, quòd cùm superni ciues felicitatis suæ gloriã, & omnia gratiarum genera, quibus ad illam peruenerunt, humanitati Christi debeant, hoc est, innocentissimo illi Agno, qui occisus est ab origine mundi, cui omnes salutem suam in Apocal. magnis vocibus acceptam ferant: cùm igitur tantùm honoris & gloriæ huic sacræ humanitati & sanguini debeant; consequens erat, vt proximo loco beatissimæ Virginis se debitores profiterentur: ex cuius intemeratis visceribus illa caro, ille sanguis, illa humanitas delibata est. Illam igitur post Filium, tanquam mediatricem salutis, matrem gratiæ vitæ ianuam agnoscunt, diligunt, amplectuntur, & toto affectu reuerentur. Iudith, absciso principis Assyriorum capite, Iudæorum populum ab imminenti exitio liberauit. Seniores populi & sacerdotes magnificis eam titulis ornantes, *Tu*, aiebant, *lætitia Israël*, &c. Quãto igitur instiùs hæ voces & laudes beatissimæ Virgini conueniunt, quæ non Principis Assyriorum, sed serpentis antiqui capite contrito, nos à diaboli seruitute, à morte peccati, & gehennæ incẽdio liberatos, & cælestis regni ciues effecit! *Tu*, inquiunt, *genitrix gratiæ, inuentrix vitæ, mater salutis. Tu stella illa orta ex Iacob, ex qua radius processit, qui vniuersum mundum illuminauit. Tu atrium illud propitiatorium, per quod infensum sceleribus nostris diuinum numen placatur. Tu thalamus, in quo cælorum Rex & Dominus requieuit.* His igitur titulis, his vocibus Sanctorum chori Virginis beatæ gloriã prædicabant. Ibi sanctus Iacob mysticam illam scalam, quam is in somnis fuerat contemplatus vidit, per quã salus mundi ad homines descendit. Ibi sanctus Dauid virgam illã ex radice Iesse ortã intuitus est;

nistratorij spiritus.

Simile.

Causa lætitiæ alia.

Apoc. 13.

Iudith vlt.

Maria quid nobis contulerit.

Genes. 28.

Esaiæ 11.

ex qua pulcherrimus ille flos ortus eſt, ſupra quē requieu
Ibidem. Spiritus ſanctus. Ibi Iſaias intemeratam illam Virginem cō
templatus eſt, quam is prædixerat Deum & hominem pari
tu am. Ibi Hieremias feminā illā vidit, quæ nouo miracul
Hier. 31. *Ezech. 44.* virum erat circumdatura. Ibi Ezech. Propheta orientalem
illam portam demiratus eſt, quæ cæteris clauſa, ſoli cælo
Principi patefacta fuit. Ibi primus ille generis humani pare
mulierem illam vidit, quæ antiqui ſerpentis (cuius fallaci
mundus interierat) caput erat contritura, hoc eſt, eius po
tentiam & peccati regnum euerſura. Ad electos Saluator
Matt. 25. extremo iudicij die ſe dicturum eſſe ait: *Venite benedi*
Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt a
origine mundi. Quanto ergo iuſtius hæc eadem verba
matrem Filius inclamabat! *Veni*, inquiens, *benedicta* Pat
mei, & accipe thalamum tibi ante mundi constitution
præparatum: quæ me eſurientem pauiſti, ſitientem pota
& omnia miſericordiæ opera ſedulò exhibuiſti. Hac ſuperno
rum ciuium lætitia, hodierna die, ad thronum ſibi à De
Felicitas ad quam conditi ſumus. paratum, beatiſſima Virgo deducta eſt. Ad hanc gloriā no
quoque conditi ſumus, & ad hanc Chriſti ſanguine rede
pti & vocati. Si milites aliqua opulētā potiri eſſent ciuita
& illam diriperent, ac præda onuſti diuites euaderent; ali
cum pueris in platea luderet, occaſionem hanc neglige
Amentia noſtra magna accuſatur. nónne eius magna eſſet amētia & deſidia? Tales nos ſum
qui cùm multos ſeruorum Dei videamus, omnibus re
mūdi ſpretis, hoc moliri, vt virtutum meritis opes ſibi ſe
piternas comparent, nos ludicra veris, & mortalia immo
talibus anteferimus. Opportunè ergo mihi nunc in mēte
Prouer. 1. venit cum Salomone clamare: *Vſquequò paruuli dilig*
infantiam, & ſtulti ea quæ ſunt ſibi noxia cupient, & impr
Sapientia vera quæ. *dentes odibunt ſcientiam?* Hæc vera & ſumma eſt ſapient
vt homo, inanibus huius vitæ curis ſpretis atq; contemp
Dei gratiam & amicitiam, animæ ſuæ ſalutem & ſempit
nam felicitatem omni contentione & ſtudio conſectetu
Hac vna re felix & beatus erit, vt nihil aliud poſſideat:
verò deſtitutus, ſtultus erit & miſer, etiam ſi cæterorum b
norum omnium compos fuerit. Quam quidem mentem
Ioan. 1. ſenſum Chriſtus Dominus, *qui eſt vera Patris ſapientia,*
lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem
hunc mundum, nobis largiri dignetur: qui cum Patre
Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

I

IN FESTO BEATI DOMINICI, VBI CONCIO ERIT HABENDA, EX R. P. Ludouici quatuor Concionibus hanc vnicam habeto : in qua tum Euangelica lectio explanatur, tum vitæ eius historia breuiter adducitur.

THEMA. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*, &c. Matth. 5.

HOdie, Auditores, beati Patris Dominici festum diem celebramus: cui nos hoc ipsum debemus, quòd eius filij sumus, eius Ordinis professores; vos verò, quòd nostro ministerio ad salutem vestram perpetuò vtimini. Vtrique igitur debitores sumus, vtrique hodie pari deuotione ac pietate festum eius diem celebrare debemus. Eluxit autem plurimis in Ecclesia virtutibus, quibus tum Deum honorare, tum & nos instruere conatus est: solam eius charitatem, quæ omnium virtutum regina est, potissimùm tractare, & flagrantissimum fraternæ salutis desiderium, quod pari modo in eo emicuit, explicare constitui. Vt autem hoc ad Dei gloriam, & vestram salutẽ, pro dignitate tractare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus. *Charitas virtutum regina.*

AVE MARIA.

Cùm cælestis magister discipulos suos ad prædicationis officium instituere, eósque idoneos Euangelij sui ministros creare vellet; his verbis officij huius fructũ, dignitatem, & periculum etiã aperire exorsus est: *Vos*, inquit, *estis sal terræ.* Hoc autem salis nomine ad Apostolos, & Apostolorũ successores, hoc est, Episcopos & verbi Dei ministros præcipuè dirigitur. Ad eos enim spectat, mores hominum condire, & à peccati corruptione diuinæ sapiẽtiæ ministerio preseruare. Sal enim in Scripturis sanctis pro sapiẽtia atque doctrina accipitur: qua præcipuè humana vita conditur. Qua quidem appellatione verbi Dei acrimoniam adnotare licebit: non enim aut mel, aut vnguentum, siue quid aliud molle, sed sal nuncupatur, quod nõnihil acrimoniç & mordacitatis habet. *Sal sapiẽtia est.*

Hier 23. Qua de causa & ignis,& gladius,& malleus conterẽs petras
Hebr. 4. in literis sanctis appellatur.Quocirca, Auditores,neque mi-
rari,neque succensere debetis, si quãdo cõcionatores acri-
ter in corruptos hominũ mores inuehuntur, & medicandis
animæ vlceribus dolorem incutiũt. Quid enim aliud à sale,
igne,gladio , & malleo exspectari potest? Sal enim mordet,
ignis vrit, gladius vulnerat; malleus petras,hoc est,dura &
lapidea pectora conterit. Hoc igitur facit , quisquis sincere
2. Tim. 2. ac legitimè verbum Dei prædicat:*qui* iuxta Apostolũ,*exhi-
bet se operarium inconfusibilem , rectè secantem, tractantem
verbum veritatis.* Contrà , de iis qui popularem auram &
imperitæ multitudinis plausum captare student, scriptũ est:
Ezech. 13. *Væ qui consuunt puluillos & ceruicalia sub omni cubito
manus* (vt videlicet blandiùs homines in flagitiis suis dor-
miant) *& liniunt parietem luto absque paleis:ne videlicet
peccati turpitudo atque deformitas appareat.* Hi sunt qui se
corruptis hominum desideriis accommodant,& diuinæ le-
gis acrimoniam blandis interpretationibus molliunt &
Esaiæ 1. eneruant. *Vinum tuum* (inquit Esaias) *mistum est aqua.*
Quod faciunt,qui diuinarum legum austeritatem , terrenæ
prudentiæ aqua indulcare,& carnalium hominum moribus
Ibidem. aptare nituntur. *Populę meus,* inquit Dominus , *qui te bea-
tum dicunt , ipsi te decipiunt , & semitas pedum tuorum dis-
sipant.* Munus eorum est,vt magis lacrymas moueãt quàm
Lux Euã-gelica optimum sal. risum,qui salis officio fungũtur.Subdit: *Quòd si sal euanue-
rit*,hoc est,si vniuersum sal acrimoniam suã & saliendi vim
amiserit , *in quo salietur ?* hoc est,qua re alia pristinam vim
atque saporem suum recipiet ? Quod perinde est ac si dice-
ret : Si vnus tantùm in vrbe sit medicus, qui ægrotis omni-
bus medeatur,is autem infatuatus fuerit, quis illum curare
poterit? Quis medebitur incantatori à serpente percusso?
Ad hunc igitur modum,si priuatus homo infatuatus fuerit,
sale condiri poterit:at sale ipso infatuato,qua re,alia pristina
illa vis restitui & reparari queat? *Ad nihilum valet vltrà,nisi
vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus.* Cùm autẽ sal,
præter eam saliendi vim quam habet,ad alia nihil conferat,
sed planè inutilis sit , consequens est, vt tanquam inutilis
abiiciatur , & conculcetur ab hominibus. Ecclesiastici de-
Ecclesiasticorum officium. bent (alia omnia illis sunt interdicta) diuinarum rerum stu-
dio, condiendísque hominum moribus vacare : si hoc mu-
nus negligant , in quem vsum deputari possunt ? Ecclesiæ
ministri,dum malè viuunt,Deum honore debito fraudant,
iusti

iusto Dei iudicio ipsi quoq; suo honore fraudantur. Domi-
nus prænunciauit quod nostro infelici seculo euenire cer-
nimus: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis pluri-* *Mal. 2.*
mos in lege,&c. Non contentus Dominus sal terræ eos ap-
pellasse, vocat etiam lucem mundi. Magna profectò prædi-
catorũ dignitas, qui voce veritatis eodẽ nomine designan-
tur, quo seipsam veritas nuncupauit, quæ ait: *Ego sum lux* *Ioan. 2.*
mundi. Hæc igitur primaria lux, hac secunda luce (quæ ab
illa deriuatur) velut instrumẽto quodã vtitur ad hominum
mentes illuminandas, & diuini amoris igne inflammandas.
Quare illi vocanti, atque interius te hoc instrumento mo-
uenti, gratias cum primis agere debes. Nemo enim api, quæ *Simile.*
fauum conficit, sed ei qui apem mellificare in vsum hominũ
docuit, gratias agit. Addit & aliud nomen Dominus nõ mi-
nùs illustre, nempe ciuitatem supra montem positã: ad hanc
omnes conspiciunt, confugiunt, quæ omnibus conspicua
est. Tales esse Ecclesiæ pastores decet, qui videlicet more
Pauli omnibus omnia fiant, vt in eis æger curationem, mœ- *2. Cor. 9.*
stus lætitiam, desperatus fiduciam, imperitus doctrinam,
pœnitens veniam atque solatium omnes inueniant. Postre-
mò, nomen aliud suprà positis adiungit, nẽpe lucernam su-
pra candelabrum positam. Lucerna autem ardet & lucet.
Quia enim dixerat, Ecclesiæ Doctores lucem esse mũdi, ne
quis huic muneri se satisfecisse putaret, si doctrinæ suæ
splendore aliis præluceret, eáque doceret, quæ nõ opere, sed *Ioan. 5.*
meditatione didicisset, vult esse lucernas: qualis Christi prę-
cursor exstitit, quem Dominus lucernã ardentem & lucen- *Lactãtius.*
tem appellauit, qui exemplo & doctrina ad amorem Dei in-
cendebat hominum corda. Homines malunt exẽpla quàm
verba: quia loqui facile, præstare difficile. Dominus ma-
gnos in regno cælorum futuros ait, qui & fecerint & do-
cuerint. Videmus quòd tum Concionatores, tum ipsi Audi- *Verbũ Dei*
tores sint in causa, quo minùs sal conspersum proficiat. Au- *quare non*
ditores non se præparant ad conciones, sed ex cõsuetudine *fructificat.*
accedunt qui habent cauteriatam conscientiam. *Peccator,* *1. Tim. 4.*
inquit Sapiens, *cùm venerit in profundum, contemnit. Popu-* *Prou. 18.*
lus Israëliticus, licèt duræ ceruicis, tamen cùm occideret eos,
inquit Propheta, *quærebant eum, & reuertebantur: at nos tot*
bella & plagas experimur, & tamen parum mouemur. Se- *Psal. 77.*
quitur deinde: *Nolite putare quoniam veni soluere Legem aut*
Prophetas. Tacitæ obiectioni respõdet, qua dicere possent, in *Hier. 31.*
aduentu Messiæ aliud testamentum nouum, veteri longè

dissi

dissimile, esse condendum: *Non veni soluere legem.* Quę eni
ad inculpatæ vitæ mores in Lege & Prophetis continētu
adeò non dissoluam, vt multis etiā accessionibus perfecti
Exod. 20. ra reddam. Lex præcipit non occidendum: ipse addit etia
Matth. 5. non irascendum. Pro eo quòd amicos diligere iubet, ip
etiam inimicos diligendos & beneficiis prosequēdos co
Leuit. 19. suluit: atque sic de cæteris. Ea etiā quæ vetus lex & Prophet
siue promittunt obsequētibus, siue inobedientibus mina
tur, sic implenda sunt, vt ne vnum iota, aut apex à lege pr
terire debeat, donec omnia fiant. Cogitemus sedulò, hæ
vitæ spatia, non ad ludum & fastum, non ad luxum & cu
pulam, sed ad pœnitentiam nobis data esse. Euigilemus ig
tur. Veniamus ad sequentia. *Qui ergo soluerit vnum de ma
datis istis minimis, &c.* Mandata minima vocātur, quæ ci
les etiam leges præcipiunt, earumque violatores legitim
pœnis coërcent: qualia sunt: *Non occides, Non mœchaben
Non furtum facies, Non falsum testimonium dices,* & quæ su
his similia. Sunt alia maiora, quæ ad Euangelicæ vitæ pe
fectionem spectant, per quæ ad summum illud diuinæ di
Matt. 25. ctionis mandatum peruenitur, quod Saluator mādator
Psal. 118. omnium maximum & primum esse ait. Spectat huc il
Dauidis: *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam i
quam odio habui.* Debemus paulatim (quamuis Deus i
perfectiores non abiiciat) ad montem perfectionis per
nire. Videndum nobis, ne oculos aperiamus cum sero
quid amiserimus, & cuius rei gratia amiserimus, dolent
Non erit tunc nobis opportunitas bene agendi, si mere
occasionem neglexerimus, vt fatuæ virgines. Eruēda luc
na fidei quæ sub modio latuit, & ponēda super candelabru
in hoc tempore. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magn
vocabitur in regno cælorum.* Nec merces illa, quam Iac
bus Apostolus præscribit, parui facienda est: sic enim a
Iacob. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ,* &c.
qui paruis consiliis alium inducit ad flagitium flagitioru
eius particeps efficitur: ita qui alium reuocat ab illis, han
superno iudice mercedem percipit, vt ipse à suis sceleri
Peccatores lucrandi. quoque liberetur. His tantis præmiis propositis hoc ag
mus, hoc diligentissimè curemus, vt partim verbo, part
exemplo & piis admonitionibus alios ad saniorem mēte
perducere studeamus. Cùm enim alienæ salutis negoti
gerimus, nostram planè causam agimus: sicut scriptum e
Prou. 11. *Anima quæ bene dicit, impinguabitur: & quæ inebriat, i*

quoq

Marginal notes: *Vita nostra quomodo instituenda sit.* — *Mandata minima & maxima.*

quoque inebriabitur. Hac autem ratione beati Patris Dominici ingentes gratiarum opes & virtutes colligere licebit. Si enim qui fecerit & docuerit, magnus est habendus in regno cælorum (hoc est, in Ecclesia, quæ nunc contra hostes militat, & in ea quæ gloriosa de triumphato hoste trophæa reportat) quàm magnus vtrobique erit, qui tota animarum millia, vitæ atque doctrinæ suæ ministerio, tum per Ordinis à se instituti ministros Christo lucrifecit! At si, in qua potissimùm virtute beatus Pater Dominicus excelluerit, à me requiratis: audebo planè dicere, non in vna aliqua virtute excelluisse, sed in omnibus ita fulsisse, vt discernere nequeas, quæ cui anteferenda sit: adeò in illo summa reperiuntur omnia. Quam rem facilè animaduerteret, quisquis singulas eius virtutes fuerit contemplatus, nempe charitatem, humilitatem, voluntariam paupertatẽ, fidei ardorem, orandi & prædicandi studium, martyrij sitim, cæterasque virtutes, quæ omnes in illo summæ fuerũt. Sed vt insignius aliquid ex tot virtutum floribus delibemus, charitatis ardor, & ex ea profluens animarum zelus, hoc est, fraternæ salutis vehemẽtissimus ardor, in eo potissimùm eluxit. Rectè sanè Euãgelij lectio hodierna in eius festo legitur, quæ tota de virtutis huius officiis & muneribus disserit. Esse enim sal terræ, lucem mũdi, lucernam super candelabrum, & ciuitatem supra montem positam, ac demùm facere & docere, eorum sanè est, qui zelo & ardore flagrant salutis animarũ. Hæc igitur omnia præsens sancti Euangelij lectio continet.

Dominicus quid effecerit in Ecclesia.

Illud cõstare debet, Christianæ vitæ perfectionem in diuini amoris perfectione sitam esse. Amor autem sui immodicus, ita repugnat, vt in eodem pectore vterque simul amor habitare non possit. Oportet igitur sui amorem expellere, & odium sui sanctum in animam inducere. *Qui amat*, inquit Saluator, *animam suam*, hoc est, corporis sui vitam, *perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12. Hanc curam beatus Dominicus, à diuina gratia præuẽtus, in infantili ætate arripuit. Ipse enim infans omnẽ mollitiem strati abhorruit, & aspera magis arripuit. Hæc prima virtutis rudimenta (qui tamen omnia diuinæ gratiæ adscripsit) futurorum laborum præsagia erant. Carnem macerauit vigiliis & ieiuniis & catena ferrea ad finem vitæ suæ. Nos aliter affecti sumus, qui carnem in deliciis & desideriis enutrimus. Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, posteà inueniet eum contumacem. Prou. 29. Huic vir-

tuti

tuti comes indiuiduus esse debet oratio.Huius officium est,
omnis carnis molestias libenter perferre. Huius virtutis B.
Dominicus adeò erat studiosus, vt tota eius vita perpetua
quædam oratio extitisse videatur.Voluit vt omni tempore
1. Cor. 6. vel cũ Deo,vel de Deo loquerentur sui socij.Dicebat enim:
August. *Qui adhæret Domino,vnus spiritus est.* D. August. ait: *Beati*
*quorum spes tu solus es,& omne opus eorum oratio.*In hoc autem opere beatus Pater totas penè noctes ducebat insomnes,Propheticum illud implens: *In noctibus extollite manus*
Psal. 133. *vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Agebat in media
hominum frequentia: vtpote qui se totũ lucris animarum,
& in benignitatis & misericordię operibus addixerat.Vtrãque vitam,id est,actiuam & contẽplatiuam, nouerat optimo temperamento coniungere.Ibat foras,quatuor anima-
Ezech. 1. lium instar apud Prophetam,ad proximos:& intrò ad contemplationis intimæ secretũ reuertebatur.Hi vocantur am-
Gregorius. bidextri,vt testatur diuus Gregorius de Aod. Iud. 3. Præditus autem erat beatus hic pater cùm aliis virtutibus,tũ fide, qua plurima patrabat miracula, qua dæmonibus imperabat,qua morbos omnis generis sanabat,qua toties alimenta esurientibus ministrabat:qua peregrinis linguis eloquia Domini personabat, qua defunctorũ corpora etiam ad vitam
Dominicus qua virtute emicuerit. reuocabat.Cæterùm si Patris huius miracula omnia vellem commemorare,dies me,antequam sermo,deficeret.Hic sua oratione ad Deũ fusa,quadraginta mortuos ad vitam reuocauit.Coniunxit fidei spem,quæ tanto est firmior, quãto fides viuidior,& charitas ardentior est.Iã moriturus hoc spei argumentum dedit:*Nolite,* inquit ad filios eius trãsitum lamentantes, *nolite timere filioli:in eo enim loco ad quem pergo,vtilior vobis ero.* Quid hac spe firmius?Iam charitas virtutum regina superest. Quis autem hanc in beato viro pro meritis non dico amplificare,sed vel explicare valeat?Omnibus in pauperũ vsum distractis, post continuum prædicationis laborẽ,seipsum venalem exposuit.Magis cõtumeliis affici optabat,quã honore. Fuit sanè magnus in cũctis virtutum operibus:quandoquidem omnes ex charitatis radice
1. Cor. 13. deriuãtur,Apostolo testãte. *Quicumque in charitate magnus est,in his quoque virtutibus,quæ ab ea pullulant, magnus sine dubio est.* Hanc expete magnitudinẽ, non mundi, quæ vana est. Meritò sanè Patri Dominico Christi hæc sententia accommodatur:*Sic luceat lux vestra corã hominibus,vt videant opera vestra bona,&c.* Quærendum qua ratione lumen hoc homi-

hominibus potissimùm eluceat. Hoc appositissimè adũbrat
illustris illa victoria, qua Gedeonis exercitus castra Madia- *Iudic. 7.*
nitarũ fugauit. Fractis enim lagenis inclusum intra eas lu-
men effulsit: quo territi hostes, præcipites se in fugã dede- *Sancti vt*
runt. Sic igitur dum sancti viri corpora sua variis propter *luceant in*
Christum cruciatibus & laboribus obtulerunt, fidei & vir- *Ecclesia.*
tutis eorum ita lumen effulsit, vt mundus, qui immanis an-
teà Christi hostis erat, deposita hostili inimicitia, eius se iu-
go subdiderit. Quòd si hac præcipuè ratione, cũ corpus at-
teritur, virtutis splendor elucet: quantum in Ecclesia beatus
Dominicus effulsit, qui tam multis modis sacri corporis la-
genam attriuit! Quis eius labores, quis tot hæreticorũ per-
secutiones & insidias, quis eorundem probra & contume-
lias verbis consequi possit? Tres virtutes omnes sancti ex
animo coluerunt, nempe amorem Dei, peccati odiũ, & car-
nis macerationem: quæ pari propè mensura se inuicẽ con-
sequuntur. Tunc pius homo maximè Deum diligere com- *Caro no-*
probatur, cùm dilectissimam sibi atque germanam carnem *stra vt I-*
proterit atque conculcat, & hostili quodã odio insectatur. Si *saac im-*
sanctorum exempla nos minùs mouent, moueat miseran- *molanda.*
dum illud diuitis epulonis exemplum. Rectè quoq; hic Do- *Lucæ 16.*
minicus cani assimilatus est: nam vitia vehementer carpe-
bat. Ex charitatis quodam fonte illa temporis partitio pro-
ficiscebatur, qua sic animarum saluti operã dabat, ne salutis
curam negligeret. Memor quippe illius consilij erat, quo
Apostolus Timotheum instruit, cùm ait: *Attẽde tibi & do-* *1. Tim. 4.*
ctrinæ: hoc enim modo & teipsum saluum facies, & eos qui
te audiunt. Ob nimiam charitatem, & animarũ zelum, iam
nudis pedibus ab Hispania in Galliam, ex Gallia in Italiam,
ex Italia rursus in Hispaniam cõtendebat. In quibus itine-
ribus non seculi dignitates, non claritatẽ nominis, non ter-
renos thesauros, sed solam Dei gloriam, cum animarum sa-
lute coniunctam, studiosè quærebat. Meritò dicere de se *Psal. 68.*
potuit: *Zelus domus tua comedit me.* Et, *Tabescere me fecit*
zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Eliæ *3. Reg. 17.*
Prophetæ pro Dei gloria flagrantissimum zelum quis non
miretur? Quid verò Moyses? quo diuini ardoris zelo incan- *Num. 12.*
duit, vir alioquin super omnes, qui morabantur in terra,
mitissimus, quanto is diuinæ gloriæ zelo exarsit, cùm è *Exod. 32.*
monte descendens, populum ante vitulum, quem sacrilega
perfidia pro Deo fabricauerat, ludentem inuenit? Tanto
enim furore ac dolore exagitatus fuit, vt sacratissimas illas
tabu-

tabulas, ipsius Dei digito mirabiliter scriptas, & quadragin-ta dierum ieiunio impetratas, ad saxa montis illiserit, & ido-
Exod. 38. lolatras occiderit. Voluit vt Dominus aut dimitteret (ô cha-ritas immensa!) noxam populo, aut eum de libro vitæ de-
Rom. 9. leret. Sic diuus Paulus pro populo anathema fieri optau[illegible] Declarauit igitur sancti Dominici vita sanctissima, non so-lùm eius eximias virtutes, sed etiam miraculorum magni-tudinem, quæ eiusdem sanctitatis locupletissimus testis e[illegible]
Sanctorum desideriũ. Sunt multæ causæ ob quas saluatorem diligere & colere d[illegible]bemus: quia tamen varia sunt hominum ingenia, variiq[illegible] mores & affectus, aliæ causæ alios mouere magis solen[illegible] Inter has potentissima tamen est Dei erga pios omnes ami-citia & charitas, quæ ab inexhausto bonitatis eius fonte d[illegible]manat. Amor enim beneficiorum omnium & prima & m[illegible]xima, & aliorum omnium causa exsistit. Sic Ioannes, om[illegible]bus suis priuilegiis prætermissis, se discipulum, quem dil[illegible]
Ioan. 21. gebat Iesus, appellat: vt qui probè nosset, omnia alia dign[illegible]tatis insignia hac vna dignitate contineri. Qua autem dil[illegible]ctione pios Dominus prosequatur, neque vlla ratione pr[illegible]dicari, neque vllius amoris comparatione comprehẽdi p[illegible]test. Videmus hoc luce clarius in beato Dominico, quo h[illegible]nore amicum suum Dominus sit prosecutus, quámq; v[illegible] ab eodem Domino dictum sit: *Quicumque honorificau[illegible]*
1. Reg. 2. *me, glorificabo eum.* O si quicumque seculi honores ard[illegible]ter exquiritis, huius honoris ambitione flagraretis! Sanct[illegible] Dominicus in omnibus miraculis, quæ Dei virtute fac[illegible]bat, semper auram popularem exhorruit. O quàm dissim[illegible]lia sunt carnalium & spiritualium hominum studia! N[illegible] inanem gloriam conquirimus: hic autem vir diuinus so[illegible]dam gloriam, ceu pestem quandã terra marique fugere d[illegible]stinabat. Sed quanto magis ille gloriam propter humilita[illegible]
Sancti gloriam fugiebant. custodiam fugiebat, tanto maiore illum Dominus hono[illegible] prosequebatur. Volebat humanæ salutis amator Domin[illegible] in Ecclesia sua nouum Ordinem institui per hunc fidele[illegible] suum famulũ Dominicum, cuius professores studiũ su[illegible] ad animarum salutem conferrent, ideoq; eius Ordinis a[illegible]ctorem & parentem signorum claritate voluit apud hom[illegible]nes illustrare, vt patentis gloria in Ordinis à se instituti g[illegible]riam & firmamentum cederet. Iosue, ducem Israëlitici p[illegible]puli, cum populo sicco pede Iordanis fluuium transire v[illegible]
Ios. 3. luit Dominus, vt hoc nouo miraculo eius populi fidem [illegible]que obedientiam erga illum stabiliret: itaque ad illum [illegible]

Hodie incipiam te exaltare coram omni Israël, vt sciant quòd sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim. Quàm promptam vir sanctus obedientiam Domino exhibebat, qui tam promptam erga se Domini misericordiam experiebatur? Quid igitur ex his quæ hactenus dicta sunt, colligere licet? Multa sanè, si in his Domini operibus philosophari rectè sciamus. Constat sanè, salutis nostræ fundamentum & initium in diuinæ bonitatis cognitione positum esse. Eius enim consideratio ad ipsius amorem (in quo Christianæ vitæ summa constituta est) nos vehementer accendit. Hanc autem bonitatem, dum in hac vita sumus, per maxima illa beneficia quæ in bonos confert, præcipuè cognoscimus. Hæc bonitas bonos viros ingenti amore prosequitur, quæ tam solicitam eorum non in magnis solùm, sed in minimis etiam, curam gerit. Quia illi se totos conditoris obsequio tradiderunt, ipse vicissim se illis totum tradidit. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Denique quia ipsi nihil eius amori prætulerunt, non opes, non voluptates, non ipsam demùm vitam: ita is nullam creaturam in seculo ab eorum obsequio, exemptam esse voluit. Hæc igitur Dei amicitia omni animi contentione expetenda est. Habemus in beato Dominico exemplum, quod intueri, quodque imitari possimus. Castigemus corpus nostrum, & in seruitutem spiritus redigamus, seruemus fidem, simus spe firmi, & charitate incensi, de omnibus bene mereri studeamus, & sanè his operibus magni erimus in regno cælorum; ad quod nos perducere dignetur Christus Dominus. Amen.

Dei bonitas in nos.

Psal. 144.

IN FESTO B. BARTHOLOMÆ APOSTOLI, CONCIO: IN QVA LECTI Euangelica explanatur, ac deinceps beati Apo stoli martyrium exponitur.

THEMA, secundùm vsum Romanæ Ecclesiæ Curiæ: *Exiit Iesus in montem orare, & erat pe noctans in oratione Dei: & cùm dies factus ess vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex i sis*,&c. Lucæ 6.

Nonnullæ Ecclesiæ habent Euangelium, *Hoc præceptum meum:* cuius explanationem vide Communi Apostolorum.

NON omnes idoneos esse diuini verbi auditor declarat illa toties in Apocalypsi repetita se tentia: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Mul

Apoc. 2. enim aure corporis, non cordis, verbum D quotidie in Ecclesiis audire cernimus, qui tot concion auditis, nihilò meliores euadunt. Cæterùm ad saluta

Aures & oculi qui habendi sint. Euangelicæ historiæ fructum percipiendum, non satis idoneas habere aures, quibus Christi Domini doctri vtiliter audiamus; sed perspicaces etiam oculos hab conuenit, vt clarissima virtutum exempla nōtare atque tari valeamus. Vtriusque autem rei gratia Esaias ait: *Et e*

Esaiæ 30. *oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ au vocem post terga monentis: Hæc est via, ambulate in ea.* Q perinde est, ac si diceret: Videbunt oculi tui virtutum ex pla quæ imiteris, & aures audient doctrinam quam am ctatis: quorum altero intellectus erudiatur, altero aff ad imitationis studium accendatur. Verè enim non m

Christus docet exemplis. nos Christus Dominus exemplis quàm verbis edocet. Q in hodierna sancti Euangelij lectione animaduertere in qua Dominus exemplo suo, sine vllo verborum pitu, perfectam orandi formam regulamque demon Dum enim aduesperascente die in montem adscendit oratione pernoctat, ac deinde facto mane ex discipulis A stolos eligit, ostendit planè, & quo loco, & quo tempo

qua perseuerantia, & quibus potissimùm in rebus orandum sit. Electurus enim Apostolos, qui fidei fundamenta iacerent, Euangelij doctrinam vbique terrarum disseminarent, hanc orationem præmisit, vt nos exemplo suo doceret, nihil magnum & arduum sine præuia & lõga oratione quemque moliri debere. Adhibendæ aures & oculi, vt fructum capias Euangelij. Vtrumque autem habere, diuinæ benignitatis donum esse, Salomon ait: *Oculum videntem, & aurem audientem, Dominus fecit vtrumque.* Ob hanc rem, vt oculos & aures habeas, cælestem opem imploremus.

Christus docet orare.

AVE MARIA.

Nulla est in mundo creatura tam vilis & abiecta, quam diuina non condidit potentia: ita nulla est, cuius non singularem curam & prouidentiam habeat. Quid formica vilius? & tamen in illo paruo corpusculo tantæ prouidentiæ conditor posuit, vt miris modis eius vitę consulat atque prospiciat. Quare & Salomon inertem hominem ad formicarum exemplum hortatur: *Vade ad formicam, ô piger, & considera semitas eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem ac præceptorem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* O vtinam hanc vnam Dominus prudentiam immitteret, vt mentis nostræ aciem non ad præsentia solùm, sed ad futura etiam protenderemus! Hoc Moyses suis ciuibus desiderabat: *Vtinam saperent ac intelligerent, & nouissima prouiderent.* Nouissimum autem omnium, vitæ nostræ finis est. Cur autẽ ab hoc fine oculos mentis auertimus? cur in hac prouidentia à formicis homines superamur? Formica in æstate, ad futuram hyemis sterilitatem præcauendã, opportuno tempore alimenta congregat. Quod formicis æstas, hoc nobis pręsens hæc vita est: in qua magnam meritorum copiam parare nobis licet. Quod illis sterilis hyems, id nobis futura vita est, in qua non satisfaciendi aut merendi, sed recipiendi & partis fruendi tempus est. Cur hanc temporis opportunitatem vacuam abire sinimus, nunquam iterum redituram? Nónne hoc est quod nos opportunè Salomon admonet, cùm ait: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas?* Quid autem ex hac negligentia consequi necesse est, nisi quod idem Salomon ait: *Propter frigus piger arare noluit, mẽdicabit ergo æstate, & non dabitur ei?* Sic enim fatuæ

Formica cuius nos admoneat.

Prouer. 6.

Deut. 31.

Hyems quid nobis.

Eccles. 9.

Prou. 20.

Matt. 25. illæ virgines mendicarunt, dicentes: *Domine, Domine, ap*
nobis, quibus responſum eſt: *Amen dico vobis, neſcio v*
Hæc obiter de formicarum occaſione dicta ſunt: nunc a
id quod inſtitueramus.

Si tam latè diuinæ prouidentiæ cura atque ſolertia p
tet, vt ea etiam quæ minima & abiectiſſima ſunt, non n
Homo quanti ſit apud Deũ. gligat; quid de homine exiſtimandum eſt, quem inferior
huius mundi principem conſtituit, & cuius gratia hæc o
nia condita ſunt? Certè quo dignitas eius inter omnia m
gis eminet, hoc maiori cura illi diuina prouidentia con
lit, dum nihil, quod ad eius ſalutem & incolumitatem ſ
ctet, prætermittit. Quam rem non modò Chriſtiana, ſ
etiam ethnicorum Philoſophia apertè profitetur: ſic eni
Cicero. Cicero: *Commoda*, inquit, *quibus vtimur, lucem qua f*
Gentiles quid credant. *mur, ſpiritum quem ducimus, à Deo nobis dari & impar*
videmus. Veruntamen alia prouidentiæ ratio ad homine
alia ad cætera animantia pertinet. Animantibus enim, q
neque in officio delinquere, neque officium præſtare p
ſunt, ſalutaria ſemper & vitæ neceſſaria prouidet: hom
bus autem, qui vtrumque poſſunt, pro varia meritorum
tione modò ſecunda, modò aduerſa immittit. Hinc in
Eccl. 11. cleſ. legimus: *Bona & mala, vita & mors, paupertas &*
neſtas à Domino ſunt. Idemque Dominus per Prophe
Eſaiæ 45. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras; facien*
cem, & creans malum: ego Dominus faciens hæc omnia. D
que, vt paucis multa cõplectar, tam latè hæc diuinæ pro
Lucæ 12. dentiæ cura patet, vt Saluator in Euangelio dicat: *N*
quinque paſſeres veneunt dipondio: & vnus ex illis non
obliuione coram Deo? ſed & capilli capitis veſtri omne
merati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus pluri
vos. Non poterat vllis verbis hæc diuinæ prouidentiæ c
Prouidentia Dei. magis amplificari, quam cùm capillorum noſtrorum
merum Deo notum eſſe dixerit, quorum nec vnus qui
ſit periturus. Perſuaſum igitur nobis eſſe debet, Audito
omnia ſiue naturæ, ſiue gratiæ beneficia, ſiue quæ ad
porum ſalutem & incolumitatem, ſiue quæ ad anima
ſanctitatem & innocentiam pertinent, non à terra, ſed
lo, hoc eſt, à diuina benignitate deſcendere. *Palmes non*
Ioan. 15. *Simile.* *teſt à ſeipſo fructum ferre*. Vnde ſicut hic inferior mu
omnibus in rebus à ſuperiori, hoc eſt, à cæleſti regione
det (illius enim vi omnia gignuntur, conſeruantur, & a
ſtam maturitatem perueniũt) ſic vita, ſalus, ſanctitas a

feli

felicitas nostra ab illo inexhausto bonorum omnium fonte dimanat. *Omne*, inquit Iacobus, *datum optimum, & omne* Iacob. 1. *donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Hæc eò spectant, vt Saluatoris nostri in orando perseuerantiam imitemur. Omnes quæ secunda sunt, sitienter appeti- *Naturâ quid appetamus.* mus; quæ verò aduersa, auersamur. Si ergo tãtopere quæ nobis profutura sunt exquirimus, & nocitura refugimus, vtraque autem in manu Dei sita esse inconcussa fide credimus: quid quæso aliud agere, quid moliri, quàm vt mentis nostræ aciem in cælum semper intentam habeamus; vt cum Propheta dicamus: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis?* Psal. 122. Et: *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de* Psal. 24. *laqueo pedes meos.* Et illud Iosaphat Regis: *Cùm ignore-* 2. Par. 2. *mus quid agere debeamus, hoc solùm habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Rectissimè quidam dixerunt, homi- *Homo arbor inuersa.* nem esse arborem inuersam, quæ radices fixas habeat in cælo, ramos verò expansos protendat in terram, qui radicum virtute aluntur, & fructus ferunt. Radices excolimus, cùm mentem ad Deum attollimus, & omnes curas & cogitationes nostras in cælo fixas habemus. Hoc ille faciebat, qui dicebat: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet au-* Psal. 120. *xilium mihi.* Vides quàm firmum in Domino pij homines ad omnia præsidium habeant. Hoc igitur, Auditores, pro- *Præsidium nostrum in Deo est.* prium atque præstantissimum vitæ Christianæ munus, à Deo pendere, ab ipso omnia expectare, in illo spem salutis omnem collocare, ab eo omnia, quibus indigueris, postulare. Hoc filiis Israël addixit Dominus. *Si*, inquit, *audieritis* Exod. 19. *vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis* (mea est enim omnis terra) *& vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Sacerdotale *Sacerdotale regnũ* regnum & officium est, vt omnem salutem & opes in Deo positas esse credant, illius opem continenter petere. Dominus more aquilarum se cum illis dicit egisse. Hæc enim *Simile.* aquila, præter aliarum auium morem, pullos suos super alas differt, quoties aliò migrare, aut eos ad volandum excitare vult. Qua similitudine Dominus & flagrantissimam erga populum suum charitatem, & paternam curam ac prouidentiam apertè declarauit: vt ex ea omnia sibi fausta & salutaria promitteret, si hoc sacerdotali officio ritè fungeretur. Quod illis igitur, Auditores, dictum est, nobis dictum putemus, quia eundem Dominum colimus: quod illis promissum est, nos quoque fideliter expectemus: hoc est, vt

ſacerdotum munus, quod in orationis ſtudio poſitum e
diligenter exſequamur.

Pericula nos manent.

Quòd ſi hæc ratio minùs fortaſſe ad officium nos mou
moueat illud ſaltem, quòd in medio laqueorum poſiti ſ
mus, quódq; innumeris vndique tentationibus & pericu
cincti ſumus, quę nos de gradu virtutis per ſingula ferè m
menta deiicere tentant: moueant innumera quoque Sa
ctorum exempla: qui infirmitatis ſuæ cõſcij, vitam omn
in orationis ſtudio conſumebant. Inter quæ nõ parum be

Bartholomæus ſæpiſſime orauit.

tiſſimi Apoſtoli Bartholomæi exemplum eminet, quem f
rũt centies in die, & centies in nocte orare ſolitum. Dict
ei fuit cũ cæteris: *Gaudete & exſultate, quia nomina ve*
ſcripta ſunt in cælis. Si hoc igitur tantus hic Apoſtolus f

Matth. 5. Lucæ 10.

ciebat; quid de illis ſperandum eſt, qui in medio laqueor
poſiti, & impura carne circumdati, & variarum cupiditat
ſtimulis agitati, in hoc mundo inter ſcorpiones atque ſe
pentes habitantes, vix oculos in cælum attollunt, vix vn
ad tot pericula depellenda opem Domini implorant? O m
ſerandam hominum cæcitatem! Quid enim ex hac ta
cæcitate conſequi neceſſe eſt, niſi vt qui diuinam gratiã
poſtulamus, eius auxilio deſtituti ſimus, atque ita in om
diaboli laqueos, & peccatorum præcipitia incidamus?

Ethnicis qui deteriores.

Ethnicis ſunt deteriores, qui nunquam opus aliquod i
perunt, quin priùs fictitios deos placaſſent. Quantus e
pudor, Auditores, quantum Chriſtiani nominis dedecu
ab Ethnicis & cæcis hominibus in religionis officio
perari? Miſeri profectò & amentes, qui, quam habemu
dem, fruſtra habere videmur. Ad Euangelium.

Diſcimus Saluatoris exemplo, ſedulò orare. Nec ſol
orandi neceſſitatem nos exemplo ſuo docet, ſed etiã or
modum atque leges præſcribit. Oraturus quippe ſece
turbis, & ſecretum locum petit. Locum orandi deſign
cùm relictis turbis in ſecretum locum ſeceſſit: quo nos
plo ſuo, cùm orare volumus, idem facere moneret. Cu
perna enim illa & immẽſa maieſtate locuturi, ab homi

Oraturus quid agere debeat.

frequentia (niſi cùm in templis oramus) ſecedere debe
vt nihil extra ſit, quod animi noſtri intentionẽ aliò defle
re valeat. Nec ſatis eſt corpore ſecedere, niſi animo et
cedamus. Bene orare admonet D. Ambroſius: *Qui, in*

Ambroſ.

bene orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens, vertice
riæ ſublimioris adſcendit. At ille in montem non adſce
qui de ſeculi diuitiis & honore ſolicitus eſt: non adſce

in mõtem, qui fundi ius optat alieni. Sicut Abraham filium in monte immolaturus, seruũ & asinum ad radicem montis exspectare præcepit: ita nos seruilia opera atque terrena omnia à tergo relinquere debemus, quoties hunc montem adscendere paramus. *Itaque*, ait Bernardus, *cogitationibus nostris dicere debemus: Exspectate hîc cum asino corpore; & postquam adorauerimus, reuertemur ad vos, & huc citò reuertemur.* Deinde verò quòd nocturnum tempus Saluator ad orandum elegit, esse tempus hoc ad orandum aptum declarauit, in quo à diurnis curis & negotiis feriati, tenebris & silentio, atque solitudine noctis iuuamur: quo tempore neq; oculi rerum imaginibus, neque aures alienis vocibus mentem turbant, neque negotia eandem rerũ cælestium intuitu & contemplatione auocant. Hãc temporis opportunitatem nos captare Propheta monet, cùm ait: *Consurge in nocte in principio vigiliarum, & effunde sicut aquam cor tuum in Dominum.* Ad hoc ipsum pios omnes regius Propheta inuitat, cùm ait: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Nec minore cura ipse præstabat, quod alios facere adhortabatur: *Media*, inquit, *nocte surgebam ad confitendum tibi.* Et: *Memor fui nocte nominis tui Domine.* Idem quoque Esaias Propheta de seipso profitetur, cùm ad Dominum ait: *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.* Sancti omnes vsque adeò nocturnum hoc tempus diuinis laudibus & precibus destinarant, vt diuus Franciscus (qui vigiles cum Deo noctes transigebat) apposito nomine verum Monachum Cicadam noctis appellarit: quòd cicada sine vlla intermissione Sole vigente canat. Quin & Plinius Iunior Traiano Principi scripsit, nulla in Christianis eius ætatis crimina reperiri, nisi quòd antelucanos hymnos in cuiusdam hominis laudẽ, qui in Palæstina crucifixus erat, decantarent. Quibus exemplis intelligere licet, Auditores, quàm fuerit apud sanctos quosque viros vsitatum, nocturni temporis silentia diuinis laudibus & precibus consecrare. Quam rem hoc in loco nos Dominus exemplo suo docet, cùm *pernoctat in oratione.* O vtinam his exemplis permoti, Auditores, salutare hoc institutum amplecti vellemus, vt aliquam saltem noctis partem huic verè Christiano studio impenderemus! non dubium quin miros hac exercitatione fructus consequeremur, quibus felicem vitam degeremus. Opus igitur aliquod inchoaturi, ab

Genes. 22.
Bernard.
Nocturnũ tempus aptum.
Thren. 2.
Psal. 133.
Psal. 118.
Frãciscus. Monachus cicadæ similis.

oratione auspicemur, & feliciùs succedet. Illud homi Christiano persuasum esse debet, Auditores, ea omnia, qu diuinis auspiciis atque ductu gerimus, faciles semper exit habitura: contrà verò, quæ consiliis nostris freti, inconsul Deo gerimus, infausta atque perniciosa sæpe futura. Qua rem quotidianis exemplis fermè comprobare licet. Sic sa-

Iosue 9. ctus Iosue, & cæteri Israëlitici populi principes fuere la in petitione Gabaonitarum, quòd os Domini minimè in terrogasse perhibentur: ideóque illos Dominus labi at errare permisit. Sic etiā apud Esaiam filios Israël Domi accusat, quòd se inconsulto atque relicto, suis consiliis a

Esaiæ 50. humanis præsidiis niterentur. *Væ*, inquit, *filij desertor vt faceretis consilium & non ex me: ordiremini telam, non per Spiritum meum*, &c. Hac autem de causa cùm ide populus iniussu Dei cum hostibus in deserto confligere vo let, Moyses, diuinorum arcanorum interpres, eos ab hoc te-

Num. 14. merario vsu reuocare volens, aiebat: *Nolite adscendi non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram in micis vestris.* Quid illi ad hæc? sanctissimi viri voces asp nati, ad pugnam se parant. Sed cùm primùm appropinq tes hostes cōspicati sunt, terga verterunt, eorúmque gla fœdè concisi perierunt. Quicumque igitur sapienter vit

Vita vt instituenda. instituunt, nihil audent nisi ex illius imperio, consilio, præscriptione moliri. Vnde vox illa Moysis, qua ven atque pacem exposcit, Deúmq; pro salute populi sibi co missi veneratur: *Si tu ipse non præcedas*, inquit, *non edu nos de loco isto.* Intelligebat enim vir excelsus, tolerabil multò fuisse, in vasta illa solitudine incommodis omn vexari, atque senio fœdisque morbis intabescere, qu viam aliquam, in qua Deus non esset ductor, inire. Illo e duce non ad incertum euentum omnis vitæ labor imp ditur, sed ad certam vitæ felicitatem omne studium desti tur. Apostolos electurus pernoctat in oratione: orabat trem cælestem, vt Spiritus virtute hos Euangelij minist corroborare:, vt nullis laboribus seu difficultatibus ab ministerio deterrerentur. Hæc oratio apud Patrem pl mum valuit: qua instructi ac armati, vt vniuersum te rum orbem peragrantes, Euangelium Christi longè late disseminarent. Nulla aduersitas, non omnes Reges ter

Psalm. 2. Principes, *qui frementes conuenerunt in vnum adu Dominum, & aduersus Christum eius*, deterrere eos po rūt. Duodecim ergo piscatores hoc cælesti Spiritu instru

omn

omnem mundi atque inferorum potentiam debellarunt. Ipsi autem priùs vitam amittere, & omnes cruciatus perferre, quàm commissum sibi officium deserere maluerunt. Bartholomæus detracta pelle excoriatus est, ac alij clarissimum constantiæ atque fidei suæ exemplum posteris reliquerunt. Hunc autem duodecim Apostolorum numerum multis modis voluit Dominus & in veteri & in nouo Testamento figuris clarissimis adumbrari atque honorari. Hos enim duodecim Patriarchæ filij Iacob designarunt: quia vt illi carnalis populi, ita isti spiritualis patres exstiterũt. Hos etiam duodecim boues adumbrarũt supra quos impositum illud æneum mare erat, in quo Sacerdotes lauabantur. Sic enim isti baptismatis mare per totum mundum detulerunt, quo peccatorum omnium sordes abluuntur. Hos item duodecim illi fontes Elim figurarunt: quia ex horum fontibus salutaris sapientiæ aquam populi omnes hauserunt. Hi sunt etiam duodecim illæ gemmæ in summi Sacerdotis Christi ornamento collocatæ: quas Paulus Ecclesiarum Apostolos, & Christi gloriam appellat. Hi sunt etiam duodecim illæ stellæ in corona sponsæ miro doctrinæ splendore fulgentes: hi duodecim nouæ ciuitatis fundamenta, duodecimque portæ quæ ex singulis margaritis constant: quorum hi primùm fidei fundamenta iecerunt in mundo, & per eos nobis aditus in cælestes illas sedes patefactus est.

Apostolorum constantia.

Apostoli duodecim adũbrati.

Genes. 39.

Exod. 15.

Exod. 39.

2. Cor. 8.

Apoc. 12.

Apoc. 21.

Hos igitur duodecim ex Apostolorum numero Dominus vocauit; quos, vt ait Ambrosius, ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarũ orbem satores fidei destinaret. Simul aduerte cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxisse prudentia, ne redemisse diuitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur: vt veritatis ratio, non disputationis gratia præualeret. Christi flagrantissima charitas erga nos apparet, qui tam longa oratione Patrem exorauit, vt nascẽtis nouæ Ecclesiæ idoneos ministros & duces sibi designaret, qui perditos homines in viam salutis & sempiternæ felicitatis dirigerent. Si autẽ nostra salus tam fuit cordi Christo, quàm eadem nobis chara esse debet? Quid enim te pro salute tua facere oportet, quãdo pro te Christus in oratione pernoctat? At quæ sint nostra studia, vide, qui totas noctes stertimus, lasciuimus, aut ludis transigimus. Christus pro nostra salute est solicitus: at nos phreneticorum more ride-

Ambros.

Piscatores mundum conuertunt.

Socordia nostra.

mus, insanimus. Iudas tunc temporis non erat indignus hac electione, qui postea degenerauit. Sic Saul defecit, sic Salomon, sic Nicolaus diaconus ex septem. Paulus malè cœpit, sed bene finiuit. Pauebat sanctus ille Rex, cùm diceret: *Confige timore tuo carnes meas Domine, à iudiciis enim tuis timui.* Sic in cruce alter latronum eligitur, alter relinquitur ad supplicium. Iudam ad tam nefandum facinus impulit pestis illa auaritia, vt magistrum pecuniâ traderet hostibus. Auaritia omnibus modis detestanda est. *Beatus vir qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum?* Apostolus noster Bartholomæus sua detracta à corpore pelle, regnum Dei comparauit. Quid nos dicemus? Si nos non mouet illa tantæ felicitas gloriæ, moueat saltem horrenda illa pœnarum æternitas & acerbitas, quæ rebellibus, & diuinarum legum contemptoribus parata est. Ferrea enim præcordia gestat, quem tam atrox & immane supplicium sempiternis seculorum ætatibus duraturum, ad leue illud Christi onus, & piam diuinæ legis sarcinam ferendam non inducit. Conuertamur per veram pœnitētiam, & veniamus per iustitiam. Adsit Christus. Amen.

1. Reg. 11. *2. Reg. 12.* *Act. 6.* *Psal. 111.* *Iudæ scelus.* *Auaritia detestāda.* *Eccles. 31.*

IN NATIVITATE B. VIRGINIS

CONCIO: IN QVA DE MIRABILI Euangelij virtute & gratia, simúlque de sacra Virginis dignitate, dissseritur.

THEMA. *Liber generationis Iesu Christi, filij David, &c.* Matth. 1.

SOlent huius seculi principes natalitium suum diem festiuis gaudiis celebrare, mortis verò diē luctu atque lacrymis prosequi: at longè aliū Thraciæ populis morem fuisse, historiæ Gētium referunt. Hi námque filiorum natiuitatem lamentantes, mortis diem lætum atque faustum esse prædicabant. Prudenter enim videbant, quàm multis ærumnis & calamitatibus, quàm variis casibus hæc vita obnoxia sit, quæ corpus tam multis morbis, animum verò tam multis curis & angoribus vexat atque discerpit: quorum omnium finem, mortem esse dicebant. A quo quidem iudicio atque sententia

Thracum mores quales.

noī

non admodũ insignis ille Philosophus Anaxagoras diffidebat,qui tædio atq; odio vitæ mortẽ sibi consciscere per inediam volebat:ac multò minùs ille qui dicebat:*Nemo vitam acciperet,si daretur scientibus.* tantum in ea malorũ ac miseriarum esse intelligebat. Hunc autem Thraciæ morem, quamuis alio spiritu & consilio, probare videtur Ecclesia, quæ natales Sanctorum dies silentio transiens,mortis diem solennibus officiis,& cõmuni alacritate celebrat,eundemque non mortis, sed natiuitatis diem appellat. Quam rem D.Augustinus in sermone de beato Cypriano demiratur his verbis: *Quid est hoc fratres?quòd sanctus hic natus sit,ignoramus: & tamen quia hodie passus est natalem eius hodie celebramus? sed quando natus est,etiam si sciremus, nequaquam diem illum celebraremus. Illo nánque die in peccato natus est, isto autem die peccatum omne finiuit: illo die ex fastidioso matris vtero in hanc lucem processit, quæ oculos carnis illecebrat: isto autem die ex profundissimo carcere in illam lucem discessit, quæ visum mentis illustrat.* Ab hoc autem communi Ecclesiæ more beatissima Virgo singulari ratione excepta est, cuius non modò pium defunctionis diem, sed natiuitatis etiam totius orbis gratulatione & gaudio celebrat: non solùm natiuitas eius Saluatoris aduentum prænunciabat, sed etiam quia omnis peccati expers ab vtero matris in hãc lucem processit. Cùm enim domum Dei sanctitudo deceat: consequens profectò erat: vt quæ in Dei domũ electa erat, antè etiã quàm nasceretur,& ab omni peccato libera & eximia sanctitate cumulata esset. Qui enim eã sibi in domũ elegit,eandem cælestis gratiæ ope præuenire voluit: quæ nec lethali, nec veniali aliquo delicto maculata fuit. Nulla in hoc mũdo rosa sine spinis inuenitur: at hoc candidæ puritatis lilium ab omnibus spinarũ aculeis immune fuit. Meritò igitur natalem Virginis diẽ lætis hodie canticis & laudibus Ecclesia celebrat: quia vbi nullũ agnoscit peccatũ, nullam lugendi,sed maximã contrà lætandi causam habet: præsertim cùm post autorẽ splendorẽ,proximum esse iam veri iustitiæ Solis ortũ intelligat. Vt igitur faustissimũ hunc diem religiosa deuotione & alacritate celebremus,cælestẽ opem, eiusdem Virginis interuentu,suppliciter imploremus.

Seneca.

Augustinus sermo. de sancto Cypriano.

Natiuitas beatæ Mariæ sancta planè.

AVE MARIA.

Historiarum cognitio mirè ad vitæ nostræ institutionem valet. Hæc enim verè & sincerè admonet,quod adulatorum greges

Historiæ ad quid valeant.

greges (quibus stipati Reges incedunt) delicatis eorum a-
ribus ingerere metuunt. Atque vtinam qui bonam diei
noctis partem aut in chartarum ludo, aut in mendacib
historiis legendis insumunt, sacras historias aut sancto
vitas euoluere studerent! non dubium quin maximum ex
re fructum ad vitæ institutionem caperent. Habemus h
Regum & Patriarcharum nomina, quæ nobis materiam
nobilitate & vanitate mundi præbent dicendi: deinde ad
cræ Virginis laudes veniemus. Multi homines hallucina
dum se tam iactanter ostentant de nobilitate, qui ignor
Nobilitas duplex. quæ sit vera, & quæ falsa nobilitas. Sciendum duplicem
nobilitaté: est enim Christiana nobilitas, & est ciuilis. Ch
Ioan. 1. stiana verò nobilitas est, de qua Ioãnes Euang. ait: *Qui n
ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex vol
tate viri, sed ex Deo nati sunt.* Non enim mores carnaliu
parentum, à quibus carnem & sanguinem trahunt; sed c
lestis Patris, cuius Spiritum hauserunt, mores & vitam re
tunt. Hæc est igitur non modò Christiana, sed vera & fir
nobilitas. Quid enim maius quàm à Deo genus duc
Deumq; ipsum amplè & elatè Patrem appellare? Hac en
Nobilitas vera quæ. generis dignitate, Sancti omnes nobilitati fuerũt: soli q
pe nobiles sunt, qui à Deo noua natiuitate geniti, de
Patre gloriantur. Vt autem quæ sit ciuilis nobilitas e
diam, obseruandum primò est, nobilitatem inter hum
bona numerari, eamq; in boni alicuius adeptione cõsist
Tria autem bonorũ genera Philosophi statuunt: honest
vtile, atque iucundum. Sunt autem vt mores hominum
ingenia quoque diuersa, ita vt quæ sit vera ciuilis nobili
non facilè cognoscere liceat. Sunt enim nonnulli qui in
liciter sunt nati, vt nullam honesti, nullam veri honoris
laudis rationem habeant, sed omnis eorum cupiditas at
Philip. 3. cura in sola corporis vtilitate & voluptate sit posita. A
hos sola penè cura ventris & Veneris est, quem sibi, vt A
stolus ait, Deum fecerunt. Est auté hoc vitium ignobilis
seruilis ingenij maximè proprium, à quo præclaræ indo
Ignobiles qui. ingenia abhorrere solent. Quicumque hoc animo atque
genio sunt, verè ignobiles & rustici æstimandi sunt. S
autem alij feliciùs nati, qui vsque adeò in veræ laudis & h
noris amorem propensi sunt, vt omnia agant ad laudem
celebritatem nominis consequendam. Hos, quibus hanc
uilem nobilitatem tribuimus, veri honoris amantes e
dicimus. Hi illud ingeniosi Poëtæ bene expenderunt.

Veni

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti.

Hac nobilitate, hoc animo fuisse multos Romanorum Imperatorum & Græcorum constat. Vnde præclara illa Ciceronis sententia manauit: *Neminem vmquam magnum sine afflatu diuini numinis fuisse.* Nos omnia præclara opera Spiritui sancto attribuimus; illi Gentiles præstantiam carnali deorum generationi. Sic Herculem, sic Romulum, sic Alexandrum Iouis filios esse dixerunt. Liquet ex his quæ breuiter attigimus, quibus in rebus nobilitas & ignobilitas posita sit. Hoc tamen semper statuendum ante omnia, iustissimum rerum æstimatorem nõ externam sanguinis nobilitatem, sed internam animi virtutem in pretio habere. Idcirco eos qui dẽ Abraham patre gloriabãtur (quorum tamen opera ab illo degenerauerant) non Abrahæ, sed diaboli filios esse dixit, cuius opera & desideria perficere nitebantur. Vidit enim summa illa sapiẽtia, non alienis virtutibus, sed nostris, veram nobilitatem definiri: nec quemquã alienis meritis, sed suis laudem promereri. Iam si totam hanc seriem Regum & Principum, qui in hoc Euãgelio referuntur, exitus consideremus, quàm breuis & fragilis sit huius seculi dignitas & gloria (quam mortales omnes adeò sitienter appetunt) intelligemus. Numerantur hîc potentissimi Reges, qui aliis fuerunt formidini; quis illorum, nisi mors exitus? *Transierunt omnia velut vmbra volans, & tamquam nuncius præcurrens*, &c. Quocirca meritò diuus Prosper insolentiam eorum hominum, qui vel diuturnã sibi vitam pollicentur, vel in terrena opulentia gloriantur, castigat his verbis: *Respice te quæso homo, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Respice sepulchra, & vide quis seruus, quis dominus, quis diues. Discerne si potes, quis vinctus à Rege, quis fortis à debili, pulcher à deformi.* Hæc cùm ita sint, rectè Homerus vitam humanam foliis arborum comparauit. Hoc ipsum Salomonem significasse videtur, cùm ait: *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* Cùm ait, aliam generationem præterire, & ea extincta aliam venire, foliis vtique arborũ vitam nostram comparauit. Agimus igitur non vt ciues in hoc seculo, sed tamquam hospites & aduenæ. In hac Regum serie non solùm humanæ gloriæ breuitatẽ, sed fortunæ quoque inconstantiam animaduertere licet; quæ modò Reges ex seruis, modò Reges ipsos ad seruilem conditionem deiicit. Sic videmus B. Ioseph, qui à regia Dauidis stirpe genus trahebat,

Cicero. Ioan. 8. *Mortaliũ vanitas.* Sapien. 5. Prosper. Homerus. Eccl. 5. 1. Petr. 2. *Fortunæ inconstantia.*

hebat, eò paupertatis & inopiæ deueniſſe, vt ſerra atque ſecuri victũ ſibi tenuem compararet. Nec minùs mirandum, Virginem ſanctiſſimam, quę eadem nobilitatis gloria eminebat; humili fabro deſponſatam, inopem in hoc mundo vitam perduxiſſe. Hæc pauperem in ſeculo vitam duxit, quæ modò non in cælo ſolùm, ſed in toto terrarum orbe, ſumma cunctorum mortalium reuerentia celebratur. Sic & ille, *qui, cùm diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt.* Hic Euangelicæ paupertatis virtutem honorari voluit. Hoc autem exemplo, noſtrarum virginũ vanitas & ſuperbia damnatur, quæ opificum coniugia dedignantur, maluntque otioſos & cultos adoleſcentulos, licèt egentes ac tenues, quàm diuites opifices in coniuges accipere, cum quibus poſteà, inopia conſtrictæ, miſerrimam vitam agunt, aut malas artes, vt latrocinia, meretriciam exercent. Ex hac item Regum & Patrum ſerie apertè colligere licet, nobilitatem generis quam vulgus hominum miratur, ſi virtutibus deſtituta ſit, ſolisq; maiorum imaginibus nitatur, inanem prorſus atque commentitiam eſſe. Vera quippe nobilitas non magis ſine virtute, quàm homo ſine ratione intelligi poteſt. Si liberi numquam à parentum moribus degenerarent, eſſet merito vulgaris hæc nobilitas in pretio habenda: at vel ex hac auorum & atauorum Chriſti ſerie, lõgè aliud animaduertere licet. Ex patre enim ſanctiſſimo Iſaac naſcitur profanus Eſau: ex Iacob autem, Iſaaci filio, parricidæ filij nati ſunt: quos idem Ioſeph apud patrẽ peſſimi criminis accuſauit. Ex Dauid naſcitur ſceleſtiſſimus Abſalom, qui ſanctiſſimum patrem vita & regno priuare conatus eſt, eiusque vxores nefariè violauit. Salomon genuit ſtultũm Roboam, S. Ezechias impium Manaſſem, Samuel filios malitioſos. Vade nunc igitur, & generis nobilitatem iacta, à qua tam multos degenerasse videmus. Perſæpè fit, vt multi nobilitatis occaſione indoleſcant, & infimos quoſque ſuperbè deſpiciant, & nobilitatis obtentu omnia ſibi licere putent; cùm in maxima potentia, minima eſſe licentia debeat. Eſt & aliud quod in hac Regum ſerie non ſolùm conſiderare, ſed etiam lamentari debeamus. Ex tot enim Regum numero, tres ſolùm Eccleſiaſticus religionis & iuſtitiæ cultores fuiſſe memorat his verbis: *Præter Dauid, & Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum commiſerunt: nam reliquerunt legem Altiſſimi, & contempſerunt timorem Dei.* Qua ex re non ſolùm humanæ naturæ morbus, & ad malum procliuitas, ſed multò magis poti

Marginal notes: 2. Cor. 8. — *Virginum ſuperbia.* — *Nobiles habẽdi qui* — *Geneſ. 37.* — 2. *Reg.* 15. — *Nobiles ſuperbi ſunt plerũque.* — Eccl. 49.

potentiæ, atque principatus periculum agnoſcimus. Quocirca diuus Bernardus difficile putat, eſſe in honore ſine timore, in prælatione ſine elatione, in dignitate ſine vanitate, raramque eſſe humilitatẽ honoratam. Verè enim ac propriè diuinum eſt, cùm omnia poſſis, te in arcto conſtringere, nihilque poſſe, niſi quod iuſtum eſt, & cum Apoſtolo dicere: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Iam verò tot adulatorum gregibus, quibus Reges ſtipantur, occluſas aures habere, ne quid homines de te prædicent, ſed quid tu intra te videas, iudicare, ſingularis & rariſſimæ prudentiæ eſt. Dauid in regno confirmatus, elationis exemplum dedit, dum populum numerare iuſſit. Vide quo Saul euaſerit. Nónne magna eſt mortalium cæcitas, qui tanta auiditate adſpirant ſeculi dignitates, quæ non tam loca quàm præcipitia ſunt? Hinc clamat Bernardus: *Quem ſequimini filij Adam, quem ſequimini? Nónne videtis Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem?* Illud etiam in hac ſerie Regum diligenter conſiderandum eſt, quanta pace & otio Iſraëliticus populus fruebatur, cùm ij clauum regni & ſceptra tenerent, qui religionis & iuſtitiæ cultores erant. Tales fuerunt Dauid, Ezechias, Ioſias, Ioſaphat, optimi Reges, Deum timentes. Contrà verò, cùm Reges diuinæ legis obliti, omnia illis in diuerſum cadebant. *Scito* (inquit Dominus per Prophetam) *& vide, quia malum & amarum eſt, dereliquiſſe te Dominum. Conſurrexit Satan, omnis mali autor, aduerſus Iſraël.* Et quid tandem fecit? *Incitauit*, inquit Dauid, *vt numeraret Iſraël*, hoc eſt, caput imperiuit, vt toti corpori noceret. Quæ cùm ita ſint, magna & quotidiana cura illud Apoſtoli conſilium implere debemus, quo admonet, *orationes & obſecrationes fieri pro Regibus*, &c. Sciebat enim vir diuinus, verum eſſe quod Eccleſ. dixit: *Qualis Rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Salomon quamdiu Deum coluit, omnia proſperè ſuccedebant: quando verò Deum dereliquit, vxorum ſuarum delinitus blanditiis, vndique Dominus aduerſarios ei excitauit. Hîc multa excogitari poſſunt. Primùm hinc liquet, ſummam ſapientiam (qualis in Salomone fuit) ſi Dei timore & præſidio deſtituta ſit, minimè ad ſalutem ſufficere. Vnde in Eccleſ. legimus: *Quàm magnus eſt qui inuenit ſapientiam & ſcientiam! ſed non eſt ſupra timentem Dominum: timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Mirandum ſanè, quòd Salomon ſapientiſſimus defecerit ad nefandum idolorum cul

Bernardus.
1. Cor. 6.
Ierem. 2.
1. Par. 22.
1. Tim. 2.
Eccl. 10.
Eccl. 25.

Rom. 11. cultum. Clamat ille: *O altitudo diuitiarum, sapiẽtiæ & sci*
tiæ Dei, &c. Rectè monet diuus Petrus, vt cum timore in
1. Petri 1. colatus nostri tempore vitam agamus. *Beatus* enim *hom*
Prou. 8. *qui sẽper est pauidus*. Est & aliud quod in hac Saluatoris ge
nealogia obseruare licet, fidem videlicet diuinarum promi
sionum, singularemque Dei erga fideles seruos charitatem
Quæ res vehementer nos ad tanti benefactoris obsequiu
& amorem impellere debet. Hoc apertè in Dauidis filiis de
monstrauit: nunquam enim in eius stirpe Iudææ Reges
propter eiusdẽ patris merita & pietatem, deesse voluit. Pro
Deus fidelis in promissis. miserat Deus tum Abrahæ, tum Dauidi, ex eorum sobol
mundi Saluatorem esse nasciturum: ideoque necesse erat,
vtriusque generis ratio diligens haberetur, vt Deum in pro
Psal. 30. missis fidelem atque veracem agnosceremus. Dicitur Deu
Deus veritatis. Veritas enim, qua Deus piis hominibus tu
telam & patrocinium suum, atque paternam curam in lit
ris sacris passim promittit, velut impenetrabile scutum es
quod nullæ dæmonum sagittæ perrumpere queant. Mem
nisse debemus promissionis Christi: *Amen, amen dico vo*
Ioan. 15. *bis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vo*
Hac item generis sui descriptione, immensa diuinæ bo
tatis & charitatis amplitudo & dignatio commẽdatur, qu
eò vsque nostri gratia maiestatis suæ celsitudinem deiecit
vt carnem ex his hominibus sumere vellet, quorum mu
Simile. impuri, perfidi atq; sacrilegi exstiterunt. Vt enim medico
est, ægrotorũ excrementa non horrere, quo ægrotorũ sal
prospiciant; ita cælestis ille medicus, qui peccata mundi c
raturus aduenerat, neque peccatorũ genus, neq; peccato
Matt. 9. contubernia & mensam dedignari debuit. *Non est*, inqu
opus valẽtibus medicus, sed malè habẽtibus. Hæc igitur ta
ta Dei nostri humilitas promissæ dignitatis, quæ per Eua
gelium nobis exhibetur, fidem facit. Nec modò fidem fac
sed etiã beneficij magnitudinem amplificat. Iam tẽpus e
vt ad sacratissimam Virginem, cuius hodie natiuitatẽ ce
bramus, conuertamur. Hodie, cùm eius natiuitatem ce
bramus, redemptionis nostræ exordium recolimus: quan
hodie mulier illa in mundũ venit, cuius semen serpẽtis a
tiqui regnum & potentiam erat euersurũ. De qua quicq
in eius laudem dicere possumus, minus est, quàm quod
fine huius Euangelij Matth. subiecit, cùm ait: *De qua na*
est Iesus, qui vocatur Christus. Huius enim dignitatis mag
tudo facit, vt nulla mortalis lingua eius laudibus par e
queat.

queat, vt inquit D. Augustin. Quod quidem paucis Euange- *Augustin.*
præstitit, cùm de illa natum mundi Saluatorem esse dixit.
Femina cælorum & Angelorum Dominum concepit, & il-
lum plena voce filium appellare audet: *Fili*, inquit, *quid fe-* *Luca 2.*
cisti nobis sic? Et quomodo ipsa filium audacter & glorian-
ter appellat: ita is eam matrem charissimam sine vllo rubo-
re prædicat atque confitetur. Quid igitur hac dignitate su-
blimius? Si ex fructu cognoscitur arbor: qualis illa arbor ex- *Simile.*
stitit, quæ talem mũdo fructũ protulit? Hæc est enim arbor
illa, de qua Esaias multò antè vaticinatus fuerat: *Egredietur* *Esaiæ 11.*
virga de radice Iesse, & flos de radice eius adscendet. Radix,
familia Dauidis est, virga Maria, flos Mariæ, Christus. Qua-
lis ergo nobilis hæc virga sit, ex flore, quem protulit, diiu-
dicandum est. De eadem quoque femina Hieremias ait: *Hiere. 32.*
Nouum fecit Dominus super terram? femina circumdabit vi-
rum. Verè nouum, & nusquam anteà in mundo visum,
quòd sola femina, sine vllo viri consortio, intra viscera sua
circumdederit virum. Magna sanè feminæ gloria, illum in- *3. Reg. 8.*
tra se continere, quem cælum & cæli cælorum capere non
possunt. In Apocalypsi vidit Ioannes mulierem sole ami- *Apoc. 12.*
ctam, cuius pedibus luna substrata erat. Sol autem iustitiæ
Christus Dominus est. Quo quidem sole sanctissima hæc *Mulier a-*
mulier amicta fuit, quæ vndique diuinæ lucis præsidiis val- *micta sole*
lata erat: ne in eius mentem aut vllum culpæ contagium, *Maria.*
aut vlla terrenæ cogitationis labes vllo modo posset irrepe-
re, sed quicquid in ea esset, totum esset diuinum atque cæle-
ste. O verè beata mater, quæ tota intus & foris, in corpore
& anima, Deo plena fuisti! Hæc erat sole plena, sole amicta:
lunam igitur sub se habuit, hoc est, totum hunc inferiorem
mundum, variis mutationibus, instar lunæ, obnoxium. De-
spexit ipsa omnia vitia, gloriam, cupiditates, prospera æquè
ac tristia. Talem decuit esse feminam, quæ ipsum mundi
conditorem ac Dominum, filium poterat appellare. In ip-
sius siquidem moribus nihil nisi diuinum atque cæleste ap-
parebat. Moyses, quòd quadraginta dierum spatio cum Deo *Exod. 34.*
in monte versatus est, tanta fuit claritate illuminatus, vt
filij Israël nisi velamine super faciem posito in eam inten-
dere non valerent: quid igitur de hac Virgine sentiendum
est, quæ nouem mensibus clarissimum iustitiæ solem intra
purissima & immaculata viscera sua continuit? De eodem
item Saluatore Euangelistæ referunt, *quòd omnis turba quæ-* *Luc. 6.*
rebat eum tãgere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Si igitur quotquot Saluatorem nostrum, aut etiam eius vestem contingebant, optatum salutis beneficium percipiebant: quas in illam gratiarum opes contulisse putandus est, quæ infantem illum in sinu gestabat, virgineis vberibus lactabat, brachiis stringebat, & omne illi obsequium deuotissimè exhibebat? Quid verò Apostoli Petri vmbram commemorem? *Act. 5.* Si tantam illi Dominus virtutem contulit, vt ægrotorum corpora, quæ attigisset, sanaret: quam sibi virtutem reseruauit, qui tantum seruo suo donare potuit? *Mariæ dignitas.* Quæ igitur non Christi vmbram, sed sacrum eius corpus in manibus semper habebat, quas quæso virtutum & gratiarum *Genes. 30.* diuitias ab eo semper hauriebat? Laban ille idololatra, quia Iacob virum Deum colentem in suo habuit seruitio, sensit benedictionem in omnibus suis bonis: quam obsecro hæc senserit benedictionem, quæ illum intra domesticos parietes retinuit, & omnia ei humanitatis officia materna pie- *Simile.* tate exhibuit? Odoriferum & pretiosum aliquod vnguentum facit, vt pyxis, cui impositum fuit, retineat odorem: quare igitur Christus sua diuina puritate Virginis sacratissimæ viscera non repleuerit? Dionysius ille magnus, cùm videret matrem Domini, professus est, se in ea Dominum ipsum vidisse. Quæ igitur tot cælestibus donis cumulata fuit, quæ tantum apud filium valet: quibus donis atque mu- *Mariæ fidendum.* neribus eos afficiet, qui se totos illius obsequio tradiderint, qui spem suã post Christũ in eius misericordia collocauerint? Aiunt qui de natura scripserunt, neque laurum, neque aquilam fulminibus tangi: sub hac igitur aquila regia, & sub hac semper virentis lauri vmbra quiescamus, Auditores: vt eius virtute à peccati fulmine liberi & incolumes permanentes, ad eiusdem tandem Virginis (quæ ab omni peccati labe immunis fuit) consortium peruenire mereamur, præstante Domino Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in secula seculorum.

Hanc vt iudicis matrem, & peccatorum aduocatam, in omni calamitate inuocemus: eius singulares virtutes, humilitatem, obedientiam, misericordiam, imitari studeamus. Qui illi similes in vitæ puritate fuerint, erunt in beatitudine æterna similiores. Amen.

IN

IN FESTO BEATI MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, concio: in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Præteriens Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.* Matth. 9.

REFERVNT historiæ Gentilium, Apellem illum inter pictores veteres celeberrimum, vbi perfectissimum Helenæ reginę simulacrum absoluisset, sui quoque ipsius imaginem in eadem tabula ad viuũ expressisse, quo & op⁹ illud insigne, & operis artifex posteritatis & memorię commendaretur. Hoc mihi sanctus Matthæus Euangelista fecisse videtur, qui vbi totius vitæ Domini Saluatoris imaginem diuinis coloribus adumbratam, ad omnium fidelium salutem & instructionem, velut in tabula quadam proposuisset, se quoque ipsum, hoc est, admirabilem vocationem suam apertissima oratione descripsit. Qua in re tantum abest, vt hac historia gloriam suam, vt Apelles, quæsierit, vt cũ officij sui, quod exercebat, ignominia, nomen quoque suum (quod cæteri Euangelistæ honoris eius gratia tacuerunt) expresserit. Cùm enim sanctis omnibus hoc semper propositum fuerit, vt Domini sui gloriam cum sua etiam ignominia quærerent, quicquid ad eius gloriam amplificandam pertinebat, magnis vocibus prædicare curabant. Cùm autem ingens diuinæ bonitatis & potentiæ gloria sit, ex vili rudíque materia opus efficere præstantissimum: ideò non solùm quales ipsi facti à Deo sint, sed quales anteà fuerint, diligenter conscripserunt. Sic Paulus se Ecclesiæ persecutorem, blasphemum, & peccatorum omnium primum aperta voce pronunciat: vt hac ratione appareat, quantæ bonitatis & potentiæ fuerit, hoc vas iræ & contumeliæ in vas electionis & gratiæ transformasse. Sic Matthæus se publicanum fuisse, ac per id temporis ad telonium sedisse, & debitorum rationes computasse scribit, cùm ad Euangelici & Apostolici muneris functionem est à Domino ineffabili & gratuita pietate vocatus. De hac igitur mirabili vocatione hodie dicturi, cælestem opem, sacratissimæ virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Matthæus vitã Christi & suã descripsit.

Sancti suã gloriam celant.

1. Cor. 15.
1. Tim. 1.

AVE MARIA.

Inter ea quæ Dominus partim admirandis operibus, par-
tim sacrarum literarum testimonis nos docere voluit, hoc
vel maximum est, vt omnes apertè intelligamus, quæcun-
que habemus, siue naturæ, siue gratiæ, siue quæ vulgus ap-
pellat fortunæ bona, eiusdem esse gratuita beneficia. Vt
igitur vt apertè intelligamus eius beneficium esse, quod
Act. 17. viuimus, quòd mouemur, & sumus: eius esse corpus & ani-
mam, quam is in corpus nostrum efflauit: eius esse, si quid
rectè & cum pietate gerimus. Hoc item longa oratione
Iob 10. sanctus ille Iob cum Domino agens, confitetur his verbis
Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum
2. Cor. 3. *in circuitu, & sic repentè præcipitas me?* &c. Hac oratione
quicquid in se habebat, vni Deo acceptum referebat. Hinc
& Apostolus ait: *Non enim sufficientes sumus cogitare ali-*
quid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex De
Philip. 2. *est.* Item, *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*
Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro
bona voluntate. Quibus verbis non solùm bona opera, sed
sancta eius desideria, diuinæ gratiæ beneficia esse confitetur
Cælestis verò magister similitudine conuenienti hæc om-
Ioan. 15. nia complexus est, cùm ait: *Sicut palmes non potest ex se fer-*
re fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manse-
ritis. Sancti omnes hoc ipsum intelligentes, confitentur
Esaia 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Is est ope-
rum præcipuus auctor, nos veluti instrumenta. Videmus
omnia opera nostra, ac præcipuè iustificationis gratiam,
æternam salutem, eius esse singularia dona. Nec his tamen
testimoniis & oraculis contentus, ipsius etiam operibus h
apertè demonstrat, cùm non modò ad gratiam suam, s
ad sublimes quoque Ecclesiæ suæ dignitates, multos hom
num, nullis meritis præcedentibus, sola electionis suæ g
tia vocauerit. Cuius rei multa & præclara exstant exem
Exod. 2. 3. & 4. Cùm Moyses in terra Madiam propter admissum homi
dij crimen profugus habitaret, socerique sui oues in dese
to pasceret, ad altissimum dignitatis gradum penè inuit
electus est à Domino Dauid, dum idem officium exerce
1. Reg. 16. non modò ad regni solium euocatur, sed etiam Spiritu s
Amos 7. cto repletur. Amos, rusticus & armentarius, prophetico Sp
ritu donatur. Hæc in veteri testamento. In nouo exem
meret

meretricis & latronis nobis proponuntur. Sic Petrus & Andreas piscatores, Iacobus & Ioannes, Ecclesiæ principes, luminaria mundi constituuntur. Paulus spirans minas in discipulos Domini, homo sceleratus, fit Apostolus & magister Gentium. Quis in hoc opere admirendo immensas diuinæ gratiæ opes nõ agnoscat? Veniamus ad beatum Matthæum, cuius hodie festum celebramus. Sedebat ad telonium, & publicanorum officia exercebat, qui vestigalia ab hominibus extorquebant magis quàm exigebant. Hoc munus infame erat, sic Saluator hominem profligatum ethnico & publicano comparauit. Hic non stabat, sed sedebat: fortasse indicat, quàm secura mente turpi lucro & officio operam dabat. Tres enim peccatorum gradus initio statim primi Psalmi interpretes obseruãt. Alij enim abeunt in viam peccatorum, alij stant, alij sedent. Hæc autem sessio magnam in prauis operibus animi securitatem designat. Matthæus nihil minus tunc temporis animo tractabat, quàm quod illi ex immensa Dei bonitate concessum est. Ex publicano, Domino vocante, factus est Apostolus: ex terrenorum bonorum dispensatore, arcanorũ cælestium doctor. Videmus his exemplis, salutem nostram, magnificentissimum diuinæ benignitatis opus esse: imò constat, non modò iustificationem nostram, qua prima gratia donatur: sed quicquid etiam post primam gratiam cum pietate agitur, diuinæ clementiæ munus esse. Quid igitur hinc sequitur? Primùm, vt quicumque iugum peccati excusserunt, qui salutem suam rebus omnibus anteferunt, nihil prius esse apud ipsos, quàm vt Deo velint adhærere & famulari. Nemo tamen certus est, vtrùm amore an odio sit dignus: sunt tamẽ non vulgaria argumenta, & magnam præbent piis consolationem, & incertissimam erigunt salutis spem. Hinc sequitur vera cordis humilitas, qua magnus hostis ab animo, hoc est, superbia eliminatur: qua superbus homo sic diuinis abutitur, quasi illa nõ à Deo, sed vel à fortuna vel à seipso recepetit. Deinde ab hoc fonte manat gratus in Deum animus, à quo videlicet, tanquam ab omnium bonorum fonte, vitam, salutem, vires, opes, & pia cuncta opera & desideria profecta esse cognoscit. Hinc prodeunt illæ voces: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Præterea hæc eadem Philosophia stimulos dilectioni erga Deum addit. Si enim (vt Eccles. ait) secundùm ligna siluæ ignis excitatur: quantus diuinæ dilectionis ignis in ea mente exardescit, quæ se

Luca 7.
Luca 23.
Act. 9.
Matthæus ex telonario factus Apostolus.
Matt. 18.
Peccatorũ gradus tres.
Eccl. 9.
Opera bona necessaria.
Psal. 112.
Eccles. 28.

tot diuinis beneficiis obſeſſam & penè obrutam videt, q
quocumque oculos conuerterit, nihil aliud quàm ingen
ſiluam, & innumera diuinorum beneficiorum ſigna cōte
platur! Quomodo enim non vitam ſuam eius obſeq
mancipabit, qui ſe ſolo eius beneficio & in lucem prodi
& viuere, & ſpirare intelligit? Ex hoc quoque fonte ma
vt homo ſupplicem ſe ac deuotum illi exhibeat, à quo,
Deus omnia largitur. ſibi deſunt bona, ſperare debet. Bona enim præterita,
poſſidet, ab illo manarũt: futura etiam, quibus eget, ma
non debent? Videmus quorum nos vocatio Matthæi ad
neat, ac cæterorum Apoſtolorum gratuita, quid doceat.
dimus vocantis Domini gratiam: iam vocati obedient
expendamus. Matthæus eam tacuit, Lucas expreſſit, dic
illum, relictis omnibus, ſecutum fuiſſe Dominum, hoc
reliquiſſe propria, qui fortè aliena rapere ſolebat. T
Obediẽtia Matthæi prompta. enim diuini Spiritus vi à Domino tractus eſt, tantóque
quendi illum deſiderio ac ardore flagrauit, vt non eum
cuniarum amor, quas habebat, non lucra quæ ſperabat,
reddendę rationis vectigalium cura, non hominum iud
non Phariſæorum obtrectationes, à ſequẽdo Chriſtum
terrere potuerint. Sed hîc fortaſſe cùm aliquis tanta al
tate hunc Publicanum videat vocanti Domino par
1. Tim. 1. quæret quid ſit in cauſa cùm Dominus, qui vult omnes
mines ſaluos fieri, omnes ad ſeſe inceſſanter vocet, alij
dem promptè & alacriter vocantem ſequantur, alij ve
qui renuant? Duo ſunt, quæ huic quæſtioni reſpõderi ſo
quorum alterum ad hominum, alterum ad diuinæ voca
nis & auxilij diſcrimen pertinet. Cùm enim omnes h
nes arbitrij libertate præditi ſint; quidã hac libertate
vtentes vocanti Domino conſentiunt, ſéque illi obſeq
& morigeros præbent: alij contrà ea abutentes, obedi
2. Cor. 6. nunt; qui in vacuum gratiam recipiunt. Quam rem
Auguſtin. Auguſtinus exemplo Pharaonis & Nabuchodonoſoris
firmat, quorum vterque à Deo vapulans, & plagis exci
Arbitriũ liberum in homine. alter durior effectus in mare mergitur, alter emendat
uocatur ad regnum: quia ille prauè, iſte rectè liberta
Geneſ. 19. & diuina vocatione vſus eſt. Sic in Sodomis Loth euaſ
riculum, generi autem eius, licèt & ipſi ab Angelo
per Loth admoniti, neglexerunt, & ideò perierunt. Ad
modum Dominus omnes homines à gehennæ incend
peccati morte liberare volens, vocat: quorum multi (vt
generi Loth) ſurgere nolũt. Quid enim aliud illa Salom

ve

verba indicant: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*, &c. Quibus verbis apertè indicatur, non minus à diuino lumine collustrari animas, quàm à radiis solis illuminari corpora. *Lux solis iustitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, nec minùs latè patet. Matthæus & cæteri Apostoli superabundanti auxilio, à Domino vocati sunt. Quod idem ipse Dominus testatur, cùm ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. hoc est, non meritis vestris, sed singulari electionis meæ gratia, huiustanti muneris amplitudine donati estis. Ex his quæ diximus, apertè liquet, cuius periculi sit à gratia excidere, & in lethale peccatum labi: præsertim si quis in eo diutiùs persistat. Sicut qui vires habet, quibus quinquaginta librarum pondus portare facilè possit, si huic pōderi noua onera adiicias, difficiliùs illud portare valeas: ita qui à recenti peccato (quod esset facilius) non surgit, quin potiùs noua peccatorum pondera veteribus adiungit, multò difficiliùs surget. Quid igitur hîc dicent, qui multos iam annos in peccati cœno volutantur? Peccatum plumbo comparatur. *Periculosum est à Dei gratia excidere, & perdurare in peccatis.* Ad sequentia veniamus. Sequitur enim, diuum Matthæum splendidum in domo sua conuiuium Domino apparasse. Quod quidem magnum alacritatis & lætitiæ, quam de conuersione sua conceperat, argumentum est. Legimus Herodem, qui infelicissimè natus est, natalis sui diem conuiuio magnifico celebrasse: at quanto iustiùs Matthæus Euangelista hunc vocationis suæ diem celebrauit, quo in nouam vitam, non corporis, sed animæ, diuina vocatione animatus est; vel certe à morte ad vitam excitatus, vt luxuriosus ille filius! Legimus Abraham Patriarcham magnum conuiuium fecisse, quo die Isaac ablactauit: at Matthæus animaduertens se à fallacibus mundi deliciis ablactatum, & ad cælestis gratiæ epulas inuitatū, à diaboli seruitute manumissum, & ad libertatem filiorum Dei translatum, conuiuium hoc multò splendidius apparauit: quo iam animi sui alacritatem & pium affectū testaretur. Cogita qua lætitia afficeretur homo, qui iam diu fuisset ligatus, & solueretur à Principe. Hoc & D. Augustinus expertus dixit: *Quàm suaue mihi subitò factum est, carere suauitatibus nugarum; & quas amittere metus erat, tunc dimittere gaudium fuit.* Eandem etiam lætitiam nobis repræsentat Eunuchus ille Candacis Reginæ, à Philippo baptizatus: *Ibat*, inquit Lucas, *per*

Prou. 1. *Ioan. 1.* *Simile.* *Ioan. 15.* *Simile.* *Peccatum plumbo simile.* *Zachar. 5.* *Marc. 7.* *Genes. 21.* *Simile.* *Augustin. in Conf.* *Act. 8.*

viam ſuam gaudens. Eandem quoque hodie lætitiam Ma-
thæus noſter facilè oſtendit, cùm hoc tam magnificũ Do-
mino epulum cæteríſque amicis & Publicanis, præparau-
Hoc enim perinde aſt, ac ſi cum bono illo & ſolicito paſto-
Lucæ 15. diceret: *Congratulamini mihi, quia inueni non ouem qu-*
perdideram, ſed meipſum qui perieram. Eadem alacritas
fecit, vt Matthæus omnes alios ad Chriſtum adducere,
Amor terrenorũ & cæleſtium. felicitatis ſuæ participes efficere voluerit. Hoc enim in-
cæleſtium & terrenorum bonorum amorẽ diſtat, quòd t-
renorum amor, quanto eſt maior, tanto magis reconden-
ſeruare ſibi ſtudet ea quæ amat: cæleſtium verò amor, q-
maior eſt, eò magis cõmunicare omnibus ſtudet quod i-
Auguſtin. diligit. Hinc diuus Auguſtinus: *Vbi,* inquit, *guſtaueram D-*
mine lumen tuum, frendebam quòd aliis indicare non p-
ſem: hoc eſt, quò magis gratiæ tuæ opibus fruebar, eò ar-
tiùs cæteros ad eas inuitare ſitiebam: eorum videlicet ſo-
tem miſeratus, qui tantorum bonorum extorres eſſent. N-
Piorũ votum quale. diuus Auguſtinus modò, ſed quicumque his deliciis atq-
opibus fruuntur, quicumque torrẽte diuinæ voluptatis p-
tantur, adeò ſitienter hæc eadẽ cæleſtia dona cæteris co-
municare appetũt, vt, ſi fieri poſſet, per publicas vias & p-
teas ingredi, & ad cunctos mortales vociferari vellent: O-
lij Adam, quid facitis? quid quæritis? cur voſipſos vano-
bore conficitis? cur veræ felicitatis fonte relicto, per lacu-
putidas & peſtilentes, quæ ſitim veſtram non exſtingu-
ſed acuere poſſunt, deerratis? O quas delicias, ô quas diu-
gratiæ opes, quæ vobis ad manum & in promptu ſunt p-
tæ, ad quas à Deo ficti & informati eſtis, amittitis! *Conu-*
Prouer. 1. *timini,* inquit diuina ſapientia, *ad correptionem meam.* H-
ſpiritu, hoc eodem affectu ſanctus Matthæus Publicano-
amicos adduxit ad Dominũ, vt eius diuino eloquio & c-
uictu ineſcati, relictis terrenis cupiditatibus & ludis, e-
dem Dominum exemplo ſuo ſequerentur, eiuſdémque f-
citatis & gratiæ participes fierent. Hoc eſt autem quo-
Amor diuinus quid ſacrat. Apocalyp. Dominus præcipit, cùm ait: *Qui audit, dicat,*
ni. Hoc item quod ipſe in tabernaculi fabrica deſignau-
eius cortinas ſic inter ſeſe colligari præcepit, vt cortina c-
tinam traheret. Hoc autem in Eccleſia fit, cùm is qui diu-
amore incenſus eſt, alios incendere & ad Chriſtum trah-
contendit. Sed cùm Matthæi laudes perſequimur, Dom-
laudum obliuiſci non debemus. Quis enim hanc tantã D-
mini humilitatem cum ſumma charitate coniunctam ſ-
mi-

mirari queat? Dominus Angelorum Rex, conditor noster, ita sese demisit nostrę salutis gratia, vt non solùm terras inuisere & cum hominibus versari, sed etiã inter Publicanos & sordidos atque infames, ad mensam accumbere, aut cibum vnà capere, miscere colloquia non erubuerit, vt ipsos lucrifaceret. O quàm verè te medicum hoc in loco appellasti, Domine! Medici est, non inter sanos, qui medico non egent: sed inter ægrotos versari, vulnerum saniem non abhorrere. Indignum vobis, ô Pharisæi, videtur, quòd se Dominus ad Publicanorum conuiuia deiecerit. Magis Dominus de bonitatis suæ magnitudine, quàm de potentiæ viribus gloriatur. Bonitatis verò proprium est, omnes alios bonos, id est, sui similes efficere. Nemo tamen ex hoc loco ansam arripiat cum prauis hominibus versandi. Aliud enim perfectis, aliud imperfectis: aliud in virtute cõfirmatis, aliud infirmis conuenit. Ad hos autem Apostolus, *Scripsi*, ait, *vobis in epistola, non commisceri fornicariis, non dico fornicariis huius mundi*, &c. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.* & : *Modicum fermentum totam massam corrumpit. Qui tangit picem*, ait Sapiens, *inquinabitur ab ea.* Vnde liquet, facilius esse, bonos malorum consortio corrumpi, quàm malos bonorum societate meliores fieri. Virtus enim huiusmodi est, vt eam homines non nisi summo labore adipisci queant: quemadmodum nec humida materia ignem facilè concipere solet: contrà verò, ad vitiorum sordes omnes ferè mortales promptos propensósque esse, non secus, vt opinor, ac stipula ad ignem ob naturæ siccitatem facilè accenditur atque consumitur. Citiùs enim exignum vitium vberrimè largissiméque cuiquam impartiri queat, quàm vel copiosissima virtus parcè communicari. Nam & exiguum absinthium amarorem suum melli celerrimè impartierit: mel contrà nec duplo quidem maius dulcedinem suam absinthio infuderit. Hæc ad imperfectorum hominum doctrinam prudenter admonita sunt: cùm viris tamen perfectis, qui cautè se gerunt, magis aliquid ex malorum contubernio accedat, quàm solis radiis ex immũdissimarum rerum contactu, quas quotidie attingunt.

Christus medicus.

1. Cor. 15.

Eccle. 13.

Virtus studio & labore acquiritur.

Simile.

Pharisæi autem, personarum discrimina ignorantes, incognita causa sententiam aduersus Dominum pronunciarunt; vnde ad eius discipulos aiunt: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Mos est eorũ qui vel ambitionis vel inuidiæ morbo laborant, virtutibus, quas in

Inuidorum mos.

aliis vident,& quibus ipsi carent, indigna vitiorum nomi imponere; vt ipsi quidem non virtutibus illis carere,sed illis vitiis se immunes esse ostẽtẽt: sic igitur Pharisæi,cu non essent ea humilitate & charitate præditi, vt se ad hui modi contubernia,propter infirmorum salutem, demitte (quòd ea res eorum existimationi officere videretur) harum virtutum laudibus inferiores Domino apparere virtutibus eius turpia nomina imposuerunt: quo ipsi n his virtutibus carere, sed magis ab hoc crimine alieni censerentur. Sic videmus illos qui vix vnquam ad diu sacramenta, nisi fortè coacti, accedunt, eos insectari atq mordere,qui illa deuotiùs frequentant. Cùm enim religi nis & officij huius commendatio in eorum dedecus ced qui eà carent; illi contrà non quidem virtutis, sed teme tatis & audaciæ religioni nomen imponunt, vt ita demù ipsi non parum religiosi, sed minimè audaces & temera esse iudicentur. Cæterùm Dominus nihil hac improbor obtrectatione commotus, appositissima similitudine c lumniam elusit. *Non est*,inquit,*opus valentibus medicus*, *malè habentibus. Euntes autẽ discite*,&c. Sententia sanè D digna, quæ maximam eius in genus humanum bonitat & charitatem declarat. Sacrificiorum religio pertinet Dei gloriam, misericordia verò ad leuandas hominum m serias. Vide quanta Dei charitas, quæ sui quodammo oblita, ad hominum miserias subleuandas intentos nos e vult; imò verò opus hoc sacrificij nomine donat. Sic Ap stolus ait: *Beneficentiæ & communionis nolite obliui talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sacrificium mis ricordiæ ex natura sua Deo gratum est: vitulorum aute mactatio, nisi religionis virtute condiatur, nihil habet q Deo,solius virtutis amatori,grata sit. Sicut aquilam feru pullorum suorum generositate ad solis radios explorat quos oculis inconniuentibus solis splendorem sustinere vi derit,tanquam legitimos filios,sibique similes,diligere at nutrire; cæteros autem tanquam nothos, suique dissimile à nido abigere: ita summus ille misericordiarum Pater extremo iudicio misericordes homines,hoc est,paternæ m sericordiæ sectatores,intra sinum gloriæ suæ amanter exc piet; crudeles autem & immisericordes procul à conspec & complexu suo præcipites in tartara dabit.

Sacrificia & misericordia quid efficiant.

Hebr. 13.

Caietanus.

Simile.

Misericordia opera duplicia.

Cùm autem duplicia esse cõstet misericordiæ opera,quo rum quædam ad corporum,quædam ad animarum salute

spectan

ſpectant (& hæc quidem tantò ſint illis nobiliora, quantò anima corpori, & ſpiritualia bona corporeis præſtant) ſanctus Mattheus harum præcipuè ſtudio omnem vitam ſuam dicauit. Quod enim aliud munus Apoſtolo & Euangeliſtæ propoſitum eſt, quàm omnia vitæ ſtudia ſaluti animarum impendere, & pro illis, cùm opus ita fuerit, vitam ipſam & ſanguinem fundere? Vtrumq; autem beatus Matthæus præſtitit. Huic inter ſancta illa animalia, de quibus agit Ezechiel, hominis facies tribuitur, propterea quòd ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti opera atq; myſteria luculẽtiſſimè perſecutus eſt. Ipſe poſt reſurrectionem Chriſti in Æthiopiam profectus eſt (quæ illi prouincia in diuiſione orbis terrarum obtigerat) immanes & barbaras nationes ad fidei & pietatis cultum doctrina & miraculis adduxit: & regio puero è morte ad vitam reuocato, Regem patrem cum vxore, & totam prouinciã ad fidem Chriſti cõuertit. Sed Rege hoc defuncto, Hirtacus quidam regnum obtinuit: qui Iphigeniam prioris Regis filiam ſibi vxorẽ optabat: Matthæus verò (quo auctore virginitatem illa vouerat) vt in ſancto virginitatis propoſito perſiſteret, eandem hortabatur. Hirtacus igitur, moleſtiſſimè ferens Iphigeniæ virginitatẽ conſtanter ſuis votis obſiſtentẽ, Matthæum (quem eius conſilij auctorẽ eſſe nouerat) ad altare ſacra facientẽ, gladio confodi iuſſit. Atque ita beatus Matthæus & Apoſtoli & Euangeliſtæ martyriſq; coronam adeptus eſt. Cuius ſempiternæ felicitatis, Chriſtus Dominus participes nos efficere dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Ezech. 2. *Matthæi vita.* *Virginitatis propoſitum.*

MAtthæus Publicanus, cui & Leui nomen fuit, Alphæi fuit filius. Is primùm ex communi diſcipulorum numero fuit, deinde ex eo à Chriſto ad Apoſtolicam dignitatem honorémque euectus. Cùm Publicanorum munus exſequeretur, eum Chriſtus, vt ſe ſectaretur, hortatus eſt: quod ille non grauatè illicò fecit. Matthæus ex quo Chriſtum ſecutus eſt, nunquam ab illo diſceſſit, ſed ſe teſtem ac ſpectatorem eius miraculorum, totius etiam vitæ imitatorem, ſocium itineris ac laborum, curarum, angorum participem fecit voluntarium. Hæc ei cum cæteris communia fuere. Hic primus in Iudæa, propter eos qui crediderant ex circuncisione, Euangelium Chriſti Hebraicis literis verbiſque compoſuit. Quod quis poſteà in Græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt.

Marc. 2. *Luca 5.* *Matth. 4.*

IN FESTO BEATI MICHAELIS ARCHANGELI, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur: & quæ ad Angelorum pertineant naturam, edocetur.

THEMA. *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Matth. 18.

SOLENT, qui de nauigandi ratione scribunt, vadosa loca & scopulos præcipuè, qui sub vndi[s] latent, diligenter annotare, & in charta descri[-]bere, vt ab illis nautæ naues submoueant. Cùm autem hæc ipsa vita quam viuimus, nauigatio quædam sit, qua ad optatum sempiternæ vitæ portum (ad quem *Vita nostra nauigatio.* conditi à Deo sumus) nauigationis cursum dirigimus: ne[-]cesse est, vt nos quoque vadosa loca & vitiorum scopulos sub virtutis imagine latentes, solicitè describamus, ne a[d] eos innocentiæ nauem illidamus, & iustitiæ atque piet[a-]tis naufragium faciamus. Inter omnes autem huiusmo[di] scopulos nullus perniciosior, nullus occultior, quàm sup[er-]bia est, quam & maximum & occultissimũ omnium vitio[-]rum esse dicimus. Quod qui non credit, in summum illu[m] Angelum, quem S. Michaël ex summa cęli arce in tartaru[m] præcipitauit, oculos coniiciat: quem diuus Dionysius vnu[m] *Superbia maximum malum.* quidem ex summi cæli principibus, diuus Gregorius Ang[e-]lorum omnium principem esse ait. Hic omnium ruinaru[m] & malorum fons fuit. Verissimè à Salomone dictũ est: *Con[-]* *Prou. 16.* *tritionem præcedit superbia.* Et: *Ante ruinam exaltabitu[r]* *Hæreses vnde oriantur.* *spiritus.* Vnde enim hæreses omnes, vnde schismata, vnd[e] etiam carnis lapsus, in quos, qui virtutem sectabantur, in[-]ciderunt, nisi ab hoc fonte manarunt? De hoc superbiæ ma[-]ximo periculo, quod in hoc vitæ pelago nauigaturis imm[i-]net, agere studeamus. Ad quod & Euangelica lectio (in q[ua] Dominus occultam discipulorum superbiam curare volui[t]) & sancti Michaëlis festum nos etiam adigit: cuius illud me[-]morabile facinus celebratur, quòd superbientes aduersu[s] *Peccatorũ genera tria.* Deum Angelos, è cælestis regni sedibus præcipitauerit. Tri[a] sunt præcipua peccatorũ genera: scilicet ira, quæ hominem sibi eripit: inuidia proximũ: at superbia his multò grauio[r] Deum ab homine alienat: quia cùm debitum illi honore[m]

& g[l]

& gloriam surripiat, de gloriæ possessione atque primatu aduersus illum contendit. Antiquus hostis, qui propter superbiam ex Angelo dæmon, atque ex felicissimo infelicissimus factus est, venenum, quo ipse interiit, hominibus propinare cōtendit, vt illi similiter intereant. Hoc morbo & discipuli laborarunt, & de regni cælorum primatu sæpe contenderunt. Hinc discipulorum duorum contentio, hinc & Petri inuidentia, pro quo Dominus soluit, & non pro aliis, didrachmam. Videre hîc licet, quales eos Dominus acceperit, quales Spiritu superueniente reddiderit: vt hac ratione, quid natura, quid gratia posset, quid sibi, quid Deo tribuendum esset, agnoscerent: in seipsos humiles, erga Deum grati exsisterent.

Sapien. 2. *Lucæ 11.* *Matt. 21.* *Matt. 17.*

AVE MARIA.

Accedentes ad magistrum discipuli, ab eo quærunt quis maior esset in regno cælorum. Huic autem interrogationi noua quadam & insolita docēdi ratione, Dominus respondit: *Aduocans enim paruulū, statuit eum in medio eorum, & ait, Amen dico vobis*, &c. Vtrobique Dominus diuersam ab effectibus carnis nostræ viam elegit. Cùm discipuli consessum ad dexteram & sinistram eius peterent, passionis calicem illis proposuit: cùm verò primatum regni cælorum in præsenti lectione ambirent, infimam illis humilitatis viam, qua ad regnū peruenitur, ostendit. Sic sapiens & fidelis animarum medicus, non quid æger animus cupiat, sed quid ei potissimùm expediat, præscribit. Itaque ait: *Vos de primatu & sublimi sede contenditis, ego autem asseueranter prædico vobis, nisi efficiamini sicut paruuli*, non modò cælestis regni primatum non assecuturos, sed nullum prorsus in eo regno locum vos habituros. Vos item de terreni regni gloria quæstionem proponitis, ego ad cælestis regni gloriam, quæ vera & sempiterna est, vos reuoco. Quam si adipisci desideratis, hac lege vobis illam cōparare debetis. *Nisi enim cōuersi fueritis*, &c. Mos erat Prophetis olim, vt, cū aliquid audientium animis altiùs infigere vellent (quoniam nuda verba exigi...um ad hoc vim habere videbātur) earumdem rerum imagines verbis addere studerent: vt auditorū oculis conspiciendum subiicerent, quod verba minùs apertè significabant. Sic Esaias ex Domini præcepto nudus in medio populi ambulauit, vt Hierosolymitani regni vastitatem

Matt. 22. *Gloria via qua vera.* *Esaiæ 20.*

tem & populationem propter peccata populi futuram de-
Hiere. 19. nunciaret. Sic Hieremias catenas collo circumpositas baiu-
lare, & laguncułas præsente populo confringere pręcipitur,
vt eiusdem populi captiuitatem & vrbis excidium prænun-
Ezech. 22. ciaret. Sic Ezechiel parietem noctu perfodere, per eũ egre-
di, & pilos abscissos per aëra spargere, & gladium post eos
euaginare iubetur: quo eiusdem populi fugam, & futuram
eius dispersionem hac rerum imagine ipsi ante oculos po-
neret. Ad hunc ergo modum Saluator, qui tam multis anteà
documentis humilitatis virtutẽ commẽdauerat, nunc nouo
quodam exemplo non verbis solùm, sed expressa quadam
eius effigie commẽdat. Aduocatum enim paruulum statuit
Esaiæ 55. in medio discipulorum. Rectè dictum: *Sicut exaltantur cæli
à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitatio-
nes meæ à cogitationibus vestris.* O quàm dissimiles diuini
Spiritus & humani cordis affectus sunt! Isti nihil nisi subli-
me, excelsum, & honorificum cogitant: illi nihil nisi humile
& abiectum. Qua ratione conuerti possumus, & effici sicut
1. Petr. 2. paruuli, hoc nos Petrus Apost. docet, cùm ait: *Quasi modo ge-
niti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite.* Pau-
lus item: *Nolite*, inquit, *pueri effici sensibus, sed malitia par-
1. Cor. 14. uuli estote.* Iubemur ergo puerili ignorantia prætermissa,
candidos puerorũ mores non pueriliter, sed prudẽter æmu-
Puerorum mores. lari. Pueri enim primùm, vt nomen præ se ferre videtur, puri
sunt, simplices, innocentes, humiles, & maiorũ imperio pa-
rentes. Pueri facilè placantur, citò ignoscunt, & iracundiam
aut odium diu non retinent: non de sublimiori loco digla-
diantur, non factionibus student, non malè de aliis aut iu-
dicant, aut loquuntur: denique malitia omnis à puerili sim-
plicitate abest. Hanc ergo puerorum simplicitatem & inno-
centiam in moribus nostris cęlestis magister referre nos &
imitari iubet. Præcipuè proponit humilitatẽ, quæ est alia-
rum virtutum & fundamentum & regina, si ad virtutũ cul-
men peruenire volumus. Humilibus Deus dat gratiã: ergo
Bernardus epist. & castitatem & charitatem: superbis Deus resistit. Non re-
quiescit Spiritus, nisi super quietum & humilem. Hæc præ-
bet securitatem inter innumeros & diaboli laqueos & insi-
dias. Numquam enim verè humilem amator paruulorum
Dominus labi permittit. Quod intelligens Dauid Rex, ad
huius virtutis præsidiũ, velut ad sacram anchoram confu-
Psal. 114. giens, aiebat: *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus
sum, & liberauit me.* Vide quam vocem audierit sancta

Antonius, cùm videret mundũ plenum laqueis, & mirare- *Antonius quam audiuit vocẽ.*
tur quis euadere eos posset: *Antoni*, ait, *sola humilitas*. Spi-
ritualia vasa, quæ superbiæ vento inflata sunt, ignominia
oblata crepant: non crepant autem quæ hoc superbiæ vento
carent. Qui Regis gratiam expetũt, ea solent diligenter in- *Simile.*
dagare, quæ ipsi præcipuè iucunda sunt: ita qui gratiam Dei
supra omnia expetendam iudicant, quo illum in officio de-
mereantur, studiosè inquirunt. Hanc gratiam non posuit in
adscensu, sed in descẽsu. Quo nomine diuus Bernardus gra- *Bernard.*
uiter aduersus hominum superbiã incandescit, quòd, cùm
descẽdere sit facillimum, difficillimum autem adscendere:
ipsi tamen malint cum labore & periculo adscendere, quàm
cum maximo suo fructu, parique facilitate descendere. *Ex-
celsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* *Psal. 137.*
Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Quid *Eccles. 7.*
superbit terra & cinis? Oportet autem & assiduum oratio- *Eccl. 20.*
nis studium adiungere, qua continenter altissimam humi-
litatis virtutem à Domino crebris gemitibus & desideriis
postulamus. Hoc est autem quod pręcipuè in hodierna san-
cti Euangelij lectione cælestis magister docet; quare dili-
genter debuit nobis inculcari. Quisquis ergo superbiæ in- *Superbia abiicięda.*
commoda omnia diligenter considerauerit, facilè omnem
à se animi elationem atque fastum excutiet, & ita demùm
insignem illam humilitatis virtutem assequetur, qua in-
star paruuli effectus, in regno cælorum magnus fiat. Sed iam
quid de hoc paruulo, quem descripsimus, Dominus dicat,
videamus: *Qui*, inquit, *susceperit vnum paruulum talem in
nomine meo, me suscipit.* Magnum sanè pręmium, & quo nul- *Suscipere quid designet.*
lum maius: quia tali hospite nihil maius. Quo in loco su-
scipiendi verbum non tantùm sonat hospitio excipere, sed
quoduis etiam benignitatis obsequiũ exhibere. Hoc enim
sensu Apostolus dixit: *Suscipite inuicem, sicut & Christus* *Rom. 13.*
suscepit vos: hoc est, adiuuate vos inuicem, mutuisque offi-
ciis fouete. Non te pigeat laboris, cõsoletur autem merces.
Vt autem officiosis in hos paruulos inæstimabile proponi-
tur præmium: ita scandalum inferentibus, maximum Do-
minus minatur suppliciũ. Subdit protinus, *Qui autem scan-
dalizauerit vnũ ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei vt
suspendatur mola asinaria in collo eius.* Videamus primũ quid
scandalum sit. Scandalum Latinis offendiculum est, quod *Scãdalum quid sit.*
incautè gradientibus lapsus & ruinæ causa existere so-
let. Hoc si à corpore ad animum transferamus, scandalum

erit,

Psal. 148. erit, quod Propheta dicit: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Quicumque enim aut verbis aut prauis etiam exemplis alteri occasionem præbet ruinæ, vtique scandalum siue offendiculum in via ponere dicitur. Sic parentes malè agentes, filiis suis præbent offendicula. Qui simplicium irrident pietatem, scandalum dant. Si quis virginem seducere promissis: item si quæ puella leuitate sua alios prouocare ad libidinem conatur, scandalum facit. Dominus qua charitate huiusmodi paruulos cõplectatur, apertè his verbis indicat, cùm & iuuantibus maximum præmium: & nocentibus, siue scandalum inferentibus maximum minetur supplicium. Videmus paruulorum tum dignitatem, tum & immensam Domini bonitatem. De scandalo vide: *Si esca scandalizat fratrem meum,* &c. *Expedit vt mola asinaria,* &c. His verbis supplicij genus peculiare Palæstinis designauit, quod ob enormia crimina solebat exigi. Suspendebatur enim collo noxij saxum molare, & demergebatur in profundum. Satis erat hæc tanta supplicij acerbitas ad criminis huius grauitatem exaggerandam: verùm addit supplicio Dominus exclamationem, interni doloris indicem, cùm ait: *Væ mundo à scandalis. Væ,* maledictionem & damnationem significat. Est ergo sensus: *Væ*, id est, maledictio ipsi mundo propter scandala, quibus est plenus, cùm totus sit in maligno positus, *Necesse est vt veniant scandala.* Hæc autem à Theologis necessitas consequentiæ, non consequẽtis esse dicitur. Nec enim absolutè necesse est, vt scandala veniant: sed cùm tot in mundo sint causæ malorũ, consequens est, vt ex his mala & scandala oriantur. Nec tamen malis impune erit, quòd necesse sit venire scandala, cùm hi instrumenta sint Satanæ, qui egregiam illi operam nauant, eiusdem negotium & officium gerunt. Cuius autem grauitatis hoc peccatum sit, ex animarum pretio, quod Christi sanguis est, æstimari poterit. Si enim aurum est, quod auro emitur, sanguis vtique Christi erit, quod eius sanguine redemptum est. Hunc autem effundunt atque conculcant, qui prauis monitis & exemplis fidelium animas corrumpunt. Quo quidẽ peccati genere multò grauiùs delinquunt principes, siue in Ecclesia, siue in Republica, viri: tum quia eorum praua opera magis cõspicua sunt, tum quia honorem & dignitatem vitiis dignitatis suæ auctoritate præbent. Nemo enim inglorium sibi esse putat id facere, quod sublimes in Repub. viros facere constat: ita fit, vt ij plus exemplo quàm

Scãdalum q. faciunt.

1. Corin. 8.

Hieronym.

Væ, maledictio.

Principum peccata grauia.

peccato noceant. Humana cadauera (id eſt, priuati homines) *Simile.*
nemini nocent; inhumata verò (id eſt, præſides) putredine
ſua aërem inficiunt, & peſtem hominibus afferunt. Adau-
get autem Dominus criminis huius grauitatem, cùm ſub-
dit: *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcin-
de eum, & proÿce abs te.* Eſt hæc adhortatio ab vtili & com-
modo conſeruandi vniuerſi. Vbi enim totus homo pericli-
tatur, præſtabilius eſt, vnius membri iactura totius reliqui
corporis ſalutem redimere, quàm ſeruato membro luxato &
putreſcente, totius corporis ſalutem in diſcrimen coniicere.
Si quis viperam è manu pendentem non excuteret, præſens
eſſet periculum. Pedum & manuum nomine coniunctiſſi *Amici qui*
mos nobis homines & neceſſarios etiam, qui nobis pro pe- *fugiendi.*
dibus & manibus ſunt, accipere debemus: quorum ſi con-
ſuetudo, ſi familiaritas, ſi dicta factáve illorum ita mentem
noſtram perturbant, vt vel nos à ſtudio rerum diuinarum,
vel ab amore in Deum auocent, vel ad inhoneſta rapiant,
gladio diuini timoris abſcindendi atque repellendi ſunt. Hic
eſt enim ſpiritualis ille gladius, de quo Saluator ait: *Non ve-* *Matt. 10.*
ni pacem mittere, ſed gladium. Non contentus autem pe-
dum manuúmve abſciſſione, oculum etiam effodiendum
docet, cùm ſubdit: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &* *Ocul⁹ quis*
proÿce abs te. Hæc ſententia ad ſpiritualem oculum referri *eruendus.*
debet. Corpus magno ſtudio, vt ſit incolume, curatur: quanto
ergo ſtudio animæ ſalus & vita conſeruanda eſt! A ſcandali
crimine vehementer nos Dominus reuocat, cùm dicit: *Vi-
dete ne cõtemnatis vnũ ex his puſillis*, &c. Hactenus à peccato
ſcandali nos Dominus propoſita periculi noſtri magnitudi-
ne deterruit; nunc paruulorum dignitate expoſita, à quouis
peccandi genere animum noſtrum reuocat, quòd ſcilicet
Angeli, quorum tutelę commiſſi ſunt, cæleſtis Patris faciem
(quæ ſumma eorum gloria eſt) perpetuò videant. *Magna* (in *Hieronym.*
quit D. Hieronym.) *profectò dignitas animarum, vt vnaqua-
que ab exordio natiuitatis ſuæ Angelum habeat delegatum.* *Angelus*
Sic etiam Gloſſa hoc loco: *Vnicuique*, ait, *noſtrûm adeſt An-* *nobis adeſt.*
*gelus, qui regat, qui moneat, qui pro actibus noſtris corrigen-
dis, & miſerationibus impetrandis, quotidie Dei faciem vi-
deat.* Hanc tantam hominis dignitatem, ſacræ nos docent
& manifeſtant literæ. Apoſtolus vocat Angelos miniſtrato- *Hebr. 1.*
rios ſpiritus, qui in miniſterium eorum deſtinati ſunt, qui
ſalui fiunt. Quos nos tutelares Angelos appellamus (hos *Philoſophi*
Catholica & Euangelica fides aſſerit ad cuſtodiam noſtri *cõfitentur Angelos.*

destinatos)Philosophi, nescio quo spiritu acti, sub inferiorum deorum nomine ad idem munus deputatos confitentur. Hi verò Angeli magna cura munus suum obeunt, non iustos modò, sed iniustos etiam suæ fidei commissos custodientes: quoniam diuinæ prædestinationis arcanum illis prorsus incognitum est. Ignorant enim, vtrùm etiam improbi sint prædestinati. Quid enim non custodiant, qui videant publicanũ cooptari in Euangelistam, & Ecclesiæ persecutorem in Doctorem Gentium? Quid autem nobis præ-
Exod. 23. stent Angeli, Dominus declarat his verbis: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat & custodiat te in via, & introducat in locum quem præparaui tibi.* Qua in re singularem diuinæ prouidentiæ curam licet admirari; quam Ecclesiast.
Ecclef. 42. insinuauit his verbis: *Omnia duplicia: vnum contra vnum, & non fecit quidquam deesse.* Quia enim multa in rebus côditis erant, quæ nobis nocerẽt, decuit vt multa etiam illis aduersa & inimica essent, quæ nos tuerẽtur, & illorum vim reprimerent. Ad hunc ergo modum, quia quàmdiu in hoc corpore militamus, non desunt spiritus nequam, qui sint ad malum
Angelorũ officium. incentores; non desunt etiam Angeli, qui sint ad bonũ hortatores; qui videlicet nos præcedant, hoc est, qui lucem nobis ad veritatis cognitionẽ præferant, qui viam qua itur in cælum, monstrent, qui ab hostibus tueantur, qui à sceleribus auocẽt, & ad honesta semper inducant Sicut ergo illi semper mala suggerunt, ita contrà isti semper honesta suadent. Ad
Psal. 118. eorũ suggestiones dic cum Propheta: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Bonis enim cogitationibus & verbis gaudent Angeli, impuris immũdi spiritus
In Vitis Patrum Exemplũ. pascuntur. In Vitis Patrum legimus, sanctũ quendam virum inter colloquentes monachos vidisse Angelos ibidem adstantes; quibus paulò pòst abscedẽtibus, magnum porcorum gregem inter eos volutari conspexit. Quam rem vehementer admirans, & causam diligenter inquirens, deprehendit eos initio quidem de spiritualibus atque diuinis rebus inter se colloquia miscere cœpisse, deinde verò linguæ lapsu ad vana colloquia sermonem conuertisse. Sunt prætereà iidem spiritus non modò mentis nostræ monitores, sed etiam ani-
Luc. 16. marum nostrarum in cælum portitores. Hoc enim de mendico Lazaro Dominus ait. Magnum certè solatium, quod in hora mortis cuiusque nostrûm eueniet. Hæc enim dies de
Gregorius. tota vita nostra, imò de tota ęternitate sententiam fert: quoniam (vt D. Gregorius ait) post supremum illud examen homo

XV. ORATIONES
De Passione Domini S. Birgittæ Viduæ Reginæ Sueciæ.

Oratio 1.

O IESV Christe æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium, & omne desiderium, Salus & Amator peccatorum, qui delitias tuas testatus es esse cum filijs hominum, propter hominem homo factus in fine temporum, memento omnis premeditationis & intimi mœroris, quem in humano corpore sustinuisti instante saluberrimæ Passionis tuæ tempore in divino corpode præordinato: Memento Tristitiæ, & amaritudinis, quam in anima, (te ipso testante) habuisti, quando in ultima cœna discipulis tuis, corpus & sanguinem tuum tradidisti, pedes eorum lavisti, & dulciter eos osculando, imminentem Passionem prædixisti. Memento omnis timoris, angustiæ & doloris, quem in tuo corpore delicato ante Passionem crucis tuę pertulisti, quãdo post trinam orationem & sanguineum Sudorem, â Iuda Discipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, â falsis testibus accusabaris, â tribus Iudicibus injustè judicabaris, in electa civitate, in Paschali tempore, in florida corporis juventute innocenter damnabaris, veste propria exuebaris, & vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis, & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, Spinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innumerabilibus alijs calumnijs lacerabaris. Da Domine DEVS mihi, quæso ob memoriam harũ ante crucem tuam passionum, veram ante mortem meam contritionem, veram confessionem, dignam Satisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remissionem. Amen. Pater noster, Ave, &c.

Oratio 2.

O IESV, mundi fabricator quẽ nulla dimensio vero in termino metitur, qui terrã palmo concludis: recordare amarissimi doloris quem sustinebas, quũ Iudæi sanctissimas man⁹ tuas obtusis clavis primo affixerunt, & ad perforandũ delicatissimos pedes tuos (cum non esses conveniens voluntati eorũ) dolorem super dolorem vulnerib⁹ tuis addiderunt, & sic crudeliter te distraxerunt & extenderunt in longũ & latum crucis tuæ, ut dissolverentur compages membrorum tuorum, Deprecor te per hujusmodi, sacratissimi, amarissimiq; in cruce doloris memoriã, ut des mihi timorem & amorem tuum. Amen. Pater noster. Ave, &c.

Oratio 3.

O IESV, cælestis Medice, recordare languoris, livoris & doloris, quos in alto crucis patibulo levatus, passus es in omnib⁹ dilaceratis membris tuis, quorum nullum in statu suo rectè permanserat, ita, ut

[...]nius dolor similis tuo dolori inveniretur, quia à planta pedis usque ad verticem capitis in te non fuit sanitas. Et tamen omniū dolorū immemor, Patrem pro inimicis piè exorâsti dicens. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Per hanc misericordiam, & memoriam illius doloris, concede ut hec memoria Passionis tuæ amarissimæ sit omnium peccatorum meorum plena remissio. Amen. Pater noster, Ave Maria.

Oratio 4.

O IESV, vera libertas Angelorū, paradisus delitiarum: memento mœroris & horroris, quos sustinebas, cùm omnes inimici tui, quasi leones ferocissimi te circumsteterunt & colaphizationib⁹, consputionibus, ungulationibus cæterisque pœnis inauditis te molestaveruut. Per has pœnas & per omnia contumeliosa verba, durissimaq; tormenta quibus te Domine Iesu Christe omnes inimici tui afflixerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnib⁹ inimicis meis, visibilibus & invisibilibus, & dones me, sub umbra alarum tuarum ad perfectionem salutis æternę pervenire. Amen. Pater noster, Ave Maria.

Oratio 5.

O IESV, speculum claritatis æternæ, memento illi⁹ mœroris, quē habuisti, quando in speculo serenissimæ majestatis tuæ conspexisti prædestinationem electorum per merita tuæ Passionis salvandorū: & reprobationē malorū per sua demerita damnandorum, & per abyssum miserationis tuæ, qua nobis perditis peccatoribus & desperatis tunc condoluisti, & quā latroni in cruce exhibuisti dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Rogo te pie Iesu, facias mecum misericordiam in hora mortis meæ. Amen. Pater noster, Ave Maria.

Oratio 6.

O IESV, Rex amabilis, & amice totus desiderabilis, memento illius mœroris, quē habuisti, quando nudus & miserabilis in cruce pependisti, & omnes amici, & noti tui adversum te steterunt, & nullum consolantē inveniebas, sed solam dilectam Genitricem tuam, in amaritudine animæ suæ, tibi fidelissime astantem, quàm discipulo tuo commendâsti, dicens: Mulier ecce filius tuus: Rogo te pie Iesu per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertransivit, ut compatiaris in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis, corporalibus & spiritualibus, & des mihi consolationē in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ. Amē. Pater noster, Ave.

Oratio 7.

O IESV, fons inexhaustæ pietatis, qui ex intimo affectu in cruce dixisti: Sitio (scil. salutem generis humani) accende quæsumus cordium nostrorum desideria ad omne opus perfectū, & sitim carnalis concupiscentiæ & æstum mundanæ delectationis in nobis penit⁹ refrigera, & extingue. Amen. Pater noster, Ave Maria.

mo inueniet, quod in æternum mutare non poterit. De fida Angelorum custodia ait Regius vates, vbi dicit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* *Psalm. 35.* Vidit hoc planè puer Elisæi, cùm totum montẽ igneis curribus plenum in circuitu Elisæi demiratus est. *4. Reg. 6.* Aduersarius quidẽ noster est leo rugiens, cui tamen Dominus per Angelos resistit. Sic leo ille, qui stetit iuxta corpus Prophetæ interfecti, hoc ipsum declarauit. Hic enim esuriẽs, neque corpori neque asino nocere potuit. *1. Reg. 13.* Diligentiùs tamen Angeli piorũ animas à peccato, quàm à morte corpora seruant. Testatur hoc illustris illa femina Iudith: *Viuit* (inquit, habens caput Holofernis in manu) *ipse Dominus, quia custodiuit me Angelus eius*, &c. *Iudith 13.* Nec à peccatis solùm, sed ab occasionibus etiam, per quas homines in peccatum labi possent, solicitè custodiũt. Quod non obscurè Regius vates designauit, cùm ait: *Angelis suis Deus mandauit de te*, &c. *Psal. 90.* In manibus autem portare, est peccãdi ocasiones abscindere, ne in peccati præcipitium incidamus. Vt enim vitrea vasa, quæ fragilia sunt, mollibus integumentis, ne ad duriora corpora allidantur atque frangantur, conseruare solemus: ita misericordiæ vasa Dominus angelica protectione sepit, ne vlla vis eorum teneritudinem lædere aut violare queat. *Simile.* Hoc in Iob videre est: *Nónne, inquit iniquus, tu vallasti eum?* *Iob 1.* Est etiam curæ beatis illis spiritibus, orationes & eleemosynas, piaq; opera nostra communi Domino præsentare. Quod satis apertè Raphaël Angelus Tobiæ significauit, cùm dixit: *Quando orabas cum lacrymis*, &c. *Tobiæ 12.* De hoc autem Angelorum ministerio sic Ioannes in Apoc. *Venit*, inquit, *Angelus, & stetit ante altare, habens thuribulum*, &c. *Apoc. 8.* Cùm ergo beati isti spiritus piorũ vota & preces esse Deo gratissimas intelligant, libenter adstant orantibus, & intersunt meditantibus; vt habeant quod conditori suo pro nobis offerant. Hinc illud in Cant. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.* *Cant. 8.* Vox est cælestis sponsi ad amantissimam sponsam, in amœnissimis scripturarum hortis commoratẽm. Ipsi dulciùs canunt: sed sicut homines philomelæ, similiumq; auium cantillantium modulatione delectantur, cùm tamen humanæ vocis organum longè sit gratius; ita beati illi spiritus diuinis precibus & laudibus humana voce decantatis magnoperè delectantur, quamuis ipsi longè dulciùs atque suauiùs cantent. *Simile.* His igitur modis, multisq; aliis, quos recensere longum esset, beati illi spiritus solicitam nostri curam gerunt.

August. in Soliloq. Ipsi námque, vt ait August. adiuuant laborantes. Grandis est eius cura de nobis, magnus est affectus dilectionis eorum erga nos. Diligunt enim quos diligit Deus: custodiunt quos ille custodit, & deserunt quos ille deserit. Nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam & ille odit omnes operantes iniquitatem. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones: quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos Dei suo gaudio defraudamus. *Lucæ 15.* *Gaudium est* enim *eis super vno peccatore pœnitentiam agente:* sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Da Pater eis semper gaudere de nobis, vt & tu lauderis in nobis, vt ad vnum ouile adducamur. *Adhortatio.* Colligimus ex his primùm, vt, dum tempus suppetit, sic vitam instituamus, vt propitium ac beneuolum Angelorum principem in hoc extremo mortis articulo inuenire possimus. Deinde, vt immortales Deo gratias agamus, propter Angelorum custodiam ad salutem nostram destinatam. Postremò, vt illud D. *Angelo quid præstandum.* Bernardi consilium ante oculos nobis proponamus: *Quouis angulo, quouis loco, reuerentiam habe Angelo tuo: & ne audeas coram illo facere, quod me præsente non auderes.* Non ab Angelo, sed ab ipso etiam superno iudice vbique videris. *Cant. 2.* *Ipse* enim *stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Ipse alios videt, & tamen ab aliis non videtur. Hoc autem modo, videt ille qui peccata nostra per Prophetam improperans ait: *Ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.* *Esaiæ 57.* Sed is tamen quem putamus non videre, alibi etiam ait: *Et faciebatis malum in oculis meis.* & : *Ego sum iudex & testis, dicit Dominus.* *Soli non sumus.* Ergo & Angelum, & Angelorum Dominum nostris operibus testes semper assistere considerantes, demus operam, ne quid purissimis eorum oculis indignum committamus. Rectè Seneca ait: *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Nisi ad regulam, praua non corriges.* *Seneca ad Luc.* At quæ alia commodior vitæ regula, quis testis nobis sanctior, quàm Dei & Angelorum conspectus? Itaque Deum vbique & semper præsentem habeamus, Deum intueamur, nec ab illius conspectu mentis nostræ aciem vsquam deflectamus. Hac enim ratione fiet, non solùm vt is & testis nobis & adiutor sit ad vitæ innocentiam, sed dux etiam & antesignanus ad immortalitatis & felicitatis sempiternæ gloriam. Amen.

IN

IN FESTO B. HIERONYMI,

CONCIO: IN QVA DE VERA SAPIENtia, quæ in hoc Patre sanctissimo mirabiliter eluxit, & in qua etiam hominis felicitas sita est; deque duplici felicitate, altera perfecta, altera inchoata, differitur.

THEMA. *Præposui sapientiam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Sap. 7.

CVM omnia, quæ à Deo in hac rerum vniuersitate condita sunt, mirabilem Conditoris sapientiam atque potentiam testentur atque declarent: tum hoc in primis efficit infinita propè conditarum rerum multitudo atque varietas, quæ non in ipsis modò rerum speciebus atque generibus, sed intra ea etiam quæ sub ipsis generibus continentur, elucet. Quanta enim in auibus cæli varietas! quanta in quadrupedibus! quanta, quamque mirabilis in tot piscibus maris! ac postremò quanta in tot virgultorum atque arborum figuris, fructibus & frondibus? Quid verò homines, qui sub eadem specie continentur, referam? Vt enim varios eorumdem mores & ingenia prætercam, quis duos vultus omninò similes, etiam inter fratres genuinos, deprehendat? vt non immeritò D. Ambros. tantam inter se & fratrem quendam suum oris similitudinem miretur, quæ non rarò faciebat, vt etiam, qui cum illis versabantur, Ambrosium pro Ambrosij fratre conuenirent: quorum is errorem intelligens, comiter & blandè respondens, *Videte*, dicebat, *ne fratri dixeritis.* *Dei sapiẽtia mirabilis.* *Ambrosius & frater simillimi.*

Quorsum hæc, Auditores? Nimirũ vt intelligatis, quòd, cum idem sit naturæ & gratię auctor, sicut in tam variis naturæ operibus immensas sapientiæ atque potẽtiæ suæ opes declarauit, quo se hominibus & Angelis mirabilem ostenderet; idem etiam in operibus gratiæ, hoc est, in piorum hominum sanctificatione effecit. Mitto nunc cõmunem illam Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum varietatem; in his ipsis Sanctorum ordinibus quanta, quæso, gratiarum atque virtutum varietas! Moyses mitissim᷒, at Elias terribilis. Iam, si ad noui testamenti sanctos veniamus, quanta in virtutibus eorum *Homines diuersi.*

varietas! quanta etiam pulchritudo! Vide Petri humilitatẽ,
Act. 5. vide & grauitatem in Ananiam & Saphiram: vide Cypriani solicitam curam ouiũ suarũ, in Antonio carnis macerationem, in Bernardo amorem religionis; in hoc nostro Hieronymo quantum diuinæ sapientiæ studium, cui se totum addixerat! Cùm igitur tanta sit in sanctis hominibus virtutum varietas, nihil mirum si Ecclesia in sanctorum Confessorum festis vocem illam vsurpet: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Ferè enim in singulis eorum singulare aliquid effulsit, cuius gratia hoc elogium in illos cadere posset. Quocirca cùm hac præcipuè de causa Ecclesia sanctorũ festa celebret, vt nos ad eas virtutes, in quibus illi præcipuè enituerunt, imitandas inducat, non abs re videbitur, vt, cùm sapientiæ donum in beatissimo Hieronymo præcipuè eluxerit, nos de eo in præsenti concione agamus. Cælestem opem imploremus, vt vtiliter possimus.

Eccl. 50.

AVE MARIA.

Variæ & multiplices sunt scientiæ, quæ ab humano ingenio atque studio inuentæ sunt: quarum aliæ in naturæ explicatione, aliæ in rebus supra naturam positis, aliæ in siderum atque signorum cognitione, aliæ in morborum curatione. Inter has autem scientias, illa quæ rectè viuere docet, maximè necessaria est. Si quis enim omnes has disciplinas plenissimè calleat (quod illi omniscio Hippiæ ferunt contigisse) nesciat autem quo pacto vitam instituere debeat; quid illi hæc rerum omnium cognitio ad salutem conferet? Contrà verò si quis vitam suã rectis institutis moderari sciat, nihil ei cæterarum disciplinarum ignoratio oberit. Qua ex re liquet, hanc scientiam esse hominibus maximè necessariam, vtpote sine qua aditus illis ad supremam felicitatem & beatitudinẽ minimè pateat. Ad huius autem disciplinæ cognitionem nos Dominus Prophetica voce inuitat, cùm ait: *Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus; vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax.* Pacis autem nomine, tranquillitatem animi, omniúmq; cupiditatum & perturbationum sedationem intelligit: quibus sedatis atque compositis, trãquillitas animi, quies mentis, & inchoata beatitudo consequitur: quam cætera bona, quæ hîc Propheta recuset, comitantur. Recta autem institutio vitæ, ad hanc beatitudinem viam munit.

Scientia bene viuẽdi necessaria est.

Baruch 3.

Pacis nomine quid.

Huius

Huius autem beatitudinis flagrantiſſimũ deſiderium naturæ cõditor humanis mentibus ingenerauit. Omnes enim, natura inſtigante, ad eum ſtatum peruenire cupimus, in quo ad hanc animi quietem & pacem perueniamus: in qua nihil aliud deſideremus, quàm quod habuerimus. Vt enim famelicus homo, qui famem edendo ſedauit, non iam eſurit: ita qui ad hunc ſtatum peruenerit, pleniſſimè requieſcet, neque aliud amplius eſuriet, quàm quod habet. Hic eſt perfectus ſtatus & finis vitæ humanæ, quem omnes homines (vt Philoſophi loquuntur) infinito amore diligunt: quia videlicet non propter quidquam aliud, ſed propter ſeipſum eum diligunt. Vt enim medici pharmaca ægrotis ea menſura propinant, quam ſanitatis neceſſitas exigit; ſanitatem autem ſine vlla menſura dare volunt (dant enim quantam maximam poſſunt) ſic ea quæ nos ad hunc finem adiuuãt, eatenus amplectimur, quatenus fini cõſequendo conducunt: finem autem ipſum, hoc eſt, ipſam felicitatem & beatitudinem ſine vlla menſura cupimus; quia ipſam propter ſe ipſam deſideramus, neque ad aliud quidquam ordinamus. Hoc enim vltimi finis ratio poſtulat, vt omnia quidẽ ad ipſum, ipſe verò ad nihil aliud referatur. In eo enim mens hominis pleniſſimè requieſcit; aliter enim vltimũ non eſſet. Hic igitur tantus finis atque beatitudinis amor & deſiderium efficit, vt nihil aliud homines in vita moliãtur, nihil quęrãt, niſi quod eos ad communem hunc humanæ felicitatis portum ducat. Qua tamen in re, dictu mirum eſt, quantopere à recto itinere deuient. Variis ſtudiis hominum ingenia ducuntur, & felices ſe futuros arbitrantur, ſi eam felicitatem, quam ipſi expectant, conſecuti fuerint. Nos igitur fidei lumine eruditi, hominis felicitatem atque vltimũ finem in futura vita, hoc eſt, in immenſa diuinæ pulchritudinis cõtemplatione, amore & fruitione collocamus. Naturæ ſiquidem vltima perfectio eſt, eò, vnde primùm effluxit, conueniens & apta cõuerſio. Cùm igitur eò redierimus vnde profluximus, tum demũ beati erimus. A quo enim eſſe accepimus, ab eodem bene & beatè eſſe percipiemus. Solus Deus nos felices & beatos efficere poterit: is omnium deſideriorũ noſtrorum ſitim & famem ſedabit. Quod intelligens Propheta: *Satiabor*, inquit, *cũ apparuerit gloria tua.* Cùm igitur ſummo illo bono (in quo ſunt omnia bona) fruemur; tunc votorum omnium compotes effecti, nihil extra ſummum illud & vniuerſale bonum requiremus. Iter autem ad hanc tantam felicitatem

Simile.

Simile.

Beatitudinem omnes deſideramus.

Pſalm. 16.

cælestis magister cùm aliàs frequenter,tum sigillatim adolescenti hac de re percontanti ostendit. Cùm is enim ab eo quæsisset,quid sibi facto opus esset,quo ad sempiternam vitam perueniret: ille,*Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serua mandata.* Hac autem breui oratione Dominus & illi,& nobis aditum ab beatitudinem,quam omnes natura instigante cupimus,patefecit. Colligimus illum rectissimè viuere, qui Dei mandata seruat, quibus ad hunc finē peruenitur. Quisquis autem veritatem hanc intimis animi sensibus infixit, omniáq; alia quæcumque sunt in vita,siue opes,regna,imperia,tanquam aliena & peregrina, & nihil ad se,hoc est,ad hunc finem pertinētia,prudenti atq; constanti animo despicit,& per hoc iter vitæ graditur; hic sanè didicit,quo pacto viuere debeat:hic præstantissimam illam scientiā,quam diximus,adeptus erit. Hæc ad fideles omnes in cōmuni dicta sint. Beatitudo autem est duplex:perfecta,quæ in futura vita speratur: altera inchoata,quæ in altera possidetur. isti dant operam vt in hac vita etiam esse incipiant,quòd futuri sunt; etsi non perfecta,inchoata tamen beatitudine fruantur. Iam verò cùm perfecti ad nobilissimum obiectum peruenire nituntur,& nullū maius aut melius in tota hac rerum vniuersitate,quàm eiusdē vniuersitatis conditor sit:efficitur planè vt in studiosa immensæ pulchritudinis eius cōtemplatione, summa hominis perfectio, vltimus finis & beatitudo sit posita. Rerum enim conditor & moderator Deus sic rerum naturam instituit,vt vnicuique quietis & tranquillitatis locum designaret,isque & ponderosis corporibus infima loca,& leuibus supera,in quibus quiescerent,accommodauit, idémq; rationali creaturæ suum locum, suúmque veluti centrū non alibi quàm in seipso collocauit. In hac igitur cōtemplatione (quæ à summa illa atque altissima sapientia proficiscitur) summi Philosophi hominis felicitatē atque vltimum finem definierunt. Alia tamē Christianorum,alia Philosophorum sapientia est. Hæc enim solis humanis viribus acquiritur, nostra autē diuinę gratię ope atque cælesti magisterio comparatur. Sapientiæ autem nomine diuini numinis cognitionem non quidē nudam:sed cum charitate & mirabili suauitate atq; sapore coniunctam (quasi sapidam quandam scientiam) intelligimus: quam inter omnia Spiritus sancti dona principem locum tenere constat. Eius verò actio est,diuinæ pulchritudinis cōtemplatio;in cuius exercitatione inchoatā hominis beatitudinem collocamus: in qua cùm beatissimus

Pater

Matt. 19.

Viuere rectè quis dicendus.

Beatitudo duplex.

Pater Hieronymus tota vita versatus fuerit, de ea posteà disseremus. Videamus primo loco diuinæ sapientiæ dignitatẽ & pretium. Magnificas autem illas laudes, quæ in sacra diei huius lectione Sap. 7. cõtinentur, prætereo: venio ad beatum illum Iob, qui in illo suo sterquilinio tanquam in regia cathedra sedebat, & mirabiliter de vera sapientia philosophabatur, eiusdémque laudes prædicabat; sic enim ait: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, neque appendetur argentum in commutatione eius.* Quasi diceret, Nihil est tam excelsum in rebus corporeis, nihil tam pretiosum aut magnificum, quod dignum sit, non dicam comparari, sed neque commemorari in comparatione sapientiæ. Eius quippe dignitas infinitis propè partibus corporearũ rerum valorem & dignitatem superat. Veræ sapiẽtię exemplũ lucidissimum D. Gregorius nobis præbet. Hic electus ex religioso Abbate in summum Pontificem, vehementer reluctabatur, quòd à diuinæ sapientiæ studio & contubernio diuelleretur. Vide in initio Dialogorum, vbi de hac re cum Petro diacono suo agit. Huius Pontificis auctoritas satis nobis ad sapientiæ dignitatem intelligendam esse debet: quãdoquidem hic summus vir, vtriusque status conditionem expertus (cùm & monachus & Pontifex Maximus fuerit) monachi, hoc est, sapientiæ delicias, summæ totius orbis dignitati prætulit; quibus tamen sanctissimus Pater nequaquam in summa illa dignitate caruisse putandus est: sed vnam tamen illam, vt ita dixerim, guttulam, qua tum fortè carebat, summæ totius orbis dignitati præferebat. Expertus quippe erat, non temerè à Propheta fuisse dictum: *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Non est mirum, huic summo bono cætera mundi bona, hoc est, regna, sedes, & imperia cedere, & inferiori loco stare. Hæc est enim inchoata hominis felicitas & beatitudo, hæc omnium curarum & desideriorum requies, hæc interna illa pax, quæ exsuperat omnem sensum, cui nullæ mundi opes atq; deliciæ vllo modo comparari possunt. Hoc tamen seculi homines minimè credunt, quia huius status opes atque delicias experti non sunt. At longè aliud sentirent, si eas aliquando vel minima ex parte degustassent. Neque enim D. Augustinus, qui eas degustauerat, mentitus est, cùm dixit: *Qui biberit ex fluuio paradisi, cuius vna gutta maior est Oceano; restat vt in eo omnis mundi huius sitis exstinguatur.* Rectè D. Gregorius: *Animæ videnti Deum, angusta est omnis creatura.*

Sapientia cũctis opibus antefertur.

Iob 28.

Gregorius in Dialog.

Monachi delicia summa.

Psalm. 36.

Augustin.

Gregorius in Dialog.

Si igitur tanta hæc felicitas in sapiētiæ opibus constituta est; dignum est profectò, vt, vbi tantus hic thesaurus recōditus sit, inquiramus. Hanc autem in primis curam Baruch Propheta suscepit, qui post magnificas sapiētiæ laudes, eius locum inquirit his verbis: *Quis inuenit locum eius, & quis intrauit in thesauros eius?* Porrò illis interrogationib', quibus ibidem Propheta diuinus vtitur, non modò inueniendæ sapiētiæ difficultatem, sed eius etiam dignitatem declarare voluit. Verè enim procul & de vltimis finibus pretium eius. Verùm ne hoc tanto bono homines carerent, ostendit protinus sapientiæ locum, quem in solo Deo vnico, veræ sapientiæ auctore, collocauit. Subdit enim: *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Is igitur, qui increata Patris sapiētia est, è cælo in terram delapsus, hanc sapientiam, quam in Patris & Filij cognitione sitam esse dixerat, nobis tradere dignatus est. Non enim in hoc solùm venit, vt homines immaculato corporis & sanguinis sui sacrificio redimeret, sed etiam vt veram illis sapientiam, quæ viam patefacit in cælum, traderet. Ne quis autem tantum hoc bonum desperaret, ipse nos ad eius communionem amantissimè inuitat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* omnes, inquam, qui in felicitatis inquisitione laboratis (quam per varia negotia magno, sed tamen casso labore inquiritis) omnes item qui partim peccatorum, partim multiplici curarum pondere onerati estis, venite ad me: ego enim vos reficiam, ego insatiabilem istam cupiditatum vestrarum famem satiabo; vt sic tandem, quam desideratis, animarum vestrarum requiem inuenire possitis.

Baruch 3.

Sapientia vbi inuenienda.

Matt. 11.

Nunc, quibus hanc spiritualem requiem sapientiæ hic doctor tradere voluerit, inquirendum. Res admiratione digna. Non ait, prudentibus huius mundi, non Regibus aut Principibus; sed paruulis, id est, humilibus, abiectis coram mundo, quorum vitam insaniam mundani homines cōputare solent. Quid Anachoretis ac cæteris monachis (qui, relictis omnibus, se totos huius diuinæ sapientiæ studio consecrarunt) abiectius aut pauperius? qui nihil prorsus in hoc mundo possidebant, hi omnes exteriùs erant pauperes, interiùs veris animi opibus diuites: in oculis hominum abiecti, ante Dei conspectum pretiosi: exteriùs nihil habentes, intus omnia in vno Deo possidētes: iudicio mūdi miseri ac tristes,

Sapientia quibus reueletur.

ut vera illa ac summa felicitate & sapiẽtia gaudentes. Omnis enim illorum gloria, omnísque felicitas ab intus, hoc est, non in externis corporis bonis (quæ sunt nobis cum pecudibus communia) sed in bonis animi (quæ sunt Angelorum propria) sita erat. Vt enim thesauri ingentes inter carbones aliquãdo inuenti sunt: sic hæc tanta felicitas & gloria in his hominibus, pannis obsitis, externáq; specie abiectis, deprehensa est. Paulo, primo Eremitę, vna palma obsonium & indumẽtum præbebat. Quid cæteros eius sectatores, qui solis herbarum radicibus victitabant, commemorem? Quis autẽ internas horum opes atque delicias explicare queat? Erant homines nobis similes, & tamen omnium humanarum cupiditatum abdicationem interni spiritus consolatione perferre potuerunt. Ea enim diuinæ cõsolationis vis & magnitudo erat, vt ne ad momentum quidem à diuinæ pulchritudinis intuitu mentem reuocare vellent, & vix interim possent. Huius rei multa reperiuntur exempla. Quęcunque igitur anima huc peruenit, in huius sapiẽtiæ, hoc est, in summi thesauri possessione collocata est. Multos autem monachos, multas etiam virgines & viduas (in hac etiam mundi fæce, in qua modò degimus) reperire licet sub humili habitu atq; fortuna degentes, quibus hunc incomparabilem sapientiæ thesaurum (qui omnes mundi opes atque imperia longè superat) inuenire datum est, quos Dominus sustulit super altitudines terræ, & cibat hæreditate Iacob, quæ non alia quàm ipse Deus est. Hic est autem Euangelicus ille thesaurus in agro absconditus: hæc pretiosa illa margarita, pro qua prudens ille mercator vendidit omnia quę habuit, & emit eam. Sed quid externa quærimus, cùm vnus beatissimus Pater Hieronymus ad hoc nobis plenissimè sufficiat? Is enim in epistola quadam ad Virgines Deo dicatas de seipso sic ait: *Experto seni consulenti credite filiæ: si semel gustatis quàm dulcis est Dominus; poteritis ab eo illud audire: Venite, & ostendam vobis omne bonum. Ego Angelorum sæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas sustentationibus & nutrimentis nihil sentiens, diuinæ visionis intuitu. Post multorum autem dierum spatia, præscius futurorum, redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabilis delectationis sentiebam, testis est ipsa Trinitas quam cernebam, nescio quo intuitu: testes & ipsi beati spiritus qui aderant: testis est etiã conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre infirmitas*

Simile.

Paulus Eremita.

Matt. 13.

Hieronym in epist.

corpo

corporis mei. Hæc Hieronymus. Quid igitur hac felicit maius? quid mirabilius? In epistola ad Eustochium de vi-
Hieronym. ad Eustochium. ginitate multò maiora adducit. In hac non solùm has diu Spiritus delicias, sed mirabiles etiam virtutes, quibus ad vir sanctissimus peruenit, luculenter scribit: *O quoties ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ ex sta solis ardoribus horridum monachis præstat habitacul putabam me Romanis interesse deliciis! Sedebam solus, q amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra d formia, & squalida cutis situm Aethiopicæ carnis obduxer Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugna tem somnus imminens oppressisset, nudæ homo vix ossa h rentia collidebam. Et, vt ipse mihi testis est Dominus, p multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnu quam videbar mihi interesse agminibus Angelorum,*
Cant. 1. *lætus gaudénsque cantabam: Post te in odorem vnguen rum tuorum curremus.* Hæc sancti viri verba magna certè nobis sanctitatis eius opinionem, virtutumque ei admirationem excitare debent. His enim virtutibus ad Spiritus delicias peruenit, vt sibi inter Angelorum agmi post multas lacrymas versari videretur, vbi Propheticu
Psal. 93. illud experiebatur: *Secundùm multitudinem dolorum m rum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt anim meam.* Memorat diuus Hieronymus solitudinis secessu squalentis eremi habitaculum, maximam inediam: autem hæc perferre nequeamus, exerceamus carnis cal gationem; vt videlicet offeramus corpora nostra hosti
Roma. 12. viuentem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequiu nostrum. Assumamus sacras vigilias, diuinarum reru studium, orationis instantiam, in qua Dominus has d uini Spiritus delicias piis hominibus impartiri solet, sic
Esaiæ 56. ait: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo in domo orationis meæ.*

Sanctus Hieronymus Romæ operam literis dedit; ibi teris Latinis, Græcis & Hebraicis ad plenum est erudit ab insignibus præceptoribus, quos, vt gratus discipulus, sæ pè cum honore in suis scriptis nominat. In diuinis Scriptu ris præceptorem habuit Gregorium Nazianzenum, & D
Hieronymus eruditioni pietatem addidit. dymum Alexandrinum. His instructoribus ac suo assidu studio ita eruditus euasit, vt quasi miraculum omnibus e set. Conatus est igitur doctrinæ pietatem adiungere, quo illi felicissimè cessit.

Ia

Iam nunc quid ex his quæ hactenus dicta sunt, consequatur, concludamus. Diximus initio, disciplinarum omnium maximè hominibus necessariam esse eam quæ doceat rectè viuere. Rectè autem viuere, esse vitam rectis institutis ad suum finem dirigere. Hunc autem finem (cuius gratia homo à Deo conditus est) in futura quidem vita in aperta diuinæ pulchritudinis visione; in præsenti autem in sapientiæ possessione, & diuinarum rerum contemplatione. positum esse. Quocirca quisquis non contentus futuræ beatitudinis spe, ad hanc etiam inchoatam beatitudinem (quæ paucorum est) adspirat, omnes curas & cogitationes suas, & omnia vitæ studia, ad hunc finem destinare debet. Omnia verò alia, quæ huic fini non seruiunt, velut externa, & ad se ad hunc finem minimè pertinentia, valere sinat. Memineris, qui ad perfectionis arcem peruenire contendis, cupiditates & affectus frænandos, priusque animam per veram pœnitentiam purgandam & virtutibus ornandam esse: vt in ea cælestis huius sapientiæ Doctor sedere, & paruulum atque humilem discipulum erudire dignetur. Quam nobis gratiam Dominus Iesus, paruulorum Doctor, concedere dignetur, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Honestæ vitæ studendū est.

IN

IN FESTO SANCTI PATRIS FRANCISCI, VBI CONCIO ERIT HA-

benda, hanc ex quatuor collectam habeas. Si quis autem ampliorem habere velit, hoc est integram diui Francisci vitam, legat diuum Bo- nauenturam, qui Sanctus Sancti (teste D. Tho- ma Aquinate) prudentissimè descripsit vitam. Concionum R. P. Ludouici prima fuit de Euā- gelica paupertate: secunda de flagrantissim eius charitate: tertia de cæteris eius virtutibu quarta de admirandis operibus ac miraculi quæ Deum in Sanctis suis non modò mirabi lem, sed etiam amabilem faciunt. Has quatuo (quoniam breuitati & perspicuitati studemu in ista vnica expeditè (vti potuimus) pertracta mus. Cōsulito, lector, precamur, ęqui boniq

THEMA. *Venite ad me omnes qui laboratis & one rati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11.

EXPLICATIO EVANGELII.

IAM primùm constat, Auditores, Deum in cū
Psal. 112. ctis operibus suis esse mirabilē. Verissimè eni
à Propheta dictū est; *A solis ortu vsque ad occ*
Esaia 6. *sum, laudabile nomen Domini*: & plenam esset
Psal. 110. ram omnem gloria eius. atque hoc sensu Propheta can
Confessio & magnificentia opus eius: quòd videlicet omn
Dei opera magnificentissima sint, & quæ nos ad eius glor
confitendam & prædicandam inuitent. Eademque de cau
Psal. 103. cum Deo loquens, confessione atque decore illum indutu
esse ait, quòd videlicet, quacumque eius opera spectaueri
ad confitendam & celebrandam eius gloriam, decorem
Ad Dei pulchritudinē excitaberis. Quamuis autē verè Dominus
laudē vbi- cunctis operibus mirabilis sit, in Sāctis tamen suis singul
que exci- quadam ratione mirabilior apparet: quoniā in cæteris q
tamur. dem rebus eius præcipuè sapiētia & potētia; in Sanctis ve
suis ornādis & omni virtute cumulandis non ista solùm,
eti

etiam immensa eius bonitas & charitas elucent: quæ ipsum non modò mirabilem, sed maximè etiã amabilem reddunt. Quam rem (vt alia exẽpla prætereamus) in beatissimi Francisci vita, singularibusque priuilegiis, cernere licet: quæ talia ac tanta sunt, vt ipsi quoque D. Francisco, sicut Domino suo, Admirabilis nomen accommodari non immeritò possit. Vt igitur aliquid de ipsius vita & mirabilibus operibus ad Dei honorem & vitæ nostræ instructionem dicamus vtiliter, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus. *Deus vt amabilis.*

AVE MARIA.

Lectio sancti Euangelij, Auditores, flagrantissimam Saluatoris nostri erga genus hominum charitatẽ maximè declarat: quando & mortales omnes ad bonorum suorũ communionem amantissimis verbis inuitat, & pro beneficiis eisdem collatis æterno Patri gratias agit. Sic enim ait: *Confiteor tibi Domine Pater cæli & terræ, quia abscõdisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti*, &c. Vt autẽ huius confessionis causam audiatis, scire oportet, hoc ipso tempore Christi Domini discipulos à prædicationis officio (ad quod eos ipse miserat) lætos atque alacres rediisse, quòd illis prosperè legationis suæ munus cessisset. At Saluator, qui Patris sui gloriam, & humani generis salutem omni tempore in pectore suo versabat, in hac singulari discipulorum legatione, gentium conuersionem ipsorum opera perficiendam contẽplans, cælesti Patri pro hac mirabili dispensatione & benignitate gratias agit, quòd videlicet paucorum & rudiũ piscatorum operâ mundum esset ad veram salutem, & veritatis cognitionẽ allaturus adducturúsque. Itaque mirabili exsultatione & alacritate plenus, ait: *Cõfiteor tibi Domine Pater.* Est peccatorum confessio, est & confessio laudis: qualis hęc fuit, in qua Filius immensam cælestis Patris bonitatẽ & prouidentiã laudat, quòd salutis humanæ mysteria paruulis reuelare dignatus fuerit. Erant eo tempore Pharisæi religionis opinione insignes, erant Scribæ & Legis doctores, erant principes & nobiles viri: nec tamẽ hos elegit Dominus, quibus Euangelicæ prædicationis officiũ delegaret, sed rudes & ignobiles piscatores. Cur ita? Subdit causam: *Ita Pater, quoniã sic fuit placitũ ante te.* Hæc est vera & certissima huius tam admirandæ electionis causa. Diuina siquidẽ voluntas est prima veritatis & iustitiæ regula, per quã omnia diiudi *Piscatores quid egerint.* *Diuina voluntas est certa regula.*

diiudicanda sunt. Neque Christianus homo, fide subni
potiorem aliam rerum omnium causam quærere debet:n
enim voluit suprema sapientia magnifica sua opera in
mo homini, sed diuinæ virtuti adscribi. Hoc in beato Fr
cisco demonstrauit, qui licèt rudis fuerit & imperitus
adolescentiam suam in procuranda patris mercatura e
Franciscus literarum ignarus. cuerat: celeberrimi tamen Ordinis auctorem esse vol
Quo enim persona abiectior & humilior, hoc ipso Dei g
tia & potentia clarior. Atque hoc est quod Apostolus
1. Corin. 1. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres, quia non mult*
pientes secundùm carnem, non multi potentes, non mult
biles, &c. Sic Moyses populo Israëlitico gloriandi materi
Deut. 9. abstulit, dum cõmemorat quòd non propter iustitiam su
eos introduxerit in terram promissam. Innuere voluit, q
quicumque diuinis officiis essent ornati, & ad eius fort
gratiam & amicitiam vocati, totum hoc illi tribuant
gratis donat. Sic enim fiet, vt intra nos humiles, erga il
grati & officiosi simus, Propheticũ illud corde & voce
mantes: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tu*
Psal. 113. *gloriam.* Hac sola oratione inter tot calamitatum pro
Iob 1. las se S. Iob consolabatur, cùm diceret: *Dominus dedit,*
minus abstulit. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et n
nouit Filiũ nisi Pater: neque Patrem quis nouit, &c. His
bis Dominus, qua in re sita sit summa illa sapientia, q
Sapientia vera qua sit. Pater reuelauit paruulis, apertè declarat; nempe in Pa
& Filij cognitione, de qua is alibi dixerat: *Hæc est autem*
Ioan. 17. *ta æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem*
sisti Iesum Christum. In huius enim veritatis cognition
choata felicitas in hac vita, & consummata est in patri
cuius autem facultate positum sit, homines felicitatis
ius compotes facere, declarat, cùm sibi à Patre commi
Genes. 47. esse docet, eam aliis communicare. Vt enim olim Phara
Christus Ioseph. Ægypto frumenti distributionem Iosepho contulit: ita
ter cælestis omnes gratiarum suarum thesauros Filio
Ephes. 4. dispensandos commisit, vnde est illud: *Adscendens in al*
Christus ouem redemptam non perdet. *captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*
numquid dispensator cælestium gratiarum difficilem
eis impartiendis exhibebit? Minimè verò: tantum enim
est vt hac in re difficilis & inexorabilis sit, vt ipse aman
mis vocibus mortales cunctos ad se vocet: *Venite ad me*
nes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Qua
cat: Quousque miseri filij Adam insanietis? Estis ima

Dei pulchra insigniti, cur faciem vestram larua illa deformi peccatorum obtegitis & fœdatis? Tempus vt, detracta larua, facies vestras emundetis. Quem fructum habuistis in illis operibus, de quibus nunc erubescitis? Videmus quàm piè & ex animo Christus compatiatur nostræ miseriæ, & amanter ad se inuitet, in quo habere possimus pacem. Sub sole nihil est, nisi labor & afflictio spiritus, quæ conscientiam grauā:. Christus omnem adimit diffidentiam: Omnes vocat, neminem excludit. Viam ad fœlicitatem, quam cupimus, demonstrat, quæ non alia, quàm diuinorum mandatorum obediētia est. *Tollite iugum meū super vos, & discite quia mitis sum.* Hæc enim pax, quæ exsuperat omnem sensum, indiuiduus comes iustitiæ atque obedientiæ est. Christus diues, qui nos ditare cupit. Exemplū mansuetudinis proponit: *Iugum enim meum suaue est, & onus meū leue.* Seculi homines hoc nullo modo possunt credere: iugū enim diaboli atque mundi suauissimum credunt esse, quòd largam voluptatibus licentiam præbeat: tuum verò Domine iugum importabile esse prædicant, quòd eas frenare & cohibere, carnemq; spiritui seruire iubeat. Iubet planè; quod quidem rerum diuinarum imperitis difficile esse apparet, nō eis qui diuinæ charitatis vim experti sunt. Amor omnia facit suauia. Indicio nobis erit mater quæ filiolum nutrit, quæ tamen nutritionis diurnum pariter & nocturnum laborem alacriter & libenter propter prolis amorē perfert. Hunc igitur erga Deū amorem, continuis precibus & gemitibus à Domino flagitemus, ab eoq; contendamus, vt charitas diffundatur per Spiritum sanctum in cordibus nostris: hac enim charitate incensi atque adiuti, facile erit omne difficile. Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad beatissimi Francisci laudes recurrat oratio.

Rom. 6.

Christus personarū non est respector.

Iugum secularium hominum quale.

Simile.

Per multas tribulationes itur ad cælum.

Sanctus Franciscus omnem vitam suam, & Ordinis sui institutum ad duplices virtutes statuit: ad eas quæ nos hominibus concilient, & ad eas quæ nos ad diuinæ puritatis imitationem inducāt. Quid enim aliud eius vita, quàm perpetua quædam oratio, diuinarúmque rerum contemplatio extitit? Quod aliud eius institutum, quàm omnia terrena bona cōtemnere, & Euangelicam paupertatem amplecti, vt se totū sine vllo impedimento huic studio impenderet? Hęc ad beatissimum Franciscum singulari quadam ratione pertinere videtur: cùm ob alia multa, tum præcipuè quòd paupertatem & rerum indigentiā, quam terrena prudentia per mare, per terras, per inhospita saxa, per ignes omni ratione

S. Francisci vita.

Euangelicam paupertatem amplectitur.

fugit, summo is amore, tanquam amantissimam sponsam, mundo ridente amplexus est. Hæc enim præcipuè in eo virtus emicuit. Quamuis enim Sãcti omnes cunctarum virtutum ornamẽtis exculti fuerint, in aliis tamen aliæ laudãtur. In aliis quippe fides, in aliis charitas, in aliis humilitas, in aliis obedientia, in aliis patientia præcipuè elucet. Aut in beato Francisco cùm omnes virtutes inter se certare quodammodo videãtur (quòd vnaquæque principatum suo sibi iure vindicare contendat) Euangelica tamen nuditas atque paupertas mirabiliter in eo eminet. Nemo sanè verbis cõsequi potest, à quibus nos ea malis, à quibus eripiat incõmodis. Vno enim veluti ictu, omnium ferè inimicorũ nostrorũ capita iugulat, malorumq; omniũ radices euellit. Primùm enim auaritiam & cupiditatem (quam Apostolus malorum omnium atque hæresum radicem esse ait) penitus exscindit. Pugnant enim inter se cupiditas auaritiæ, & voluntaria paupertas. Quod enim illa cupit, ista contemnit. Pugnat paupertatis virtus acriter aduersus voluptatem, qui est vehemẽs animæ hostis, ac velut Golias quidam, quem nemo, nisi magno Dei munere atq; beneficio, prosternere valet. Ille semper dulcia & blanda appetit: nec contrà ista horret ac fugit. *Qui*, inquit Christus, *amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Vt enim puerperæ vbera exsiccãtur, cùm lactis fluctus impeditur: ita cupiditates minuuntur, quoties à concupitis rebus diu arcentur. Pecunia præbet ad mala fomitẽ. Caro quæ pugnat aduersus spiritum, paupertate cedit. Mundus & ipse paupertate cedit. Hæc virtus altiùs animo infixa, meum atque tuum nescit. Neque enim pretiosum aliquid sibi vindicat, neque in alienas opes inuadit, cùm suas etiã à se repudiet. Hinc Assisij Episcopo, annuos redditus ad Ordinis stabilimentum necessarios esse dictanti, vir sanctus respondit: *Si opes habuerimus, armis etiam indigebimus, quibus eas ab inuasoribus & litigatoribus defendamus.* Hæc quoque virtus à fœdo illo adulationis vitio procul abest. Iam hîc & diuites & pauperes sumant exempla. Diuites, vt sorte sua contenti cupiditati finem imponant, illud quoque curent quod Propheta ait: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Hac enim ratione fiet, vt si minùs corpore, at spiritu saltẽ pauperes sitis, vt Abrahã, Dauid, & cæteri Patriarchæ. Qui vera corporis paupertate premuntur, dent operam, vt id libenter esse velint quod sunt, & hãc grato animo

Paupertas commodũ.

Ioan. 10.

Simile.

Dictum sancti Frãcisci.

Psal. 61.

feren

ferentes, eam in virtutem vertant. Nihil difficile, quod voluntarium. Hic eſt ille theſaurus abſcõditus in agro: hæc illa pretioſiſſima margarita, virtutum omnium ſeminariũ, paupertatis Euangelicæ ſectatoribus promiſſa. Iam beati viri ſapientiam expendamus. Sapientia autem eſt altiſſima Dei diuinarúmque rerum cognitio. Duplici ratione Deũ in hac vita cognoſcere poſſumus: aut legendo & audiendo perfectiones, aut eas experiendo in nobis. Theologiæ ſtudioſus legit quidem & agnoſcit diuinas virtutes; at verò humilis, & qui eſt puræ mentis, quæ à curis & cupiditatibus eſt expedita, ille meliùs nouit, ille experitur. Ad hũc Dominus, amator puritatis, velut in ſuum centrum deſcendit. Sic Theologia eſt duplex: altera quæ ſpeculando, altera quæ experiendo Deum agnoſcit; & hæc eſt occulta, & paucis cognita. Hîc Spiritus ſanctus docet, quàm ſuauis ſit Dominus, quàm pius & benignus. Diſcrimen huius Theologiæ eſt, quòd illa cognoſcit Deum, iſta diligit & amplectitur. Sunt autem duo pedes animæ, quibus ad Deum imus: intellectus videlicet, & voluntas. Intellectus præcedit, quem ſequitur volũtas. Hæc eſt illa myſtica Theologia, quæ ſpiritus ſancti magiſterio addiſcitur, quæ inter omnes ſcientias principẽ locum tenet, in qua rudis omnium literarũ Franciſcus tantum excelluit, quantum flagrantiſſimo charitatis ardore incenſus fuit: per quam nõ tam legendo quàm amando, diuiniſque beneficiis fruẽdo, immenſas diuinæ bonitatis, & charitatis opes agnouit. Charitatem ſancti Frãciſci quis enarrare ſufficiat? Ignis lignorum appoſitione augetur; ita charitas piis meditationibus: ideò hic vir ſanctus ex mundi huius viſibilis & omniũ creaturarum contemplatione in dilecti amorem incendebatur, & ex omnibus ſcalam ſibi quodammodo erexerat, qua in Deum aſcenderet. Vt enim Pantheram aiunt tanto hominum odio incenſam eſſe, vt in ſimulacrum etiam hominis inſiliat, atque illud diſcerpat: ita contrà vir beatus tanto Chriſti amore ęſtuabat, vt vel tenuem illam eius imaginem, quæ in innocẽtibus animantibus elucebat, hac amoris dulcedine proſequeretur. Charitatis enim eſt, vehemẽter ab eo velle redamari, quem vehementer amet. Cùm enim ſimilitudo ſit amoris conciliatrix, hinc amans amato ſimillimus fieri optat. Tãto quoque deſiderio martyrij flagrauit, vt ipſam vitam pro Chriſto profundere optauerit: quod tamen implere non potuit, licèt ſæpius tentauerit. *Maiorem hac dilectionem nemo habet*, &c. Verè martyr beatus,

Matt. 13.

Franciſci ſapientia.

Theologia duplex.

Animæ pedes.

Simile.

Frãciſcus martyr.

Ioan. 15.

cuius animam etsi gladius persecutoris nō abstulit,pal
tamen martyrij nō amisit.Iam Deus sua illi dona vber
cōcessit:ea enim inter Christum & virum sanctum am
fides exstitit,quòd pretiosa illa vulnerum suorum stig
1. Reg. 18. in amici corpore imprimere dignatus est. Sic Ionathas
Saulis Dauid amicum suum vestiuit. Christus non ve
non arcum , sed ipsa sacrorum vulnerum stigmata , q
suo corpore gestabat,in amici sui corpus transtulit. C
ius igitur Christi amorē simus & nos mori parati. Ex
gelio discimus , quosdam vndecima hora vocatos ad
Franciscus & Dominicus Dei vinitores. Domini. Hac igitur hora duos eodem tēpore Apost
& Euangelicos viros solicitus paterfamilias ineffabi
tatis suæ prouidentia destinauit,qui duorum clarissim
in Ecclesia Ordinum fundatores & auctores exsistere
non ipsi tantùm,sed eorum etiam sectatores in toto t
orbe vineam excolerent. Hi morbos sanabant , mort
vitam reuocabant , dæmonibus imperabant , & erant
Simile. dij quidam terrestres. De sancto Francisco non imm
dici potest , quòd sicut inter aues nonnullæ sunt, qu
pernici volatu in supera loca feruntur , vt penè visum
giant:ita inter sanctos nonnulli reperiuntur, quorum
simas virtutes mens humana comprehendere nequea
multò minùs verbis explicare valeat. Quod sanè de
Francisco intelliget , quisquis eius vitam & clarissim
tutes,atque innumera propè miracula studiosè perle
Eccles. 50. De eo rectè dicitur : *Quasi vas auri solidum , ornatum*
lapide pretioso. Auri nomine charitatē,quæ virtutum
ceps est; lapillorum autem appellatione virtutes accip
quæ vt charitati deseruiunt,ita charitatem ipsam exo
Perfectionis virtutes quatuor. Qui dum ad perfectionis apicem contenderet, quatu
tutes,tanquam optimum fundamentum,iacere summ
studuit,scilicet,humilitatem,obediētiam,abstinentia
nis,orationem. His quatuor virtutibus, pius homo s
suóque profectui præcipuè vacare,sibíque magis quā
consulere debet. Quod beatissimus Franciscus cumu
mè præstitit. Quia hic Dei famulus suo creatori tam
toto pectore semper inhæsit,eique per omnia sedulò
uit,non incongruè illi accommodatur,quod illi Mard
Hest. 6. ab Assuero Rege impensum fuit. *Id verò erat,vt ho*
quem Rex vellet honorare , vestibus regiis insignitus
rato eius equo vectus per plateas incederet , &c. Ita
famulus à cæli Rege & vniuersorū Domino honora

nite igitur ante oculos huius viri virtutes, &, quatenus
eat cuique, eius humilitatem, obedientiam, carnis mace-
tionem, orationis studium, misericordiæ erga pauperes
fectum, & iugem passionis Dominicę memoriam imitari
ideatis. Quamuis beatus Pater in omni genere virtutum
aruerit, charitatem tamen in Deum inter omnes eas prin-
pem locum tenuisse constat. Cùm autem multa sint, quæ
s ad Dei nostri dilectionem incitare debent, eius tamen
mensa bonitas à nobis hoc præcipuè exigit. Quæ autem
ec sit Dei bonitas, aliqua eius bonitatis opera ante oculos
namus. Primum autem est, opus creationis omnium re-
m quæ in mundo sunt; quæque omnia sua prouidentia
bernat. Secundum est, finis altissimus, cuius gratia homi-
m in hoc mundo condidit, nempe vt suæ illum bonitatis
felicitatis consortem efficeret. In hac beatitudine & mēsa
premi Regis, omnium conuiuarum commune ferculum
. Tertium bonitatis opus, est Dominicæ incarnationis &
sionis beneficium, quod planè ineffabile est. Quartum
à Deo latæ legis sanctitas, quę quoniam à diuino pecto-
processit, quid in eo lateret, ostendit. Vt enim aquę sapo-
n fontiū, à quibus profluxere, referunt; vnde aliæ dulces,
æ salsæ: ita lex diuina, quæ à diuino pectore tanquam à
te manauit, fontis sui naturam & ingenium repręsentat.
s verò legis pulchritudinem ac sanctitatem multis ver-
Vates regius amplificat, cùm ait: *Lex Domini immacu-*
a, &c. Hæc legis æquitas ostendit, quale sit pectus, à quo
ta puritas emanauit. Videndum vt se legislator cum his
rat, qui hanc eius legem vel studiosè seruant, vel nefariè
lant. Quo enim maioribus beneficiis legibus suis obse-
entes, hoc est, bonos viros, ornauerit, maioribusque sup-
ciis improbos affecerit, hoc maiora bonitatis suæ docu-
nta constituet. Ab eadem enim bonitatis radice & amo-
n erga bonos, & odium erga malos proficisci certum est.
uamuis enim ex literis sanctis constet, maiorem Dei ma-
ificentiam in bonis viris præmiandis, quàm seueritatem
malis puniendis (qui facit misericordiam in millia, his
i ipsum diligunt; punit autem sontes ad tertiam & quar-
m vsque generationem) incredibile tamen dictu est, quo-
odo impios & impietates eorum exsecretur, & qua seue-
tate in illos animaduertat. Quod facilè intelliget, quisquis
cras literas ab ipso Genesis exordio (in quo primorum
rentum transgressio & supplicium describitur) vsque ad

Franciscus imitandus

Lucæ 22.

Simile.

Psal. 18.

Plagæ in improbos. Ioannis Apocalypſim, in qua nouiſſimæ impiorum plag deſcribuntur, attentiùs legerit. Quid hîc Prophetarum ſcr pta, quid legis maledicta in legis tráſgreſſores commem rem? in quibus tot terrores ac minæ, tot maledictiones plagæ proponuntur, vt ferreis etiam mentibus horror incutere poſſint. A quo autem fonte tot generis hum clades, tot fames & peſtes, tot mortes & naufragia, tot p uinciarum & regnorum vaſtationes, tot parricidialia be & diræ hominum ſtrages, niſi à diuini furoris ira & od quo improbos perſequitur, emanarunt? Hæc igitur imp borum ſupplicia quò magis diuinæ iuſtitię ſeueritatem uerſus improbos declarant, eò maiorem diuinæ boni ſignificationem dant; quoniam ab eadem bonitatis ca erga bonos amor, & odium erga malos naſcitur. Vnde ligitur, eos qui in diuinorum iudiciorum contemplati ſapienter Philoſophari ſciunt, non minùs ad diuini amorem operibus iuſtitiæ erga improbos, quàm miſeri

Legendæ Sanctorum euoluendæ. diæ beneficiis erga pios incitari. Diuinæ bonitatis odo quendam percipiet, qui Sanctorum vitas diligenter leg & in earum lectione, non tam quid ipſi propter Deum f rint, quàm quid Deus in eorum gratiam & honorem p uerit, ſtudioſè animaduerterit. Vnum D. Franciſcum oculos ponamus, & quibus eum Deus fauoribus ornau facilè ex eius vita (quam D. Bonauent. deſcripſit) videbi Ibi inter magnifica illa exempla nihil non nouum, nihil inſolitum, nihil non mirabile. Omnia enim referunt di charitatis magnitudinem. Ibi videmus omnium penè c turarum & rerum etiam anima carentium obedientiá, obedienti Dei ſeruo ad nutum obtemperabant. Videmu

Pſal. 67. mirabiles virtutes, in quibus omnibus verè mirabilis e tit. Verùm an Franciſcum, an Dominum Franciſci adm debeamus? Sed, ſi verum fateamur, magis Dominum F ciſci in Sanctis ſuis mirabilem prædicabimus. Mira immenſam huius Domini bonitatem, charitatem, ineff

Prouerb. 8. lem erga ſuos ſuauitatem. Verum eſt quod ait: *Delicia eſſe cum filiis hominum.* Rectè ergo citharœdus mirab

Pſal. 67. Deum eſſe ait in Sanctis ſuis. Non tam igitur eos eſſe m biles, quàm ipſum in eis eſſe mirabilem prædicat: quit dignatione & pietate & ſuam erga illos dilectionem o dit, & eorum erga ſe excitat & incendit. Quis igitu Deum in Sanctis ſuis mirabilem non agnoſcat, quos e ſima mundi fæce ad tantam dignationis gloriam in Ec

sua extulit: *suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt sedeat cum principibus*, & solium gloriæ teneat. Quis non se iam felicem arbitretur cui in promptu sit, ad talis Domini amicitiam posse venire? Quis seruire illi recuset, qui tam magnificis præmiis pro obsequiis sibi exhibitis persoluat? Cuius rei amore capitur, qui huius tantæ pulchritudinis amore nō capitur? Hunc semper ante oculos habeamus, illum dies noctésque cogitemus: illius nos totos obsequio mancipemus, vt cuius modò bonitatem per magnifica eius opera contemplamur in via, eandem tandē reuelata facie, perpetuò videre mereamur in patria. Amen. *Psal. 112.* *Felix quis censendus.*

IN FESTO SS. APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDÆ, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, de laborum patientia, & perfecta in Deum charitate agitur.

THEMA. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15.

HODIERNA sancti Euangelij lectio, Auditores charissimi, pars quædam est excellentissimi illius sermonis, quē Domin⁹ in nouissima cœna ad discipulos habuisse memoratur: in quo illos partim ad mutuam dilectionem adhortatur, partim de suo abscessu mœrentes consolatur, partim verò labores & certamina, quæ illos in Euangelij prædicatione manerent (ne ipsos imparatos, & falsa securitate torpentes inueniret) prænunciat. In præsenti verò sancti Euangelij lectione hæc eadem ferè attingit, & nouis ea rationibus confirmat, quæ nos modò breuiter perstringemus. Quam rem vt piè & vtiliter prȩstare possimus, cælestem opem, sacratissimȩ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicē. Quid hac lege cōmodius ad humanam vitam in pace degēdam proponi potuit?

Hoc enim vno dilectionis præcepto Dominus & omn
iniuriam prohibuit,& omnia benignitatis officia com
Amor optimum donum. xus est. Amor namque donorum omnium & primũ &
ximum, & omnium aliorum causa est. Vnde cùm nat
conditor Deus liberos à parentibus educari, & benef
Simile. omnibus affici vellet, miram erga illos charitatẽ ment
eorum ingenerauit: hac enim vigente, cætera omnia be
ficia facilè consecutura intelligebat. Cùm ergo toties
minus hoc nobis charitatis præceptum commendet, on
simul benignitatis & misericordiæ officia in omnes ho
Simile. nes commendauit. Hac autem lege quid humanæ vitę c
Leges deorũ inuentum. modius? quid salutarius? Sicut enim leges ciuiles (quas
losophi deorum inuentum esse dixerunt) nihil aliud q
hominum salutem, pacem, & incolumitatem intuentu
videlicet homines sine iniuria in honesto otio & trãqu
tate viuant) ita etiam, ac multò magis, diuinæ leges
ipsum omni ratione curant. Non enim manum solùm
humanæ leges; sed animum quoque ab iniuria & volũ
nocendi prohibent. Sed illæ tamen leges, hoc beneficio
Præmium in obseruatores legũ. tentæ, nihil ampliùs addunt. At summus ille legislator
minus, æternæ quoque vitæ mercedẽ legum suarum c
ribus promittit, beneficium pro beneficio, & gratiam
singulari gratia rependens. Qua charitate & bonitate q
quæso, cogitari mirabilius potest? Vtroque tamẽ modo
minus, & pœnarum acerbitate; & prẽmiorum magnitu
ad legum suarum obseruationem homines adducit. Le
autẽ eius compendium his verbis, quæ audistis, contin
Hæc mando vobis, vt diligatis inuicẽ. Itaque cũ ipsi nos i
illo iubente diligimus, illum vtique diligimus: & cùm
ctionis officia in alios conferimus, tunc illum officiis pr
quimur, & legem eius implemus. Dominus Apostolorũ
nuntiat prædicationem, ad quam variæ illis linguæ do
sunt, qui tamen concordi sententia eandem hominibus
Esaiæ 28. ctrinam prædicabant. Hæc est Prophetæ sententia: *Hæ
quies mea, reficite lassum, & hoc meum refrigerium.*
lege Domini atque voluntate propensa ad omnes hom
omni ratione iuuandos apertè insinuatur. Vt nostris co
latur miseriis, ipse suũ dicit esse refrigerium. Sic Phar
tumentibus respondet: *Ite, discite quid est, Misericor
Matt. 9. *volo, & non sacrificium.* Ille mauult misericordiam,
hominibus exhibetur; quàm sacrificiũ, quod Deo offe
Vide qualia charitatis viscera Moyses induerat, qui t

orauit pro populo,malens ei misericordiam inferri, quàm punitionem & pœnam. Pergit deinde Dominus discipulos confirmare,ne sæuientis cõtra eos mundi odia pertimescãt. Sequitur enim: *Si de mundo fuissetis,mundus quod suum erat diligeret*,&c. Vt corporum,inquit rectè Cyrillus,ita morum *Cyrillus.* cognatio quædam est: quorum similitudo lõgè sanguinis vincit cognationem. Omne enim animal diligit simile sibi. *Simile.* Sanctus cum sancto,& peruersus cum peruerso iucundè cõuersantur. Hinc illa Salomonis sententia: *Abominãtur iusti virum impium: & abominantur impij eos qui in recta sunt via.* *Prou. 29.* His autem verbis Dominus discipulos suos ad futura certamina atque pericula (quæ illis in Euangelij prædicatione subeunda erant) opportunè admodùm instruit ac præmunit. Serò enim *animus* (vt ait Seneca) *ad periculorum patientiam post pericula instruitur.* *Seneca.* Oportet Christũ tanquam salutis auctorẽ ante oculos ponere. Hoc Apostolum fecisse videmus. *Quæ, inquit, mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum damna.* *Philip. 3.* Omnia sibi Apostolus ante oculos proponebat,& futuras passiones,& Christi ducis sui exemplum,& magnificum resurrectionis præmium: atque his armis præmunitus,lucra mundi dámna computabat,& mortem lucrum. *Si*, inquit Christus, *de mundo fuissetis*, &c. *Simile sibi cõgaudet.* hoc est,si mundano more vitam institueretis,id est,si fastũ & superbiam, si opes,si voluptates,copiosam familiam, & varias vitæ delicias (quæ omnia mundani homines per tela, per ignem inquirunt) vos etiam simili ardore quæreretis, mundus vtique in vobis nullo modo improbaret,quod ipse moribus suis probat. Vos autem non estis de mundo,quia celsiores estis mundo: quæ ille probat,vos improbatis; quæ in pretio habet,vos contemnitis: propterea odit vos mundus. Vos colitis innocentiam & pietatem; mundus superbiam. Quo ingenio & mente est dæmon, amator & auctor vitiorum, eadem & eius membra,in quibus ipse operatur. Animaduertite quẽ Deum mundani homines colant,quem *Mundanorum hominum Deus quis sit.* vitæ ducem sequantur,cuius leges vniuersis Dei legibus & cõsiliis anteponãt. *Si me persecuti sũt,& vos persequẽtur*, &c. hoc est, obseruabunt sermonem; varias intendentes insidias,vt verba vestra calumnientur,vt vos,sicut & me,in sermone capere possint. De principe mundi Dominus testimonium tulit,quòd is homicida esset ab initio. Idem etiam elogium conuenit mundo,qui & Dominũ occidit,& Martyres,& Prophetas,& Apostolos, quibus Dominus,cùm ad *Ioan. 8.*

Lucæ 10. prædicandum mitteret, ait: *Ite, ecce ego mitto vos sicut*
Ezech. 2. *agnos inter lupos.* Apud Ezechielem verò ait: *Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Aliud mundanorum hominum facinus, quòd au-ctorem vitæ interemerunt & eius ministros. Deo & eius legibus æquissimis est parendum. Vide & perpende apud te, cuius auctoritati & imperio sit obediendum, Dei, an mūdi. Quā multos reperire est, qui apertissimè, posthabito Deo, mundum præferunt, apud quos mundus in maiori habetur pretio, qui mundo magis quàm Deo obtemperant, mundi legibus diuinas leges anteponunt. Nónne hos rectè incre-
August. pat D. Augustinus: *O homo, viluit tibi Deus?* Viluit planè, cui vilissima mundi commoda & rumusculi anteferuntur. Hæccine sunt obsequia, hi honores, hic cultus est, qui tibi Domino, creationis, redemptionis, cæterorumque benefi-
Christiani inexcusabiles. ciorum iure, debetur? Nos sanè erimus inexcusabiles apud Deum, qui non sub lege, sed sub gratia cōstituti sumus, quibus tot virtutum exempla exhibita, tot beneficia impensa, tot diuinæ bonitatis mysteria ante oculos posita sunt, totq; Ecclesiæ voces aures quotidie nostras feriunt: quo modo tot ad pietatem & iustitiā stimulis agitati, totque adiumentis instructi, adeò nihil proficimus, vt dicere nos quoque cū
Esaiæ 63. Propheta possimus: *Facti sumus velut à principio, cùm non dominareris nostri, nec inuocaretur nomen tuum super nos.* Quid, quæso, insinuare nobis Paule voluisti, cùm diceres:
Roman. 6. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia?* Ecce nunc sub gratia constituti, non minùs modò delinquimus, quàm homines sub lege, imò & ante legem delinquebant. *Si,* inquit Dominus, *me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ne vobis indignum videatur ea perpeti, quæ rerum omnium Dominus vestri causa perpessus est: imò verò summæ laudis & gloriæ loco ducite, illum quauis in re, atque adeò in re ipsa etiam laborum perpessione, imi-
Eccl. 23. tari. *Magna gloria est, sequi Dominum.* Hæc summa rationalis creaturę perfectio est, auctori suo, quoad licet, similem
Hebr. 12. fieri. Ad cuius nos imitationem Paulus inuitat, cùm ait: *Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum à*
1. Petr. 2. *peccatoribus contradictionem,* &c. Et diuus Petrus: *Christus*
Simile. *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Sicut cæmentarij insignem aliquam siue domum siue basilicam exstructuri, priùs vel in charta aliqua, vel in materia lignea totam futuri ædificij fabricam summo artificio depingunt, quam

quam semper, dum opus moliuntur, propositam ante oculos habent, vt iuxta illius descriptionem omnia faciant: ita planè cælestis Pater spirituale in mundo templum, nempe Ecclesiam suam, ex viuis lapidibus ædificare cupiens, absolutissimum totius virtutis & probitatis in vnigenito suo nobis exhibuit exemplar & ad eius imitationem vnumquemque fidelium hortatus est, cùm Moysi dixit: *Omnia fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Et Paulus, *Adspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Christi vita, externi hominis crux exstitit. quid quæso aliud perfecti viri vita, si ad hoc exemplar effingenda est, nisi crux esse debebit? Vna sanguinis sui pretiosissimi gutta ad redimendum humanum genus sufficere potuit, & tamen tot tormentorum genera sustinuit: vt videlicet nos non passionis suæ solùm meritis à peccato redimeret, sed etiam virtutum suarum exemplis ad laborum patientiam, & virtutum studium incitaret. Hinc rectè ille Pontifex Leo: *Ab omnipotenti*, inquit, *duplex nobis remedium præparatum est: cuius aliud in sacramento, aliud in exemplo; vt per vnum conferantur diuina, per aliud erigantur humana: quia sicut Deus iustificationis est auctor, ita homo deuotionis est debitor.* Diuus Augustinus de mollibus ait: *Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite. Si compatimur, & conregnabimus: si mortui fuerimus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum eo. Via, qua itur ad cælum, Christus est, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam.* Duobus item discipulis eandem gloriam ambientibus, hanc eandem vnam ostendit, cùm ab eis requirit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Nemo indignè secum agi putet, si ab eo pretium exigitur, quod cælestis Pater à Filio, Filius ab amicissimis Apostolis, atque adeò à fratribus suis requisiuit. Quis enim emptus à mercatore pallium, de pretij caritate queratur, si mercator iuret se non alio pretio & fratribus suis & filiis etiam vendidisse? *Nemo ergo de pretio queratur: verè enim non sunt condignæ passiones huius seculi ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Momentaneum enim & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Innocentissimus Iob illum sincera dilexit charitate, qui semper in Deum retinuit innocentiam. Hoc autem virtutis gene

Templum spirituale.
Exod. 25.
Heb. 12.
Christi vita crux.
Leo Papa.
Augustin.
2. Tim. 2.
Luca 24.
Via ad cælum Christus est.
Simile.
Rom. 8.

Act. 5. genere, non video quid esse possit laudabilius. Sic Apostoli gaudentes ibant à conspectu concilij, quia sciebant quę verberibus illis esset merces in cælo reposita, quòd digni essent pro nomine Iesu contumelias pati. *Si nō venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberēt, &c.* Hæc non Iudæis modò, sed nobis etiā dicta putemus. Nec enim minora nobis ad pietatem adiumenta, quàm illis ad fidem argumenta data sunt. Quocirca si illorum perfidia excusationem non recipit; vehementer timendum est, ne fortè obstinata multorum prauitas non admittat. Quod vt apertiùs intelligatis, expendamus quid sibi Dominus velit, cùm ait: *Si non venissem, &c. peccatum non haberent.* Cur enim peccatum nō haberent? Peccati nomine hoc in loco non omnia peccata; sed infidelitatis peccatum intelligit. Sublata fide, cætera omnia peccata manent, quæ nisi per mediatoris Christi fidem remitti nequeunt. Ab hoc autem peccato Iudæos immunes futuros fuisse ait, si eos ipse Dominus ad fidem & signis & verbis erudiendos minimè suscepisset. Omnes quotquot infidelitatis peccato obnoxij sunt, æterno supplicio mulctabuntur, non quidem ob infidelitatis peccatum (à quo illa inuincibilis, vt vocant, ignorantia excusat) sed propter alia multa flagitia, quæ ipsi non contra fidei lumen (quo caruerunt) sed contra naturale lumen, quod mentibus nostris cum ipsa simul natura impressum à conditione fuit, admiserunt. Sicut enim extra arcam Noë, domúmque Raab in Iericho, nulli salus contingere potuit; ita nec extra Christi fidem & Ecclesiam. Nunc, quæso, expendamus cuiusmodi nos maneat pœna & periculum. Si barbaræ nationes sine fine cruciandæ sunt, quo nos timore concuti par est, qui tam multa alia ad pietatem & iustitiam adiumenta percepimus? Quid in excusationem adferemus? Verè ait Saluator: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Magnum ergo nobis, Auditores, ob admissa flagitia periculum impēdet, nec minus tamen ob accepta beneficia & salutis adiumenta neglecta. Hìc idem Dominus cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ fuerant plurimæ ipsius virtutes, quæ tamen in his quidem diuinæ virtutis argumentis ad pœnitentiam excitatæ fuerint. Quæ ratio D. Thomam impulit, vt dicat, leuiori apud inferos pœna propter scelera sua infideles, quàm fideles, esse puniendos. Hæc diligēter animo pertractemus. Pretium animarum nostrarum sanguis Christi est. Quin &

Peccatum infidelitatis maximum.

Infideles dānantur.

Genes. 7. Iosue 6.

Ioan. 3.

Matt. 11.

D. Thomas.

Martyrum etiam & Apostolorum sanguine hæc tanta salus ad nos vsque perlata est. Hi vt fidem confirmarent, præceptoris sui exemplo acerbissimis suppliciis vitam profuderunt. De horum numero gloriosi Apostoli Simon & Iudas (quorum hodie festum diem celebramus) exstitere: de quibus illud certum est, quòd simili cum cęteris Apostolis studio fidem Christi propagarunt, similémque martyrij coronam adepti sunt. Eorum vitam apud probatos Ecclesiasticos Scriptores inuenies. Nos autem, Auditores, eorũ fidem, charitatem, patięntiam, constantiam, diuinæ gloriæ studium, & vitæ puritatem imitari studeamus: vt eorum vestigiis insistentes, ad eorum tandem societatem peruenire mereamur.

TRACTATIO THEMATIS.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Ioan. 15.

CONSTAT similitudinem amicitiæ & coniunctionis; dissimilitudinem verò inimicitiæ atque dissensionis causam exsistere. Sic videmus inter elementa, quæ contrariis qualitatibus cõstant (qualia sunt ignis & aqua) irreconciliabile bellum esse, cùm tamen ignis & aër, cæteráque elementa, quæ symbola nuncupantur, hoc est, quæ in altera qualitate consentiunt, vix vllum inter se dissidium patiantur. Cùm ergo tanta inter pios & improbos dissẽsio sit; cùm illi charitate, isti cupiditate; illi Spiritu Dei, isti spiritu dæmonis agantur; illi Dei leges, isti mundi leges attendant; illi carnem suam crucifigere cum vitiis & concupiscentiis semper studęant, isti ventrem suum sibi in Deum elegerint, deliciis affluere, fouere contendant: quæ pax, quæ amicitiæ consensio inter tam diuersa studia & vota esse queat? Hinc Salomon: *Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra illum.* Quæ quidem dissensionis & pugnæ causa, omnes alias, quæ inter homines reperiuntur, antiquitate superat, adeò vt cum ipso penè mundi exordio nata sit. Quid enim fratricidam Cain in tam exitiale aduersus innocentissimum fratrem odium impulit, nisi quòd (vt Ioannes ait) *opera eius praua erant,*

Simile. *Galat.* 5. *Prou.* 14. Prou. 28. *Ioan.* 1.

erant, fratris autem iusta? Quid verò Iacob & Esau fratres geminos referam? quorum alter electorũ, alter reproborum typum tenet, qui nondum in lucem editi, in matris etiã vtero decertabant: hanc videlicet rixam, atque vetustissimum dissidium inter probos & improbos adumbrantes. In hanc autem sentẽtiam Apostolus diuorum quoque filiorũ Abrahæ exemplum adducit: *Sicut enim*, inquit, *is qui secundùm carnẽ natus erat*, &c. Huius dissidij causa est partim vtriusq; vitæ dissimilitudo: partim etiam tacita quædam improba vitæ, ex piorum comparatione, damnatio. Scitum est illud diui Augustini, *Nihil ita condemnare vitam malorum, quàm vitam bonorum.* Vt enim pulcherrima quædam imago iuxta deformem posita, eius deformitatem magis conspicuam reddit: ita virtutis & honestatis splendor, qui in piorum moribus elucet, flagitiosorum hominum dedecus & turpitudinem apertiùs detegit & ostendit. Hæc à nobis dicuntur, Auditores, partim vt quicumque piè & reuerenter Deum colitis, patienter aliorum detractiones & irrisiones perferatis, intelligentes Christiani hominis vitam esse, bona facere, & mala pati, vt Bernardus ait, & beatos à Domino prædicari qui persecutionem propter iustitiam patiantur: partim vt quicumque iustorum simplicitatem deridetis, ipsósque dicteriis, confictísque nominibus & ignominiosis perstringitis, cælestem vindictam formidetis, illámque Domini vocem extimescatis: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Vnde euenit, vt sæpè Dominus multò seueriùs suorum iniurias, quàm suas vlcus sit. Admonet nos opportunè Sapiens, cùm ait: *Ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* Septies enim in die cadet iustus, & resurget, impij autem corruent in malum: hoc est, ita corruent, vt in eodem luto semper infixi iaceant. *Si*, inquit Christus, *de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret*: hoc est, si mundano more vitam institueretis, nequaquam mundus damnare posset, quod ipse moribus suis probat: quia verò longè alia ratione vitam agitis, necesse est, vt auersetur mundus, quod ipse viuendo non probat. Certè Seneca hominem virtutis studiosum hoc sibi nomine gratulari debere ait, quòd à perditis hominibus improbaretur. Pergit deinde Dominus exemplo iterum suo discipulos ad futuros labores & persecutiones præmunire, dicens: *Mementote sermonis mei, quẽ ego dixi vobis: Si me persecuti sunt, &* quo-

Proborum & improborum cõditio. *Galat. 4.* *Augustin.* *Simile.* *Bernard.* *Psal. 104.* *Zachar. 2.* *Prou. 24.* *Seneca.* *Gloriatio nostra quæ esse debeat.*

quod perinde est, ac si diceret: Nemo putet maiori se dexteritate clauum vitæ moderari posse, quàm ego moderatus sum. Quòd si nec mihi quidem mundus pepercit, qui sic vixi, qui tot mundum beneficiis affeci, tot signis ad fidem adducere conatus sum, quæ vobis spes reliqua salutis & incolumitatis esse poterit? Sic planè discipulis euenit, vt hoc in loco Dominus prænunciauit. Omnes enim illos mundus variis tormentorum generibus è medio sustulit, omnesque (excepto vno Ioanne) præceptoris sui exemplum secuti, morte sua Deum glorificauerunt, æternámque martyrij palmam adepti sunt. Rectè inquit diuus Augustinus: *Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite.* Fuerunt Christi Domini & Ecclesiæ columnæ, & fidem, qua nunc omnes meritò gloriamur, ad nos ipsi capitis sui dispẽdio, quasi hæreditario iure, transmiserunt. In hac Catholica & Apostolica fide permaneamus, & aduersus cupiditates nostras perpetuò decertemus, quo seminantes in lacrymis, in exultatione metamus: vt sic tandem ad eorum, quorum festa recolimus, societatem, eodem Domino adspirante, peruenire mereamur. Amen.

Augustin. Ad Apostolos oratio.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM, CONCIO: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur, & de vera beatitudine, deque itineribus, quibus ad eam peruenitur, ac de multiplici Sanctorum varietate differitur.

THEMA. *Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5.

DVo sunt in primis, Auditores charissimi, scitu necessaria iis qui aliquò proficisci parant: alterum locus ipse quò tendunt, alterum via, qua ad illum tẽdere debeant. Nos autem, Auditores, quàm diu in hoc mortali corpore degimus, in itinere constituti sumus. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Aduenæ siquidem in hac regione & peregrini sumus: sicut omnes patres nostri, qui ex ea tamquam peregrini aliò commigrarunt, velut & nos quoque suo tempore commigrabimus. Quocirca necesse est, vt quò tendimus, & qua via tendendum nobis sit, ante omnia

Hebr. 13. Peregrini sumus.

omnia cognoscamus. Vtrumque autem sine vllo errore no præsens sancti Euãgelij lectio docet. Cùm enim in fine Dominus ait, *Gaudete & exsultate, quia merces vestra copiosa est in cælis*: apertè, quò tendamus, declarat: nempe ad cælesti regnũ, in quo hæc merces copiosa percipienda est. Cùm verò octo clarissimarum virtutum genera (quas Beatitudines appellamus) enumerat; itinera ostendit, quibus ad hoc beatitudinis regnum peruenitur. His námque itineribus Sancti omnes (quorum hodie festum solenni deuotione colimus) ingressi sunt. Omnes enim per varios labores atque certamina has virtutes coluerunt, & per eas, tamquam per gradus quosdam, aditum sibi ad hoc regnum parauerunt. Desideratis patriam? viam, qua ad illam itur, minimè refugiatis. Vt autẽ ad hoc nos pia mater Ecclesia (quæ in nostras semper vtilitates intenta est) acriùs incitaret, omnium hodie Sanctorum festũm solenni deuotione celebrandum instituit: non solùm vt infirmitatem nostram multiplicatis eorum suffragiis adiuuaret, sed etiam vt torporem atque desidiam nostram tot propositis exemplis ad eorũ imitationem accenderet. Magno Spiritus sancti consilio Ecclesia hoc instituisse videtur. Primùm quidem, vt quæ per socordiam iniuriam in cæteris Sãctorum festis deliquimus, aut minus plenè præstitimus, huius saltem diei ampliori deuotione pensaremus; & vnus dies ritè celebratus aliorum omnium negligentias resarciret. Deinde vt hoc vno die Sanctorum plurimis, quibus singulares dies festos decernere nõ vacat, debitam eorum meritis laudem hac saltem ratione impenderemus, quando aliter non possumus: cùm omnes anni dies intra angusta spatia contineantur, Sanctorum autem numerus vix comprehendi possit. Item, vt multos nobis in cælis aduocatos comparare possimus. De sua salute sunt securi, de nostra sunt soliciti. Sunt ciues nostri, & nostram valde exoptant salutem.

Beatitudinis itinera.

Sãctorum meritu adiuuamur.

Festi omnium Sãctorũ ratio.

Augustin.

AVE MARIA.

Beatitudo quid sit.

Quoniam beatitudinis nomen toties in lectione sancti Euangelij hodie inculcatur; quid ea sit, primo loco explicandum nobis est. Ea verò est (vt breuissimè dicam) status optimus atque perfectissimus, vltimaq; perfectio, ad quam humana natura, partim diuina gratia, partim industria & labore suo adiuta, peruenire potest. Deus omnia condi

& creauit perfecta:verùm nihil adeò perfectum & absolutũ, quin perfectius reddi posset. Metalla,gemmæ,atque lapilli, rudia & inculta è terræ visceribus eruuntur,arte purgantur & expoliuntur,& nouum quendam nitorem capiunt. Arbores cultu nutriuntur,& à paruis initiis ad iustam magnitudinem excrescunt. Quod etiam cunctis animantibus contingit. Sic etiam supernæ mentes,vbi se in Deum erexerũt, non solùm in gratia confirmatæ,sed æterna etiam felicitate donatę sunt. Homo inter Angelos & animantia cætera medium quendam obtinet locum:cõsequens est,vt intellectu & mentis acumine quãdoque Angelicæ naturæ propior sit, quandoque verò tarditate ingenij vix vno gradu distet à brutis. Vnde videre est,quosdam homines pecudibus similes, quosdam verò paulò Angelis inferiores. Quidam ita sunt diuina gratia exculti, vt inter supremos Angelorũ ordines meritò collocandi sint. Tales fuerunt martyres Christi,& anachoritæ illi in solitudine, quibus dignus non erat mundus. Nec viri modò,sed insignes etiam fœminæ & virgines sedes easdem promeritæ sunt. Ad hunc statum perfectissimum,id est,beatitudinem & felicitatem, adspirantes, summis vigiliis peruenerũt. Sicut ille qui magna siti laborabat,vbi ad satietatem vsque ebibit,non ampliùs sitit,neq; iuxta fontem positus,aquæ desiderio mouebitur:ita qui ad hunc statum peruenit,nullius rei desiderio laborat. Ad hunc felicissimum ac planè diuinum statum ab auctore naturæ conditi sumus:hunc igitur spectare debemus. Vt sagittarij signum primò intueri debent,quo rectà sagittas ad illud iaciant: atque vt nauta,quem portũ petat, priùs debet agnoscere,vt ad illum nauigationis cursum dirigat: ita oportet vitæ finem ante oculos proponere, & eò cursum dirigere. Nunc,quoniã de fine, id est, de portu felicitatis nostræ diximus; de itineribus,quibus ad eam peruenitur, restat vt pauca dicamus. Hanc quæstionẽ auctor felicitatis ipse absoluit,qui iuueni felicitatis huius cupido ait: *Si vis ad vitã ingredi,serua mandata.* Exiguo sanè pretio æternam vitam nobis promittit,quam ipse sanguine suo comparauit. Verè, Domine,pro nihilo saluos nos fecisti,quamuis nos de nihilo redemeris. Habemus in hac lectione optima consilia salutis nostræ. Hæc cælestis magister cùm aliàs,tum præcipuè in præsenti lectione explicat: in qua ex omnium virtutum choro octo potissimùm elegit,quæ quàm maximè nobis ad beatitudinem viam sternũt,per quã omnes Sancti

Homo Angelis propior.

Dionysius Rickel.

Simile.

Simile.

Finis intuendus semper.

Matt. 19.

eò peruenerunt. Omnes enim pauperes spiritu, omnes mites, misericordes, mundi corde, & pacifici fuerunt: omnes, dum hîc agerent, esurierunt & sitierunt iustitiam: omnes piis lacrymis & sua & aliorum delicta luxerunt: omnes varias mundi infestationes, propter tuendam pietatem & iustitiam, perpessi sunt: ideóque plenissimam modò laborum suorum mercedem in cælo percipiunt.

Sancti quibus luxerint virtutibus.

Beatitudo prima. Earum prima est, paupertas spiritus: hoc est, voluntaria terrenarum rerum contemptio, quæ in summa etiam rerum copia esse potest; vt in Abrahã, Dauide, & beato Gregorio Pontifice, diuo Seuerino Episcopo Coloniensi, qui in maxima terrenarũ opum abundantia constituti, minùs eas diligebant, quàm sanctus quidam eremita catellam, quã apud se nutrierat. Rogatus quidam Sanctus quæ res maximè homines Deo coniungeret, *Paupertas*, inquit, *ac terrenarum rerum contemptio.* Harum enim amore superato, mens nostra, terrenis vinculis soluta, sponte sua in cęlestia, tanquam sibi cognata, & naturæ suæ finitima, perducitur. Vt enim magnes ferrũ, propter occultam quandã vtriusque naturæ cognationem, ad se in aëra eleuat, & immobile atque suspensum tenet: ita mentem à terrenarũ rerum amore purgatam, Deóque iam similem effectam, facilè Deus ipse ad se rapit, & arctissimo charitatis nexu sibi deuincit. *Cupiditas est radix omnium peccatorum. Radix omnium malorum est cupiditas. Nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Auaro nihil scelestius.* Non ingens opum multitudo, sed cupiditatis abdicatio quietem animis affert. Ille in hac vita incipit esse beatus, qui ad hunc terrenarum rerum contemptum potuit peruenire. Ad hunc statũ felicitatis nos inuitat Propheta: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Dictũ sancti Francisci. *Simile.* *1. Tim. 6.* *Eccl. 10.* *Diuitiarũ cõtemptus optimus.* *Psal. 65.*

Secunda verò beatitudo, mansuetudinis est: de qua Dominus, *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi poßidebunt terram.* Sicut autẽ paupertas spiritus nos primùm ab ingenti cupiditatis tyranno eripit: ita lenitas & mansuetudo ab alio quoque truculentiori, nempe furore & iracundia, liberat. Iracundia tot in mundo contentiones, dissidia, homicidia, bella, strages denique excitat. Hæc animum excæcat, & rectitudinis suæ statu deducit. Mansuetudo, quæ Sanctorum communis est virtus, hominem Deo coniungit & conglutinat. *Quoniam*, inquit Propheta, *tu Domine suauis & mitis & multa misericordia omnibus inuocantibus te.* Iam vero quid aliud illa Domini Saluatoris verba prædicant: *Discite*

Iracundiæ malum. *Psal. 85.* *Matth. 11.*

à me, quia mitis sum, & humilis corde? Qua de causa idem Dominus frequentissimè in literis sanctis Agnus appellatur. Vnde consequens, vt agnus agnos, tanquam sui similes, per amorem sibi coniungat. Nec solùm Deo, sed hominibus etiam miro modo grata & amabilis mansuetudo est. *Eccl. 3.* Fili, inquit Eccles. *in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Contrà verò de iracundo homine ait: *Spiritum verò ad irascendum facilem quis sustinebit?* *Prou. 18.* Quamuis virtus mansuetudinis sit grata & suauis, nulli tamen, quàm eam possidenti, gratior atque iucundior est. *Mansuetudo cui suauis sit.* Præmium huius beatitudinis Dominus terram statuit, non hanc quam calcamus, sed terram viuentium, quam proprio vocabulo regnum cælorum appellauerat. In hac virtute Moyses & Dauid valde excelluerunt. *Num. 12. 1. Reg. 24.*

III. Sequitur deinde: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quî fieri potest, vt, qui lugent, beati sint? Duplex est luctus, sicut duplex etiam tristitia est. Hoc autẽ in loco non de luctu siue tristitia seculi, sed de pio luctu lacrymísque sermo est. Sunt lacrymę, quas peccati dolor, sunt quas exprimit Christi amor: & vtræque sanè dulces sunt. Lugent enim verè pœnitentes, dum recogitãt omnes annos suos in amaritudine animæ suæ. Hi lugent & dolent. Sicut enim sanitatis signum est vulnerum dolor: ita spiritualis salutis & gratiæ vehemens peccatorũ dolor exsistit. Corpus panibus reficitur: ita pia mens lacrymis delectatur. *Simile.* *Tristitia quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* *2. Cor. 7.*

IIII. Sequitur deinde: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã.* Iustitiæ propriũ est munus, vnicuique, quod debitũ est, fideliter reddere. Quid autẽ magis debitũ & iustum est, quàm vt benignissimo conditori nostro pareamus? illũ diligamus? *August. lib. 19. de Ciuit. Dei.* Ex quo satis liquet, totius iustitiæ summã obediẽtia & charitate in Deum contineri. Sed cur Dominus, esuriendi & sitiendi, pro desiderandi verbo vsus est? Certè, quia cùm cibo & potu vehementer indigeamus, sic harũ rerum desiderio afficimur, vt cætera omnia, quamlibet sint pretiosa, pro his adipiscendis facilè vel deseramus, vel commutemus. Dicit quidam de iumentis, ea videlicet malle fœnũ quàm aurũ: ita homines etiã, vrgente fame, cunctis mundi opibus panem præferre. Dominus igitur hîc non quæuis desideria, sed ea intelligit, quibus ita homines cælestium rerum flagrant desiderio, vt propter ea cõsequenda pro nihilo cuncta ducant. Sunt autem optima bona, vt virtutes, expetenda.

V. Sitientibus iustitiam additur quinta beatitudo, præstātium misericordiam, *Beati*, inquit, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hos Gregorius Nyssen. ait verè beatos appellari, quòd Dei munus & officiū inter homines exerceant; cuius est misereri semper & parcere. Quo nomine non tam beati, quàm dij, vel filij Dei, appellādi sunt; quòd sic ad viuum eius imaginem miserando referunt. Hic misericordiam suam vel maximè declarat, quòd eam præcipuè misericordibus impendit. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam*, inquit Iacobus. Apparet quàm sit hæc virtus necessaria ei, qui misericordia indiget. Quis est autem inter mortales, qui ea non indigeat? Talem te præbere cæteris hominibus debes, qualem tibi Dominū exhiberi velis. Vnde ille Deum purissimo cuidam speculo comparat, quòd perfectè eam imaginem refert, quam ante illud proponis, siue lætam, siue tristem, siue formosam, siue deformem. Quæ quidem varietas non ab ipso speculo, sed ab imaginis varietate, quæ illi obiiciuntur, emanat. Pro cōperto habeatis, Auditores, hoc eodem modo, cùm extremus ille dies aderit, iudicis faciem aut placabilem aut implacabilem, aut hilarem aut tristem vos esse visuros, qualem vos fratribus in hac vita exhibuistis.

Dei propriū quid. — *Iacob. 2.* — *Greg. Nys.* — *Iudex qualis nobis apparebit.*

VI. Sequitur deinde sexta ad beatitudinem via, eorum qui mundo sunt corde, de quibus Dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sicut autem antecedētem misericordiæ viam, qui actiuam vitam exercuerūt: ita præsentem illi præcipuè sectati sunt, qui se totos contemplatiuæ vitæ studio dediderunt. Horum præcipua fuit cura, mentis aciem ab omni labe atque terrena fæce purgare, quo, splendidissimos Solis iustitię radios in ea velut in purissimo speculo recipiētes, ampliori diuinæ bonitatis cognitione irradiarētur. Ideò apposite satis huic puritati, diuinæ lucis visio proponitur: quæ vt luscosis & ægris oculis odiosa, ita mūdis & puris est amabilis. Illis solùm Deus sapit, qui purgata mente sunt. Qui ad hanc felicitatē peruenire desiderat, puritati cordis studeat, eamq; vitæ suæ scopū statuat. Imitare venatorum solertiam, qui accipitrum, quos in manu gestāt, oculos iniecto tegumento operiunt, ne facilè circumuolantium auium aut aliarum rerum specie exagitentur.

Cassianus. — *Simile.*

VII. Septima ad beatitudinem via, pacificorū est, de quibus Saluator: *Beati pacifici, quoniā filij Dei vocabuntur.* Hi sunt, qui non modò ipsi intra se & cum aliis pacati sunt, sed pacē

quoque inter alios conciliare student. Vt enim filiorũ diaboli munus est, clancularijs delationibus seminare discordias inter fratres: ita contrà filiorũ Dei est, cunctos homines mutua beneuolentia deuincire. Amator enim & conditor hominum Deus, pacis & dilectionis est cõciliator. *Non est*, inquit Apostolus, *Deus dissensionis, sed pacis.* Triplicem pacem sancti Patres esse statuunt: primam, quã cum Deo: aliam, quam cum hominibus: tertiam, quam nos ipsi intra nos habemus, quando videlicet affectus nostri, & inferiores animę vires, aduersus rationis imperium minimè reluctantur, sed eius præceptis & moderationi obtemperant. *Diaboli filiorũ munus quale.* *1. Cor. 14.* *Pax triplex est.*

VIII. Sequitur postrema & perfectissima beatitudo, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã*, &c. Hæc vt extrema, ita summa huius vitæ felicitas est, ad quã cætera ordinantur. Neque enim altiùs aut charitas, aut vlla præcedentium beatitudinũ ire potest, quã vt homo non modò iustus sit, sed etiam persecutionẽ propter iustitiam patiatur. Vnde in hoc potissimùm Paulus gloriatur, cùm se in tribulationibus gloriari dicit. Hanc viam Dei Filius tota vita sua non verbis solùm, sed clarissimis etiam exemplis docuit; quem virum dolorũ, & scientem infirmitatem, Esaias appellauit. *Eius vita fuit fasciculus myrrhæ*, id est, fasciculus dolorũ & lacrymarum. Ille fœlicior atque beatior, qui huic probitatis & sanctitatis speculo fuerit similior. Huic beatitudini Dominus præsens promittit prẽmium, alijs futurum: *Ipsorum*, inquit, *est regnum cælorum.* Iam enim gustarunt bonum Dei verbum. An vlla maior beatitudo, quàm Dei amicum esse, & gratiã apud illum inuenire? Constat ex Patrum sentẽtia, nullum esse diuinæ gratiæ certius signum, quàm libenter & æquo animo varias propter Deum persecutiones perpeti. *Tribulatio operatur patientiam.* Ille facilè irridet hominum maledicta, qui intra conscientiã suam bonũ gestat testimonium. *Gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ est.* Hæc sunt itinera, quibus ad sempiternæ salutis portum peruenitur: hæ virtutes, quibus ingens ea merces proposita est, de qua Saluator ait in præsenti lectione: *Gaudete & exsultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Hac tanta mercede proposita, quid arduum ac difficile homini Christiano offerri potest, quod non libenter & alacriter amplectatur? Huius mercedis respectu, martyres omnes non modò mundi huius delicias, sed ipsam etiam vitam, adeóque proprium corpus despexerunt. Quòd si mercedis huius dignitatem *Roman. 5.* *Esaiæ 53.* *Cantic. 1.* *Hebr. 6.* *Roman. 5.* *1. Cor. 2.*

Genes. 15. ſcire cupitis merces ipſa Deus eſt. Sic olim Abrahæ ſignifi-
1. Cor. 2. cauit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus*, &c. *Oculus
non vidit, auris non audiuit*, &c. Non ad martyrium inuita-
mur, ſed diuinorum mandatorum leuiſſimam ſarcinam fe-
rẽdam, eodem propoſito præmio. Quæri poteſt, quæ futura
hominis merces & beatitudo? Hanc eandem eſſe denuncio,
quam vnius Dei propriam dico. Sicut enim is reuelata facie
infinitam pulchritudinem ſuam videt, & infinito amore di-
ligit: ita nos quoque illum videbimus, amabimus, eóque
fruemur, licèt illius infiniti decoris immenſitatem minimè
comprehẽdere valeamus. Hinc Ioannes ait: *Filioli, nunc filij
Ioan. 3. Dei ſumus*, &c. Quale quæſo erit, homuncionem ex limo
terræ concretum, non ad Angelorum modò, ſed ad Dei ſi-
militudinem eleuari, & eius gloriæ conſortem fieri? Non
Diſsimile. igitur ita ſe Dominus maieſtatis cũ electis ſuis, atq; Reges
terræ cum famulis gerunt. Alio enim ſerui cultu, alia mẽſa,
aliis dapibus & apparatu vti ſolent. At ſummus ille cælitum
Imperator Imperator & Dominus, eadem nos tunica immortalitatis
noſter Chri veſtiet, eadem nos menſa, eodemq́ue cibo alet, quando eiuſ-
ſtus eſt. dem nos felicitatis participes efficiet. *Ego*, inquit Saluator,
Luca 22. *diſpono vobis, ſicut & Pater meus diſpoſuit mihi regnum*, &c.
Idem autẽ ipſe qui hoc promittit, ſanguinis ſui pretio no-
bis hoc tantum munus mercatus eſt. Per illum enim cæle-
ſtis Pater maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt vi-
2. Pet. 4. delicet diuinæ efficiamur conſortes naturæ. Hac ergo tan
felici ſpe atque mercede propoſita, Auditores, omnem tor-
porem & ſomnum ab oculis excutere ſtudeamus: per ha
beatitudinis ſemitas, quas Saluator propoſuit, gradiamu
vigilemus, oremus: Sanctorum omnium, quorum ſolenn
celebramus, opem imploremus, illos nobis patronos, vit
duces, virtutum exempla proponamus; vt ipſorum precib
& clariſſimis exemplis adiuti, ad eorum tandem ſocietate
peruenire mereamur. Quæret fortaſſe aliquis, cur ama
Beatitudo omnium Deus tot laboribus beatitudinem parari volue
labore cõ- Quòd ſi dixeris, laboris huius cauſam non Dei voluntate
paratur. ſed voluntariam hominis culpam exſtitiſſe, qui ſe pecca
non modò maculauit, ſed gratuitis etiam Dei donis ſpol
uit, quibus ad beatitudinem peruenire ſine labore potuiſſ
contra hoc rurſum inſtare aliquis poterit; Cur ipſe Do
nus, qui ruinam hominis impedire potuiſſet, hoc fac
diſtulit? Si id enim feciſſet, ô quàm multorum malor
Rom. 11. materiã ſuſtuliſſet! Quis igitur ſenſũ Domini cognoſce
&

& iudicia illius atque consilia penetrare valeat? quid quæso nos facere par est, qui humi repimus, & vix ante oculos & in prospectu posita cognoscimus? Licèt Dominus permiserit ruinam malorum, attamen numerus electorum permansit integer & illibatus. Siue enim cadente homine, siue stante, non minor fortasse prædestinatorum numerus fuisset: quem solus ille nouit, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Iam expendamus breuiter quæ bona ruina humani generis præbuit. Primum igitur hinc Dominicę incarnationis & passionis mysterium occasionem sumpsit. Si enim homo nō peccasset, Filius Dei (vt plerique Sanctorum tenent) minimè humanā naturam inexplicabili ratione sibi copulasset, nullo modo crucis supplicium pertulisset. *Tolle*, inquit Aug. *morbos, tolle vulnera, nulla erit medico veniendi causa.* Si homo non peccasset, sicut neque humanitas Christi, ita neque beata virgo Christi mater futura fuisset: atque ita defuisset mundo hæc summa dignitas & margarita pretiosa, quæ cunctas illustrat Ecclesias. Quid enim mirabilius ea puritate ac sanctitate, quā in sexu adeò fragili diuina gratia operata est. Dicit igitur Ecclesia felicem culpam, & necessariū prædicat Adæ peccatū, quod tantis mysteriis occasionem dederit. Adde etiam mirabilem Sanctorum varietatem, quę non modò præsentem, sed futuram etiam Ecclesiā maxima donorū gratiarumque varietate honestat & ornat. Perfectum corpus ex diuersis membris constituitur. Lapsus ille quamuis & dolendus & miserandus, diuinæ tamen prouidentiæ beneficio variis in Ecclesia Sanctorū Ordinibus occasionē dedit. Si enim nullum peccatū exstitisset, vbi tunc Prophetæ? vbi Patriarchæ? vbi Apostoli & Euangelistæ? vbi Martyrum exercitus? vbi Confessores? vbi Virgines? Defuisset igitur hæc tam miranda Ecclesiæ varietas, quæ eius maximè pulchritudinē illustrat, diuinæq; gratię virtutem mirificè declarat. *Adstitit regina à dextris tuis*, &c. Vide de tunica polymita Ioseph, quæ mirabilem hanc Ecclesiæ varietatē repræsentat. Nemo carnis fragilitatē & naturę imbecillitatem in excusationis suæ velamen obtēdere poterit, cùm videat Sanctos nostri similes trāsiisse. Vide quomodo pugnarūt. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituū*, inquit ille. Ait Apost. *Alij ludibria & verbera experti sūt*, &c. Vide quę Apostolorū dignitas. Quibus laudibus prędicemus Martyres, fortissimos Christi milites? perseuerantiā fidei eorum? Tres pręcipuę orbis partes glorioso

Psal. 146.

Ruina Adæ quid boni attulerit.

August.

Psal. 44.
Genes. 37.

3. Reg. 19.
Hebr. 11.

Martyrum cruore cõsecratæ sunt. Aliquando sex mille Martyres interfecti, aliquando decem mille patibulis affixi, aliquãdo vndecim mille simul Virgines trucidatæ. Quid verò sanctissima Confessorum agmina commemorem? Fuerunt hi Doctores & Magistri, Ecclesiæ duces ac propugnatores, Anachoritæ. Quis autem Virginum gloriam silentio præterire possit, quæ in carne non secundùm carnem viuentes virgineam puritatem ad extremum vsque vitæ diem cõseruarunt? Videmus quã varietate militantẽ & triumphantem Ecclesiam Deus decorauerit: videmus quæ felicitas piis in cælis proposita: videmus quibus itineribus ad hanc peruenitur, quibus stimulis corda nostra excitentur. Excitat mercedis magnitudo, Sanctorũ exẽpla, diuinæ gratiæ vis admirãda, quæ nulli interclusa est. Adspiret diuina gratia. Amen.

IN COMMEMORATIONE OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM

Sermo à F. Petro Cratepolio collectus.

THEMA. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* Ioan. 5.

DVÆ sunt resurrectiones: vna, qua, si in fide ipsa perseuerantes manemus, in æternam resurgemus vitam. Qui vocẽ filij Dei audient, nihil est aliud quàm qui obedient: qui ergo obedierint, viuent. Impij sceleribus contaminati, mortui dicuntur: cùm autem diuino fauore peccata relinquunt, & gratiam cõsequuntur, viui nominantur. Homo occidit quidem per malitiam animam suam. Ex quo colligimus, impium hominem esse ipsius homicidam. *Anima* enim *quæ peccauerit, ipsa morietur.* Sic anima mortua est in corpore viuo: isti sunt in vitiorum tumulo sepulti, de quibus dicitur: *Ossa arida, audite verbum Dei.* Cæterùm quando Deus præcepit ne quis hominem mortuum attingeret, volebat in primis prohibere ne quis impiis hominibus familiariter vteretur. Qui enim sunt vitiis inquinati, mortui vocantur. Sed beati qui audiunt verbum Dei, vt à vitiis resurgant. *Venit hora,* inquit Ioãnes, *& nunc est, quando mortui audient vocẽ Filij Dei: & qui audierint, viuent.* Sicut fulmen ensem attingens, vaginã for-

Sap. 16.
Ezech. 18.
Ezech. 37.
Anima in viuo corpore sepulta.
Simile.

integram relinquit, ferrum autem intus ferit: sic lethale flagitium corpus viuum foris relinquit, animam autem intus occidit, separans ab illa gratiam, quæ est animæ vita. *Amen, amen.* Geminat, vt certiorem faciat sermonem. *Et nunc est,* inquit: ne longo pòst tempore futuram arbitreris. Hîc poteris tractare, quòd non debeamus conuersionẽ differre, quia semper est hora parata, & nunc quando debeas audire vocẽ Domini, siue sit interna, siue externa admonitio & inspiratio. *Quãdo mortui audiẽt*, id est, peccatores vita gratię destituti. Ait Paulus: *Vidua viuens in deliciis, mortua est.* Et qui 1. Tim. 5. audierint verbum Christi obediendo, viuent vita gratiæ in via, & vita gloriæ in patria; sed perseuerantia coronabitur. Nemo audit salubriter verbum Dei, nisi per inspirationem Spiritus sancti, cuius cor tetigerit, & erudierit mẽtem eius, fundendo radium sapientiæ intellectui eius. Ait Esaias: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Hîc Esaiæ 50. docemur, ne idoneum istud credẽdi tempus omittamus, ne condemnemur. Præsens doctrina complectenda, si ad æternam vitam peruenire velimus. Venit hora, quando omnes finaliter resurgent, quando audient vocem eius. Sic audiuit Lazarus: *Veni foras.* sic audiuit filia Archisynagogi & filius Ioan. 11. viduæ: & ideò signãter dicit, *Et nũc est*, quia per me incipiũt Lucæ 17. iam mortui resuscitari. Tota autẽ natura ad nutum obedit Matth. 9. voluntati diuinæ. *Vocat ea quæ non sunt tãquam ea quæ sunt.* Roman. 4. De eo rectè dicitur: *Qualis est hic, quia vẽti & mare obediũt ei?* Huius verba, siue eius ministrorum, habent vim viuificatiuam. *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus &* Ioan. 6. *vita sunt.* Et sic viuificat, dũ iustificat impios. Et quia auditus est via ad vitam, vel naturæ per obedientiam, ad reparationem vitæ & iustitiæ: ideò dicit, & qui audierint per obedientiã, quantũ ad resurrectionẽ corporũ; vel fidem, quantum ad resurrectionẽ animarum; viuent in corpore in æterna vita, & in ista vita gratiæ. *Sicut enim Pater habet vitã in semetipso.* Pater vitam habet, non aliunde, sed in seipso; vt ipsa vita sibi sit ipse. *Sic dedit & Filio vitã habere in semetipso.* Vides Filiũ æqualẽ Patri: vt solùm intersit inter Patrẽ & Filium, quia Pater habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit: Filius autem habet vitam in semetipso, quam Pater dedit. Hic Pater, à quo habet vitam, dedit & iudicandi & viuificandi virtutem: nolo autem miremini, cùm me videatis hominem, cùm mortuos me resuscitaturum, ac in iudicium deducturum pollicear. Nos non habemus vitam à nobis

ipsis,sed à Deo:corpus habet vitam ab anima,anima à Deo. Pater est viuens per essentiam,ita & Filius.

Ait:*Et potestatē dedit ei iudiciū facere,quia Filius hominis est.* Quænam tam frequens iudicij,vitæ,resurrectionis commendatio? Quoniam hæc omnium maxima sunt, & quæ possunt difficilem etiam auditorē ad credendum adducere. Qui enim credit resurrectionem,& scelerum pœnas,etiam sine aliis signis hoc solo assentietur,& beneuolum sibi iudicem reddere curabit. Deus Pater dedit Filio iudicij potestatem, & non quia suus,sed quia Filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum, vult per hominem homines iudicari:quo,in tanta trepidatione malorum,electis fiduciam præstet naturæ similitudo. *Deus* (inquit Dauid) *iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Sic & Angeli loquebantur ad Apostolos:*Hic Iesus,qui à vobis assumptus est in cælum,sic veniet.* Hoc est, in ipsa corporis forma atq; substantia. *Filius hominis faciet iudicium. Non intres in iudicium cum seruo tuo. Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt?* Nabuchodonosor Danielem captiuum, vbi audiuit arcana,adorauit. Sic Israëlitæ, loquente Angelo in monte Sinai,fuerunt perterriti,vt dicerēt Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus; & non loquatur Dominus, ne forte moriamur.* Qui iam mitem contemnunt,olim experientur seuerissimum iudicem. Confugient ad speluncas, & dicent montibus & petris: *Cadite super nos,& abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorū: & quis poterit stare?* Iram autem Agni appellat,vt indicet talem eius diei iram futuram, qualis eius māsuetudo antè præcessit. Quæ quidē res tanto improbis terrori erit, vt D. Chrysostomus satius esse dicat, decem millia fulgura sustinere,quàm faciem illam mansuetam videre à nobis auersam, & trāquillum oculum non ferentem nos. De vltimo illo & horribili iudicio vide Matth. 24. 25. Mar. 15. Matth. 16. *Tunc reddet vnicuique*, &c. Nouissimum iudicium quale futurum sit,Lucæ 3.cuius ventilabrum in manu. Extremum iudicium horribile valde. Finale iudicium. *Tunc loquetur ad eos in ira sua.* Finale & extremū iudicium. *Deus deorum Dominus.* Iudex. *Hic est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Resurrectio nunc in mente,tunc in carne. *Ipse iudex suscitat mortuos & vocat ea quæ non sunt tanquā ea quæ sunt.* Nihil habet admirationis,si vox,quæ potuit instaurare naturā cùm non esset, potuit

Marginal notes: Psal.71. — Act. 1. — Psal. 144. — 1. Petri 4. — Daniel. 2. — Exod. 20. — Ira Agni magna. — Lucæ 17. — Psalm. 2 — Psal. 49. — Act. 10. — Rom. 4.

potuerit reparare eandem cùm corrupta esset. Qui à nihilo cuncta produxit, quomodo non poterit, quæ semel producta sunt, ab interitu ad vitam rursus reuocare? eiusdem certè vtrumque ac immensæ potestatis est. Suscitare mortuos, est opus proprium Dei. Iob euidenter resurrectionē prædicit: *Est arbori spes, si enim abscissa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius numquam deficit.* Sicut arbores transacta hyeme, & vi interiore illas fouente, virtute etiam solis & ventorum, producunt & emittunt folia, flores & fructus tamquam indumenta: ad eundem ferè modū omnes Dei amantes animæ habent sibi propositum diem resurrectionis esse futurum, in quo per virtutem Solis iustitiæ emerget gloria Spiritus sancti, quæ intus latebat, & fouebat corpora Sanctorum. Nihil impossibile apud Deum.

Resurrectio mortuorum. *Iob 15.* *Simile.*

Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, &c. Superiùs cùm de resurrectione mentium & animarum loqueretur, nunquid fecit discretionem? Sed omnes qui audient viuent, quia obediendo viuent. At verò resurgendo & procedendo de monumentis, nō omnes ad vitam æternam ibunt, sed qui bene fecerūt, qui autem malè, ad iudiciū. Peccatores ad supplicia sempiterna, iusti ad vitam æternam. Multi ex his qui in terræ puluere dormierant, resurgēt: quidam quidem ad vitam, alij autem ad opprobrium sempiternum, vt videant semper. Non qui credit tātùm, sed qui cum fide bona opera operatur, procedet in resurrectionem vitæ. *Fides sine operibus mortua est. Impij videntes pios ita exaltari ac glorificari, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subita illa & insperata salute, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, &c.* Hìc implebitur vaticinium Domini. *Qui me erubuerit & sermones meos, & Filius hominis erubescet eum cùm venerit in maiestate sua.* Timeo sanè, multos esse nunc in mūdo Pharaones, qui iusto Dei iudicio obdurati obcæcatíque sint.

Augustin. *Dan. 12.* *Iacob. 2.* *Sap. 4.* *Luca 12.*

Nunc quæso, Auditores, diligenter perpendite, cuiusmodi nos periculum maneat, si enim barbaræ nationes ob violatam naturæ legem, quæ animis nostris impressa est, sine fine cruciandæ sunt: quo nos timore concuti par est, qui tam multa alia ad pietatem & iustitiam adiumenta percepimus? Multi solam de peccatis rationem in diuino iudicio exigendam timent: ego verò non minùs creditorum talentorum, hoc est, diuinorum beneficiorum, ac præcipuè summi ac maximi redemptionis & salutis nostræ beneficij, rationē exigen

Barbaræ nationes cur damnandæ.

exigendam pertimesco. Quam quidem rem non obscurè
Ioan. 3. Saluator declarauit, cùm ait: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Magnum ergo nobis ob admissa flagitia periculum impendet; nec minus tamen ob accepta beneficia
Matth. 11. & salutis adiumenta neglecta. Hinc idem Dominus cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factę fuerant virtutes plurimæ ab ipso: quæ tamen ne his quidem diuinæ virtutis argumentis ad pœnitentiam excitatæ fuerint. Huius etiam
Tÿ cur timeant. causa cur sanctissimi viri quoque hoc iudicium reformident, quia quamuis nullius sibi lethalis criminis cõscij sint, huius tamen beneficij rationem sibi à Deo exigendam pertimescunt. Quæ ratio diuum Thomam impulit, vt dicat, leuiori apud inferos pœna propter sua scelera infideles, quàm fideles, esse puniendos: quòd videlicet vtrique pro qualitate percepti luminis, & beneficiorum diuinorum atque adiumentorum, quæ vtrique ad rectè viuendum donata fuerint, plectendi sunt. Hoc ipsum Dominus in Euangelio demon-
Lucæ 10. strat, vbi ait: *Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent*, &c.

SILVA QVÆDAM LOCORVM COMMVNIVM, AD HODIERNVM institutum faciens.

2. Cor. 12. HÆc vita mortalis est somno simillima aut potiùs mors ista vitalis. Clamat Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Mirandum cur nos miseri cum Psalmographo
Psal. 141. non instanter proclamemus: *Educ de carcere animam meã.* Et alibi: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venan-*
Psal. 133. *tium.* Quanta putas lætitia perfunditur animus iusti, quum corporeis nexibus solutus, videt se à laqueo isto simul & periculo liberatum? O vita mortalis! & quid est tota, nisi perpetua & inopinata delusio? omnia quę tam auidè quęrimus, tam ardenter amamus, tam solicitè prosequimur, non vtiq; vera bona sunt, sed vmbræ imaginésque bonorum. Quid sunt enim diuitiæ, nisi vana quædam metalla? Quid honores, nisi ludicræ leuitates? Quid corporis voluptates, nisi tur-
Iob 27. pes & obscœnæ cupiditates? *Diues*, inquit Iob, *cùm dormierit, nihil*

nihil secum adferet: aperiet oculos, & nihil inueniet. Aduerte miserarum animarum querimoniam in lib. Sap. agnoscito fletum: *Errauimus*, inquiunt, *à via veritatis*, &c. Excitemur ergo, fratres, ab isto lethali sōno & sopore mortifero, antequā nos excitet dira mors: tūc enim nihil proderit excitari. *Sapient.5.*

Pium est mortuos deplorare, modò cum moderatione fiat. Sic enim videmus Abraham luxisse Saram coniugem suam. Sic etiam Isaac matrem suam defleuit. Et Iacob scissis vestibus luxit Ioseph filium suum, existimans eum mortuum esse. Ioseph etiam luxit in morte Iacob patris sui. Filij Israël videntes Aaron excessisse è vita, eum deplorarunt triginta diebus: & totidem Moysen in campestribus Moab. Dauid etiam lugebat Saulem & Ionatham, & filium suum Absalon. Martha etiam, & soror eius Magdalena, tum etiam Christus Dominus, luxerunt Lazarum. Et in actibus Apostolorum fecerunt fratres Stephano protomartyri plāctum magnum. *Super mortuum plora*, inquit Eccles. Verùm cum quadam moderatione Christiana plorare debemus, ne videamur argumentum infidelitatis præbere in nimia lacrymarum effusione. *Qui vitam honestè, & in virtutibus egerunt, quando ex hac vita migrant, verè liberantur & soluuntur à vinculis, quibus in hoc mundo compediti erant, & ab ipsis calamitatibus & ærumnis. Est enim mors ipsa, his qui bene vixerunt, translatio quædam ad meliorem vitam, videlicet ab hac vita laboribus plena ad vitam beatissimam. Horribilis quidem est mors, iis præsertim qui vitam in deliciis & voluptatibus seculi traduxerunt, non autem illis qui præclaram & laudabilem hîc duxerunt vitam.* Chrysost. *Genes. 23. Genes. 37. Genes. 30. Num. 20. Deut. 34. 2. Reg. 1. Ioan. 11. Act. 8. Eccl. 22. Chrysost.*

Vide quàm ardenter mortem optabat Apostolus, qui felicem traduxerat vitam, adeò vt diceret: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Mors agit sicut messor, qui spicas omnes metit, licèt sint in superiore parte inæquales, sunt autem æquales inferiùs: sic mors magnos & paruos tollit, senes ac iuuenes, nullius habens rationem ætatis. *Mors est omnium laborum præsentis vitæ finis quidam & terminus, principium autem bonorum.* Vide diuum Ambrosium lib. 2. de Cain & Abel. Apostolus ait: *Cupio dissolui & esse cum Christo:* dissolui autem non postularet, nisi ærumnoso carcere se vinctum videret. Hoc etiam Dauid desiderabat cùm diceret: *Dirupisti vincula mea.* Gregor, 4. Dialog. *Mors liberationem adfert à præsentibus malis, nosq; ad vitam perducit æternam. Vnde ignoro planè an sit mors appellanda, cùm tanta nobis adferat* *Philip. 1. Ambros. Philip. 1. Psal. 113.*

bo

bona. Gregorius Nazianzenus in Oratione 14.

Phil. 1. *Mori lucrum*, dixit Apostolus. An non obsecro ingens lucrum est, hanc breuem & miseriis plenissimam vitam inquietam & iucundissimam commutare? Cyprianus de duplici martyrio, ait quòd mors sit quidam finis & terminus calamitatum omnium. Vide Philonē in libr. de Abrahamo.

Paulatim quidem nos etiam ipsa natura assuefacit, vt mortem minùs timeamus, transiens quidem ab infantia in pueritiam, ex pueritia in adolescentiam, & ita per cæteros ætatis gradus tanquam manu ducens. Vide Phil. in libro de Ioseph.

Seneca lib. 3. epist. 24. *Non repentè morimur*, inquit Seneca, *sed paulatim ab ipso natiuitatis nostræ exordio incipimus mori. Quotidie morimur, & nobis ætate crescentibus, vita ipsa decrescit & breuiatur, sicut totus humor intra phialam obliquam siue angustam conclusus, non repentè effunditur, sed paulatim.*

Sepultura in loco sancto eligenda. *Patriarchæ sepulturæ rationem habuere.* Sepultura eligenda in loco sancto & honorifico, vt hoc modo frequentiùs & faciliùs veniat in mentem mortis memoria & recordatio. Sic Abraham emit in sepulturæ locum agrum: sic Iacob noluit sepeliri inter Ægyptios, sed filium rogauit vt se in sepulchro patrum suorum sepeliendum curaret. Ioseph commendauit ossa asportari ex Ægypto: hoc Moyses fideliter impleuit. Exod. 13. Christus sepulturæ suæ habuit rationem. *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Tobias, quòd mortuos sepeliuit, commendatur. sic illi incolæ labes à Dauid commendantur. Defunctorum vestes siue annuli in honore habentur, magis autem eorum ossa.

Ioan. 12. *2. Reg. 13.* *August.* *Greg.*

Tota vita nostra est quædam via ad mortem: & ideò curandum nobis est, vt commodam sternamus viam, bonis operibus atque virtutibus præstitis. Nullus dicat quòd non timeat Purgatorium: siquidem grauissimæ sunt eius pœnæ, adeò vt superent quaslibet præsentis seculi calamitates & dolores. Vide August. De purgatorio, & quòd suffragia animabus ibi detentis prosint, vide Concil. Trid. Sess. 22. cap. & Sess. 25. in Decreto de Purgatorio. Variis quidem modis potest anima à Purgatorio liberari: primò, per modum intercessionis: secundò, per modum redemptionis: tertiò, per modum propriæ solutionis: & quartò, per modum alienæ pro ea afflictionis. Vide Antonin 1. parte titul. 5. cap. 5.

Purgatorium esse, & eius pœnas grauissimas.

Defuncti quòd adiuuandi. *2. Reg. 1.* Beneficia quæ à defunctis accepimus, nos mouere debent vt pro eis oremus. Sic Dauid ponebat ante oculos filiis Israel beneficia quæ à Saule receperant. Quid quæso fructuosius

eti

etiam esse potest, quàm eis opem & auxilium ferre, à quibus speramus nos etiam, vbi in patriam conuolauerint, premiis amplissimis & beneficiis esse afficiendos? vti Ruth 1. dicitur: *Faciat vobiscum Deus misericordiã, sicut fecistis cum mortuis.* Porrò non soluere animas & liberare à Purgatorio, propterea quòd negligamus ea præstare, quæ nobis cõmendata sunt ab ipsis defũctis, & quæ nos facturos esse spondimus, grauissimum planè scelus est. Vnde Ecclesiast. dicit: *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Vide Vincentium. *Eccl. 7.*

Plurimum quidem nobis conducit ad vitæ emendationem, considerare mortem ipsam & vitæ nostræ breuitatem. *Qui congregat in messe, filius est sapiens.* Num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conuentus & peractiones bonorum? Respondet Athanasius: *Si non aliquo beneficio participarent ex illo, non vtique in cura & exsequiis fieret commemoratio. At sicut vitis florescit extrà in agro & odorem eius sentit in vase vinum reclusum, sicq; conflorescit etiam ipsum: ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficentia, ex sangui immolatione & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatem gerit, Deus noster.* Vide Athanasium quæst. 34. *Prou. 10.* *Athanasius.* *Mortui sentiũt suffragia viuorum.*

Vita nostra mortalis somno dormiẽtium aptissimè comparatur. Iusto Dei iudicio peccator percutitur, vt qui in vita oblitus est Dei, in morte non recordetur sui. Cùm enim dixerint, pax & securitas; repentinus eis superueniet interitus, & non effugient: & ducentes in bonis dies suos, cùm minùs cogitant, in puncto ad ima descendunt. O fallacem hospitã! *Prou. 29.* *Iob 21.*

Aduertendum est, quòd benefacere animabus in Purgatorio detentis, non solùm eis prodest, verùm etiam illis qui bona ipsa operantur. Illud opus prouenit ex charitate, quod & alia meretur beneficia. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare*, &c. Opera quæ fiunt pro defunctis, sunt in quadruplici differentia: aut sunt orationes, aut eleemosynæ, aut ieiunia, aut disciplinæ, & denique Sacrificium Missæ. Necesse tamen est, vt qui facit, sit in gratia Dei constitutus. In Sacrificio autem Missæ aliter se res habet: nam semper illud quidẽ prodest, tametsi minister malus sit, cùm in persona Ecclesiæ, quæ Deo gratissima est, Sacrificium offerat. Ipsæ quoque animæ in cælo collocatæ, pro nobis ante Deum preces fundent. *2. Mac. 12.*

IVGEM MORTIS MEDITATIONEM HOMINI VTILEM ESSE, COMmendandámque summopere mortificationem affectuum corporalium in hac vita.

Hieronym. FACILE *contemnit omnia, qui se semper cogit*
esse moriturũ. Gens absque consilio est, & sine pru
Deut. 32. *dentia: vtinam saperent & intelligerent, ac noui*
Eccl. 7. *sima prouiderent. In omnibus operibus tuis mem*
rare nouissima tua, & in æternũ non peccabis. Rursus: *Mem*
esto, quoniã mors non tardat. Qui se quotidie recordatur e
Eccl. 10. *moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Qu*
superbis terra & cinis? inquit Sapiẽs, ad retundendã nostra
August. superbiam, mortis cogitationẽ nobis ingerens. *Si de diuiti*
& honoribus & morum nobilitate te iactas, de patria, & pu
chritudine corporis, & honoribus qui tibi exhibentur ab hom
nibus; respice te ipsum: quia mortalis, terra es, & in terrã ib
Vita hæc breuis. Idem Augustinus de doctrina Christiana. *Timor de futu*
morte, mentem necessariò concutit, & quasi clauus car
Voluptas carnis perniciosa. *omnes motus superbiæ ligno crucis affigit. Quẽ obsecro delec*
bit voluptas carnis, aut quẽ oblectabunt blandimenta luxur
vbi oculis obiicitur exsangue funus, corpus exanime, adspec
que horridum, putor cadauerum, pœdor sepulchri, & collu
putredinis in busto? Plato dicebat, totam Philosophorũ m
ditationem ac consideratione̅ esse mortis. Diuus Ambros
Ambr. in verba Ioã. 14. ait: *Surgite, eamus hinc*, præcipiens, vt vnusquisque surgat
terrenis, erigat animã humi iacentem, & ad superna attoll
Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum*
Eccl. 41. *tiis & cõcupiscentiis. O mors quàm amara est memoria tua*
Psal. 38 & 101. *mini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto*, &c. *Ve*
tamen vniuersà vanitas, omnis homo viuens. Dies mei s
Psal. 143. *vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui. Homo va*
Iob 14. *tati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt. H*
natus de muliere, breui viuens tempore, &c. Quæ est enim
Esaiæ 40. ta vestra? vapor est. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria,*
Qui mortem quotidiana cogitatione, quasi familiarem
& domesticã reddidit; securus eam exspectat, & præuiso
rientem telo contra ictum eius armatus, minùs timet. D
Lucæ 13. minus Deus vigilare nos monet: nescimus enim quando
Matt. 24. pus sit. Moueant nos virgines illæ imprudentes. Am

DE COMMVNI SANCTORVM.

DE APOSTOLIS, VBI NON ASSIGNATVR PROPRIVM EVANGElium, istud accipere ac proponere pro Concione commodè poterit Concionator: *Hoc est præceptum meum.* In hac Euangelica lectione de fraternæ dilectionis præcepto (de quo Euangelica lectio differit) ac deinde de mũdi conuersione, & Apostolorum prædicatione agitur.

THEMA. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ioan. 15.

HODIERNA sancti Euangelij lectio, Auditores charissimi, duas complectitur partes: quarum altera fraternæ dilectionis præceptũ, altera mundi conuersionem, & Apostolorum prædicationem continet: quam Dominus in extrema sacræ huius lectionis parte breuissima oratione complexus est, cùm ad Apostolos ait: *Posui vos vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat.* De hac igitur nos quoque breuiùs: de illa verò (quoniam plurimùm ad vitæ nostræ institutionẽ pertinet) paulò fusiùs differemus. Quod quo pleniùs exsequi possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Est Psalmus, *Cæli enarrant gloriam Dei*, in quo miro diuini Spiritus artificio Dei gloria celebratur, in quo duę potissimùm Dei laudes prædicãtur: vna est, quæ à cõcinnitate totius naturæ colligitur: altera, quę in æquitate & sanctitate legis à se hominibus latæ perspicitur. Diuinæ legis laudes celebrat, dicens: *Lex Domini immaculata, cõuertens animas,* *Psal. 18.*

& quæ deinceps sequuntur. Illo igitur opere diligenter animaduerso, facilè quis immensam diuinæ maiestatis potentiam, sapientiam, & mirabilem rerum omnium prouidentiã prospicere poterit. Ex hoc autem (id quod in Deo mirabilius, & humano iudicio sublimius est) infinitam eius bonitatem, sanctitatem, benignitatem, & in genus hominũ charitatem, & viscera misericordiæ, colligere poterit. Vt enim aquæ fontium eorum locorum saporem referunt, per quos transeunt (vnde quandoque dulces, quandoque salsæ sunt) ita cùm diuina lex è sacro illo pectore ad nos manarit, non potest non eius pectoris, vnde ipsa deprompta est, saporem atque naturam referre. Quocirca ea nobis instar purissimi speculi, in quo non solùm animæ nostræ maculas (vbi à diuina lege deuiamus) sed etiam diuinæ bonitatis & charitatis imaginem contemplemur. Quid enim dulcius, quid amantius vel vna illa lege, quam omniũ aliarum legũ compendium esse Saluator ait, nempe: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis? Hæc est enim lex & Prophetæ.* Potuítne quicquam salutarius atque iucundius hominibus præcipi? Quid enim ea vita beatius esset, in qua omnes homines hoc aliis præstarent, quod sibi ipsis exhiberi volunt? Sed hac tamen cæterisq; similibus legibus prætermissis, quæ facilè diuinæ benignitatis naturam repræsentant; ad eam, quæ in hodierna sancti Euangelij lectione traditur, veniamus. *Hoc est* (ait Dominus) *præceptum meum.* Digna certè vox legislatore Deo, cui vni ex seipso præcipiẽdi ius est: à quo sicut omnis paternitas, ita omnis potestas in cælo & in terra nominatur. *Non est enim* (ait Apostolus) *potestas nisi à Deo.* Sed exspecto Domine quid mihi præcipias, quam legem feras, quæ sacrificiorũ genera mihi præscribas, quod obsequij genus iniungas, propter quod cælestem mihi hæreditatem largiaris. *Hoc est*, ait, *præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Quid hac lege iucundius? Quid nobis vel ad vitam cõmodius, vel ad pacẽ securius, quàm vt fraterna dilectione, mutuisq; beneficiis nos ipsos prosequeremur, nobis inuicem succurreremus? Cùm enim omnia mala & bona hominibus ab hominibus inferantur (propter quod rectè sapientes dixerũt: *Homo homini Deus, & homo homini dæmon:* vtrumque enim frequenter homo homini esse solet, dum aliquando mortem infert, aliquãdo à morte liberat) si hac dilectione se homines mutuò complecterentur, quid illis boni deesse, quídve mali

Simile.

Lex à Dei pectore est.

Matth. 7.

Lex quæ iucundissima.

Rom. 13.

Homo homini Deus aut dæmõ.

euenire ab aliis posset? Sic igitur in summa pace atque otio tranquillam sine vllo timore vitam ducerẽt. Nihil enim est quod mutuam pariat dilectionem, quàm cõcordia: vnanimes sunt insuperabiles: qui autem priuatis dissident odiis, facilè à quouis euerti possunt. Hoc ergo affectu planè paterno ad charitatis vnitatẽ nos hortatur, dicens: *Hoc est praeceptum meũ, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* O quàm verè à Propheta dictũ est: *Lex Domini immaculata, cõuertens animas!* Verè enim hæc diuina lex piorũ animas ab insano terrenarum rerum amore ad castissimam & ardẽtissimam legislatoris huius dilectionem conuertit. Lex mea, & sacrificiũ quo ego oblector, quo placor, est pax vestra, salus vestra, tranquillitas, quã ego hac lege mea sancio & cõstituo. Summum illius ac singulare pręceptum est, vt nos inuicem diligamus, & omnia charitatis & humanitatis officia alij in alios conferamus, nec humanum sanguinem effundamus, qui maximè apud illum preciosus est. Vnde facilè apparet, sanguinolenta illa idolorum sacrificia ab illo instituta esse, qui homicida erat ab initio, quíque humanũ sanguinem vt crudelissimè ita & auidissimè sitit. Oritur non modica admiratio, cur illi tam sint addicti & deuoti ad sanguinarios illos & falsissimos deos, cùm nos in verum Deum, in cuius manu sumus, tam simus pusillanimes. Illi ob diaboli obsequium nõ dubitant vitã profundere: nobis autẽ graue atque molestum est, vel vnius diei inediam propter verum Deum sustinere, vel paulò diutiùs in oratione persistere, vel acceptam iniuriam erranti proximo condonare, vel cupiditatum nostrarum intemperantiam non ferro, sed diuini timoris gladio abscindere, vel frustum panis petenti Christo in paupere suo porrigere, cùm illi tamen frustra vitam & sanguinem dæmonibus largirentur. *Hoc est*, ait, *praeceptum meum.* Quid est quod addit, *Meum?* an non alia quoque diuinæ legis præcepta eundem habent auctorem & legislatorem? Cur igitur hoc peculiare dicit esse suum? Ad hoc facilè quisque respõdere posset, hoc vno dilectionis præcepto cætera legis præcepta cõtineri, Apostolo testante, qui ait: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Et: *Plenitudo legis, est dilectio.* Inter omnia eius præcepta nullibi magis eius elucet bonitas, quàm in hoc. *Miserationes* enim *eius super omnia opera eius.* Hoc quoque mandatum & nouum esse dicit. *Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Hoc mandatũ creatum est cum ipso homine ad

Psal. 18.

Sacrificia quæ abominanda.

Inconstantia nostra.

Rom. 13.

Psal. 144.

Ioan. 15.

exordio mundi. Quid enim magis secundùm hominis na-
turam, quàm humanitas & benignitas? *Homo sum, humani*
August. in lib. Confess. *nihil à me alienum puto.* hanc Comici sententiam D. Augu-
stinus vehementer probat. Est hoc mandatum & vetus &
nouum: vetus quidem institutione, sed antiquatũ hominũ
prauitate; quod tamen Dei Filius tum verbis & exemplis,
Simile. tum etiam maximis dilectionis stimulis renouauit. Sicut
enim pictores senio & vetustate exesas atque penè oblitera-
tas imagines nouis additis coloribus renouare solent; quo
fit, vt eædem tabulæ nouæ simul & veteres dicendæ sint: ita
Charitas instaurata. Christus Dominus magno artificio, mirisq; coloribus hoc
mandatũ, ab hominibus ferè neglectũ, instaurauit; atque ita
factum est, vt vtrumque in illud nomen caderet. Quid enim
aliud tota eius vita & doctrina, nisi dilectionẽ & charitatem
sonat? quid aliud eius incarnatio, natiuitas, miracula, mors
innuit, nisi ardentissimam eius charitatem? Qua enim ali-
Lucæ 12. de causa idem dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid*
volo, nisi vt accẽdatur? Tot enim charitati nostræ stimulos
addidit, præsertim cùm pro salute nostra calicem passionis
Ioã. Chrys. hausit, vt (sicut Chrysostomus ait) etiam si lapidei essemus,
hac tanta dilectione exhibita, instar mollis ceræ liquefieri
deberemus. Hac ergo ratione nihil mirum, si mandatum
hoc nouum à Domino appelletur, quod tam multis miris
rationibus confirmatum, & mentibus hominum infixum
Legis veteris & nouæ differentia. August. fuit. Pertinet hoc mandatũ maximè ad nouam legem, quæ
hoc à veteri distat, quòd illa timoris, hæc amoris lex sit:
ideóque rectè hoc mandatum nouum dicitur, quia ad no-
uam præcipuè legem pertinet; in qua non solùm chari-
adeò strictè hominibus præcipitur, sed etiam fidelium cor-
dibus infunditur per Spiritum sanctum, qui illis donatur.
Et quidem satis erat huius præcepti suauitas simul & vti-
tas, vt nos ad eius obseruationem adigeret: sed addit Domi-
nus vtilitati præcepti nouum obedientiæ aculeum, nem-
dilectionis suæ exemplum, dicens: *Sicut dilexi vos.* Est e-
cax docendi genus, cùm doctoris præceptum præcipien-
exemplo commendatur. Hac enim ratione Paulus Phil-
penses ad charitatis officia hortatur, eximiam suam in
Philip. 1. charitatem priùs commemorans, cùm ait: *Testis enim m-*
est Deus, quo modo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Ch-
sti. Et hoc rogo, vt charitas vestra magis ac magis abun-
Hoc igitur modo Saluator, cùm ad fraternam dilectionem
inuitat, seipsum in efficacissimum dilectionis exemplũ p

ponit,cùm ait:*Sicut dilexi vos*.Quantum verò dilexerit, ex-
ponit deinde,cùm subdit:*Maiorem hac dilectionem nemo ha-
bet,quàm vt animã suã ponat quis pro amicis suis*. Hoc autẽ
exemplo quid efficacius proponi nobis potuit? Non enim
exemplũ solùm est,sed summum etiã beneficium, dum pro
nobis à morte liberandis,ipse vitam suam morti exposuit.
Hinc Ioannes:*In hoc*,inquit,*cognoscimus charitatẽ Dei,quia* 1. *Ioan*. 3.
*ille pro nobis animam suam posuit,& nos debemus pro fratri-
bus animas ponere*. Quæ quidẽ res tunc præcipuè nos obli-
gat,cùm salus animæ periclitatur: nec alia suppetit ratio,
qua periclitanti fratris animæ subuenire valeamus. Vnde
animaduertere liceat, quousque charitatis Christianæ lex *Charitas*
progredi debeat,vt aliquãdo vitã ipsam (qua nihil homini *quousque*
charius esse solet) pro Christianis impendere teneamur. *se extẽdat*.
Quod cùm ita sit,quid de illis existimãdum est,qui ne fru-
stum quidem panis egenti fratri porrigere volunt? Qui nõ *Gregorius*.
dat pro fratribus substantiam,quomodo pro eis daturus est *Christ*[9] *nos*
animam? Christus nos fortiter dilexit: nam proposito sibi *dilexit for-
titer*.
gaudio sustinuit crucem, cõfusione contempta. Licèt sciret
quę eum manerent pericula Hierosolymis,nihilominus ta- *Lucæ* 19.
men vltrò se illuc contulit. Ipse properauit Hierosolymam: *Marc*. 10.
quæ properatio siue processio,animi eius feruorẽ & alacri-
tatem,qua ad salutis nostræ sacrificiũ consummandũ pro-
perabat,non obscurè demõstrat: quare nulla tormenta for-
midabat. Huius verò infractæ atque incõcussæ fortitudinis 1. *Cor*. 10.
gratia Apostolus petram appellat,quæ cælestis iustitiæ vir-
ga percussa,sitienti populo largissimas diuinarũ gratiarum
aquas fudit: ipsa tamẽ illæsa & integra permãsit. Et ob hoc
item in lege Dominus præcepit,ne Paschalis agni ossa cõ-
minuerentur: *Os*,inquit, *non comminuetis ex eo*. Quæ quidẽ *Exod*. 12.
cautio superuacanea,& otiosa esset, nisi per eam Dominus
immobilem Christi Domini fortitudinem designare vo-
luisset. Dilexit etiã nos dulciter,eius gesta & verba hoc de- *Christus*
clarant. Ad gesta pertinet,quòd procumbẽs humi,discipu- *nos dulci-*
lorum pedes lauit; quod charitatis officium est: ad verba *terdilexit*.
autem,quòd discipulos suos aliquando fratres, aliquando
filios, item filiolos suos (quod est multò dulcius) appellabat; *Matt*. 28.
& omnes deniq; homines ad se amãtissimis verbis inuita- *Ioan*. 13.
bat,dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,
& ego reficiã vos*. Quibus verbis quid dulcius? quid aman- *Matth*. 11.
tius? Ardẽter se dilexisse ostẽdit,quãdo tanto salutis nostræ *Ardenter*
desiderio flagrabat, vt diceret: *Baptismo habeo baptizari*. *nos Christ*[9] *dilexit*.

Lucæ 11. *& quomodo coarctor vsquedum perficiatur !* Instante a[...]
tem iam mortis hora, eodem permotus desiderio prodit[...]
Ioan. 13. ri ait: *Quod facis, fac citò:* quòd videlicet passionis suæ tem[...]
pus ob salutem nostrã accelerari vehementer optatur. Pe[...]
Christus dilexit perseuerãter. seuerãter se dilexisse, satis illa Ioannis verba indicant : *Ci[...]*
dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. [...]
illa item, quæ is per Prophetam multò antè prædixerat : [...]
Hier. 31. *charitate perpetua dilexi te : ideò attraxi te miserans.* Hi[...]
Iudæis petentibus vt è cruce descẽderet, quo illum esse D[...]
Filiũ crederent, assentiri noluit, donec, redemptionis op[...]
Ioan. 19. perfecto, dixit : *Consummatum est.* Verùm inter has diu[...]
amoris laudes, ea nos vel maximè ad mutuam amoris [...]
Christus simpliciter dilexit. cem incitare debet, quòd simpliciter, hoc est, sine vllo [...]
emolumento ita dilexit, vt atrocissimum mortis supplici[...]
non pro sua, sed pro nostra salute subire non recusaue[...]
Christus ex duabus naturis constat. Cùm enim duplex in Christo natura sit, diuina scilice[...]
humana : satis cõstat, diuinę naturæ vtilitatis nihil acced[...]
neq; decedere potuisse. Humana verò natura, cùm à pri[...]
sacræ conceptionis suæ momento fuerit beata, & imme[...]
gratia plena; quid illi amplius, præter corporis & nomi[...]
sui gloriam (quam tunc etiam promeruit) accedere pot[...]
Videtis ergo quàm gratis, hoc est, sine vllo suo emolum[...]
nos Christus Dominus dilexerit? Quisquis autem hanc[...]
uinæ dilectionis gratiam pio affectu fuerit contempla[...]
mirum erit si non totus præ stuporis & amoris magnitud[...]
extra se quodammodo rapiatur. Hanc ergo amoris sinc[...]
tatem & puritatem toto affectu imitari studeamus : gr[...]
nos quoque proximos diligamus, gratis eis benefaciam[...]
Rom. 12. hoc est enim quod Apostolus à nobis exigit, cùm ait : [...]
tribuit in simplicitate. Aliud enim charitas, aliud negoti[...]
Lucæ 14. est *Cùm facis*, inquit magister cælestis, *prandium au[...]*
nam, noli vocare amicos tuos, &c. O quàm sublimis P[...]
sophia in his Domini verbis continetur! Non prohibe[...]
care amicos, sed vult vt bona opera pura & simplici m[...]
faciamus. Quis autem satis explicare queat, quàm long[...]
hac charitatis simplicitate abhorreat mundus? Quereb[...]
Malach. 1. olim Dominus per Prophetam, cùm dixit : *Quis ex [...]*
est, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò [...]
Amicitia sincera rarissima. multò magis nunc queri potest : *Quis modò puram s[...]*
rámque amicitiam vel inter fratres deprehendat? Nem[...]
minat vbi se nihil frugis collecturum sperat: quia vbi [...]
hominem occupat cupiditas, nihil sibi vindicat cha[...]

Vid[...]

Vidiſtis hactenus qua ratione Dominus ad charitatis ſinceritatem exemplo ſuo & beneficio excitauerit. Verùm ne his quidem ſtimulis contentus, addit tertium, nempe ingens huius obedietiæ pręmiũ, dicẽs: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis,* &c. Summa fides in Dei amicitia eſt: quid quæſo vel in hoc ſeculo ad tuendam vitam, vel in futuro ad conſequendam gloriã omnipotentis Dei amico deeſſe poterit? Quid enim ad Dei amicitiam maius adiici poteſt? Quis adeò ferreus ſit, qui nõ ad hunc diuinæ charitatis ignẽ colliqueſcat? qui nõ in hac lege, velut in puriſſimo quodam ſpeculo, viſcera miſericordiæ & diuinæ bonitatis inſpiciat? Illius præcepta non ipſi, ſed nobis ſunt ſalutaria. Habemus mandata, habemus & præmia. Hæc eſt prior Euangelij pars, altera ad Apoſtolorum pertinet gloriam: hanc tractabimus.

Amicorũ omnia cõmunia.

In hac parte Dominus maximum & pulcherrimũ operum ſuorum, hoc eſt, mundi conuerſionem, & idololatriæ deiectionem, breui oratione complexus eſt, cùm ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* His verbis apertiſſimè Gentiũ vocationem, Euangelij prædicationem, & crucis ſuæ triumphum vaticinatur. Huius contemplationis fructum Iſaias exponit, cùm ait: *Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Eſſe autem mundi conuerſionem inter maxima Dei opera atque miracula computandam, rei magnitudo, & miniſtrorum, quibus in id diuina ſapientia vſa eſt, imbecillitas apertiſſimè declarat. Cũ enim vniuerſus ferè orbis, ſublata veri Dei cognitione, horrendis tenebris circumfuſus, in omnibus flagitiis & turpitudine verſaretur, pauci viri, Iudæorum ſtirpe prognati, Regibus, Imperatoribus, atque omnibus ferè mundi nationibus repugnantibus, atque omnia tormentorum genera aduerſum illos intentantibus, vniuerſum penè genus hominum ex terris illis tenebris eripuerunt, & ad fidem atque obedientiam vnius hominis, quem in crucem ſublatum ſciebant, breuiſſimo temporis ſpatio adduxerunt. Omnes Apoſtoli (vno Ioanne excepto) variis tormentorum generibus Chriſti Euangelium, ſatana cum ſatellitibus ſuis modis omnibus repugnante, in toto terrarum orbe diſſeminarunt. Nec ſolùm commentita numina peruerterunt, verùm & libidinem, ambitionem, odium, crudelitatem, auaritiam ex animis eorum, qui ſe ad Chriſti nomen

Mundi cõuerſio, miraculum inſigne.

Iſaiæ 60.

Apoſtoli quid egerint.

adiunxerant, exterminarunt. Hæc fuit Dei mens ac consi-
lium, hanc doctrinam miraculis confirmarũt. Hæc quidem
completa certo certiùs scimus, eodem argumẽto colligere
possumus, cætera quoque omnia, quæ eodem spiritu dicta
Vaticinia sunt, complenda: scilicet de extremo iudicio, de sempiternis
implenda. reproborũ pœnis, de igni inexstinguibili, immortali verme
tenebris horrendis, carcere tetro, dæmonum contubernio
Gregorius. variisque suppliciorum generibus. Eueniet vt quæ mod
futura & longè absentia sunt, præsentia videamus: quando
quidem præteritarum rerum exhibitio sit futurarum cert
Matth. 15. tudo. Vidimus conuersionẽ mundi, principem huius mũ
profligatum: vidimus Ecclesiam semper impugnatam, pe
manere tamen semper inuictam. Videmus etiam iudice
in nubibus cæli venientẽ cum potestate magna & maiest
te, oues ab hœdis secernentem, & oues quidem à dextri
hœdos verò à sinistris collocantem. Hæc, Auditores, hæ
vobis semper ante oculos ponite, hæc certo certiùs futu
esse credite, illamque Salomonis sententiã assiduè recolit
Eccles. 12. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni e*
rato, siue bonum fuerit, siue malum sit. His enim verbis lo
gissimæ illius siue concionis, siue disputationis summa
complexus est. In hac vita vix vllum tam præsens periculu
est, quod non aut opera nostra, aut amicorum, aut ratio
solertia depellere valeamus. Vbi autem ad inferos ventu
est, & à supremo illo iudice damnationis sententia lata fu
rit, nihil est quod eam vlla ratione aut reuocare aut mitig
Hierem. 8. re possit. Clamant miseri perpetuò: *Transit messis, finita*
æstas (in qua videlicet commeatum nobis parare potuiss
mus) *& nos saluati non sumus.* Hoc enim messis tempo
victum sibi homines parare solent: quod qui facere neg
gunt, necesse est vt famem deinceps & inediam patiamu
Sic diues ille epulo micis potuit mercari cælum, qui negl
Lucæ 16. xit. Scriptum est: *Pro hac* (scilicet peccatorum remissio
Psal. 31. *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Oppo
Pœnitẽtia tunum autem orandi & veniam impetrandi tempus mo
quãdo in- est, quando nec calix aquæ frigidæ debita mercede car
utilis. quando vel vna lacryma ex toto corde effusa, totius vi
sordes eluere, animamque astris puriorẽ efficere potest.
Eccles. 5. *tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in di*
subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disp
Prou. 28. *det te.* Quia enim viri mali non congitant iudicium (ali
enim vitã instituerent, si hoc cogitarẽt) ideò dies ille iudi

semp

ſemper illis repentinus & improuiſus venit. Qua de cauſa Apoſtolus diem Domini furi comparat, qui ea ad furandũ tempora captat, in quibus homines negligentiùs & ſecuriùs agere ſolent. Hanc ſimilitudinem Dominus ipſe adduxit de ſeruo inerti. Expendite igitur vobiſcum intentionem veſtram, quid vobis animus potiſſimùm perſuadeat.

1. Theſſ. 5.

Lucæ 12.

Quid igitur nos facere mones? Hoc nos breuiter Sapiẽs ille docet, cùm ait: *Ante iudiciũ para iuſtitiam.* Da operam, vt antequã iudex adueniat, inueniaris iuſtus. Ille iuſtus eſt, qui præteritæ vitæ peccata veræ contritionis atque confeſſionis virtute delet: eademq; ſtudioſiſſimè vitare proponit. Hoc enim propoſitum totius diuinæ legis ſummã continet. Omnes aditus, per quos peccato in animam noſtram ingreſſus pateat, obſtruendi & virtutibus muniẽdi ſunt. Oculi, aures, lingua, cor, caro: hæc poſſunt eſſe inſtrumenta pietatis, poſſunt & damnationis, prout eis vſi fuerimus. Nos, Auditores, ea quæ hactenus diximus, ſolicito & caſto timore cuſtodientes, minori vtique cõpendio, quàm omnes ſancti Martyres, ad eandem hæreditatem, Domino adſpirante, & iter noſtrum bene fortunante, peruenire poterimus. Amen.

Eccl. 18.
Iuſtus quis ſit.

Via ad vitam qua.

IN FESTO ALICVIVS MARTYRIS, CONCIO: IN QVA PER VARIOS LABORES AD CÆLESTE REGNUM, ſanctorum Martyrũ exemplo, perueniendum eſſe docetur: deinde laborum cauſæ explicantur: tertio verò loco, quibus rebus ad hos labores ſuperandos inſtrui & armari poſſimus, declaratur.

THEMA. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuã, & ſequatur me.* Mat. 16.

INTER omnia quæ humani ingenij vis ſtudioſè & laudabiliter quærere & indagare poteſt, nihil eſt quod vel honeſtius vel vtilius quæramus, quàm quæ ſit via, per quam ad æternæ felicitatis gloriam peruenire valeamus. Si enim creaturæ nihil aliud agunt ac moliuntur, quàm vt ad fines ſibi à conditore conſtitutos perueniant, in eóque maximè laborem & operam ponunt: quid quæſo nobis aliud quærendum, qui facien-

Finis ſemper inquirendus nobis.

dum est, qui ad hunc finem à Deo ficti & informati sumus? Si hoc vnum præstemus, satis nostro officio functi sumus: si verò sine hac vna re cætera omnia adipiscamur, etiam si totius orbis imperium nacti erimus, frustra nos conditos, frustra in lucem editos, frustra denique vixisse sciamus. Frustra enim est (vt Philosophi dictant) quod ad finem sibi præstitutum non peruenit. Si quis igitur ab hoc tanto malo immunis esse, si quis ad finem suum peruenire cupit (hoc est vnum illud & summum bonum, ad quod fruendum à Deo conditus est, adipisci) habet in paucis his Domini verbis regiam viam, ab eo ipso, qui via, veritas, & vita est, plenè & breuiter descriptam. Vt autẽ aliquid fructuosè ad omnium nostrûm salutem proponere possimus, diuinum numen imploremus.

Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur. Matth. 16.

AVE MARIA.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsũ, & tollat crucẽ suã, & sequatur me. In quibus verbis primo loco particula annotanda est: *Si quis.* hac enim voce nemini quidem vim infert, sed quã sint pauci, qui hoc salutari desiderio flagrẽt innuit. *Verè* enim (vt idem Dominus ait) *arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam:* ideoque non omnes in cõmune vocat, sed, *Si quis*, inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me.* quod perinde est ac si diceret: Neminem cogo, nulli vim infero, appono vobis aquam & ignem: ad quod quisque voluerit, porrigat manum suam. Hîc Dominus: *Qui nocet noceat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Cæterùm, *Si quis vult venire post me*, hoc est, si quis, quò ego venturus sum, venire cupit: si felicitatis meæ particeps esse desiderat: si mecum in cælesti gloria regnare cupit: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Si quis*, inquit, *vult.* Primò quidẽ loco ardens à nobis proficiendi desiderium requirit. Aliter enim fideles serui, aliter inertes & languidi Christum sequi volunt. Illi enim quo ardore ad finem suum peruenire cupiunt, eo quoque ista amplectuntur, quæ ipsos eò ducant: isti verò eo modo volunt, quem Salomon describit his verbis: *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim manus eius quidquam operari.* Et alio in loco: *Vult & nõ vult piger.* hoc est, vult quidẽ ille cùm sibi ante oculos proponit præmium: non vult autem cùm considerat operis laborem: promissis quidem inuitatur vt velit; præceptis tamen deterretur vt nolit. Huiusmodi enim

Matth. 7.

Apoc. vlt.

Arbitriũ liberũ nobis est.

Prou. 21.

Ibidem 13.

enim desideriis plenus est mundus: imò verò pleni sunt inferi. Cæterùm quàm pauci sint, qui verè & ex animo Christum sequi cupiant, idem Dominus hac loquendi figura designare voluit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsũ.* Hæc est igitur, Auditores, regia in cælum via, qua & omnes sancti, & sanctorum omniũ Dominus ingressus est. Omniũ est enim illa vox: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Ecclesiæ quoque vox est: *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis.* Hæ námque pelles extra quidem viles apparebant (vtpote Solis æstu ac puluere fuscatæ) quæ tamen intus miro decore & ornatu nitebant. Causam verò huius externi coloris atque habitus, Solem esse dicit: *quia Sol,* inquit, *me decolorauit:* hoc est, Sponsi mei, qui est verus sanctitatis & iustitiæ Sol, charitas (qui me ad mortem vsque dilexit) me quoque impulit, vt ob eius amorem nullum laborem, nullas persecutiones, nullum denique supplicium recusarem, vt sic tandem, quatenus fieri posset, amori eius amorem, & passionibus vicem rederem. Ille passus, vt patientiæ exemplum relinqueret. Esto hîc fidelis imitator Christi. Necesse est vt tribulationibus, veluti scopuli in mari, quatiamur. Hinc in Cantic. Sponsa, cùm lectulum Salomonis auro & argento ornatum esse dixisset, adscensum in illum tradit esse purpureum. Quo genere coloris, Martyrum sanguinem, cæterosque Sanctorum labores designare videtur, per quos illis ad sempiternæ felicitatis requiem adscensus patuit. *Qui* (ait Apostolus) *Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Hoc enim spiritualis cuiusdam martyrij genus est. Virtutis autem ea est ratio atque natura, quæ vnica via est ad beatitudinem, vt variis laboribus comparetur. *Si,* inquit D. Augustinus, *vis esse beatus, esto immaculatus.* Virtutem autem circa difficilia & ardua opera versari, nemo est qui nesciat. Vbi enim labor nullus, nulláq; operis difficultas intercedit, nullus virtuti etiã locus est. Strenuos operarios virtus quærit, segnes autem & dormitantes procul à se abiicit. Non sine causa ille ait: *Vigilia honestatis tabefacit carnes, & cogitatus illius aufert somnum. Non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Sponsa vbi sponsum multo labore per plateas quæsisset, & multa in hac pia inquisitione perpessa fuisset, illum tandem inuenit. Non enim segnes & inertes, sed strenuè laborantes Christũ Dominũ inueniunt. Hinc Salomon:

Via regia in cælum quæ. *Psal. 65.* *Cantic. 1.* *Viri pij extrà viles apparent.* *1. Petri 2.* *Cant. 3.* *Galat. 5.* *Virtutis natura.* *August.* *Eccles. 32.* *Iob 28.* *Christum qui inueniant.*

Prou. 12. *Manus*, inquit, *fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.* Seruiet enim affectibus, variisque cupiditatibus, quæ nisi in manu forti superantur. Non seruiet autem virtuti, quam nemo nisi per laborum tolerantiam atque patiētiam adeptus est. Sensus & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Genes. 8.* Quanta ergo vi aduersus hos lapsus naturæ motus atque impetus pugnandum est! Aliud est enim, cymbam prono flumine, ventisque secundis ferri: aliud verò, contra impetum fluminis, & vētorum aduersantium flatus remorum impulsu conari: hîc enim validis incumbere remis, magnoque nisu aduersus hæc impedimenta pugnare oportet. O si nunc spirituales oculos haberemus! quàm liquidò deprehenderemus, simile nobis certamen, simileq; nauigationis discrimen esse propositum! *Certamen nobis propositum.* O quanto nobis studio, quanto labore, quibus vigiliis & precibus opus est, vt tricipitem hunc Cerberum expugnare valeamus! Spiritus noster, qui à cælis originem ducit, in hoc mundo est velut aduena & peregrinus: caro autem in ipso tanquam in patria & genitali solo instar eius est. Quo fit, vt eius cupiditas à cognata patria, in qua vitam ducit, non parum acuatur. Huc accedit, quòd suos etiã caro satellites habeat, qui simili modo terrenis bonis capiuntur. Oculi enim pulchra videre, aures iucunda audire, nares suauia odorari, corpus mollibus tegi concupiscit. Quæ omnia aduersus spiritũ, qui solis spiritualibus rebus pascitur, acriter pugnant. Liquet igitur non modò sanctarum scripturarum testimonio, sed aperta etiam ratione, per varios labores atque certamina nobis ad sempiternæ felicitatis portũ esse veniendum. *Vita nostra malitia.* Vnde quisquis omnium laborum molestiã detrectat, seipsum in sempiternam miseriam atque mortem præcipitat. Vt autem scias quibus in rebus nobis elaborandum sit, exemplo sacræ scripturæ disce. *Genes. 25.* Olim Rebeccæ vterum gestanti, & Dominum de futuro partu consulenti, dictum est: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur.* Idem igitur sibi quisque fidelium quadã similitudine dictũ putet. Duos enim quisque nostrûm variarum cupiditatum exercitus in pectore suo gestat, qui aduersus virtutis & rationis imperium continenter bellum gerũt. Aliæ enim opes, honores, & carnis delicias sitienter appetunt: aliæ verò, si quis nobis impedimento sit, quo minùs hæc ipsa quæ ardenter cupimus assequamur, ita, vindictæ cupiditate, nos à virtute & tranquillo mentis statu deiicere

conan-

conantur. In his igitur vtrisque affectibus cæterisque turbidis animi motibus frenandis, tota vita laborandum est: ne videlicet huiusmodi affectionum impetus nos transuersos agant, & à virtutis tramite abducant. Alij propter tuendam fidem, alij propter charitatem conseruandam martyres sũt. Habemus igitur in his rebus, exercendæ virtutis propositam materiam. Iam cogitet perpendatque quisque apud se, licèt asperiora vobis proposuerim, quòd magis in hac vita ad labores & asperitatem inuitemur. Necesse sanè est, vt, sicut aduersus hostes dimicaturi, eorum vires nosse diligenter student, quo similes copias & parem animi magnitudinem aduersus illorum impetus comparent: ita in virtutis stadio pugnaturi, qui sint ipsis labores exantlandi, quæ certamina subeunda, priùs animo comprehendant, ne, si lãguidi & imparati in hoc certamen descenderint, in primo congressu, improuisi laboris magnitudine deterriti, frangantur. Præmium aut certè spes laboris, ipsum opus reddit dulce & leue. Quid enim aliud agunt omnes qui labore manuum suarum die ac nocte victum sibi suisque comparant? Quid faber ferrarius, qui noctem tamquam diem transigit? *Vapor ignis*, inquit ille, *exurit carnes eius, & in calore fornacis concertatur.* Non ergo in labores solùm, sed in laborum fructum, & alia multa quæ laborum acerbitatem leniunt, oculos coniicere debemus, ne, territi prima virtutis specie, ab ea resiliamus.

Martyres qui.

Simile.

Eccl. 38.

Et, quidem si in scelerata vita minus esset difficultatis ac laboris: non mirum esset, ad illam à virtutis & honestatis tramite deficere: sed longè tamen secus euenit. Quid enim improborum hominum vita laboriosius? quid acerbius? An non ipsi hoc in libro Sapient. confitentur? *Lassati*, inquiunt, *sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Fatendum, in vtraque vita labores non deesse: at longè improborum quàm piorum vita laboriosior est. Adferam ab ipsa voluptatis officina exemplum, quod nulli homines, quamlibet voluptatum amantes, reiicere possint. Epicurus enim voluptatis assertor, in qua humanæ vitæ felicitatem collocabat, Seneca referente, virtutem ideò sequendam esse dicebat, quòd magnam sectatoribus suis voluptatem adferret: vitia verò fugienda, quòd innumeras secum molestias ex metu, & malorum conscientia, & cupiditatum intemperantia, menti ingenerarent. Qua in re non admodùm à dogmatibus nostris abhor

Sapien. 5.

Epicurus qualis.

abhorret etiam Epicurus, cùm alibi quidem de viro iusto
Prou. 21. scriptum sit, *Gaudium est iusto facere iustitiam*: alibi verò
Psal. 13. de via impiorum Propheta dicat: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Ait rectè diuus
August. Augustinus? *Iussisti Domine, & verè sic est, vt pœna sibi ipsi sit animus inordinatus.* Sed quibus virtus cōdimentis, quam habet amaritudinem, vel temperet, vel prorsus adimat, expendamus. Primum eius condimentum est, meriti magnitudo. Laboris cumulus, qui ex ipso opere nascitur (dummodò charitas adsit) meriti etiam cumulum ita auget, vbi maior fuerit laboris molestia, maius sit etiam boni operis meritum. Diligenter quidem illa Raphaëlis Angeli verba ad Tobiam annotanda, & imo pectore condenda sunt: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino.* Præclarum quidem opus erat, & orare, & mortuos tradere sepulturæ: sed lacrymas precibus adiungere, & prandium relinquere, & cum mortis etiam periculo mortuos humare, hoc ita gratum Deo fuit, vt tam noua & insolita ratione af-
Tobiæ 2. flictis Tobiæ rebus Dominus consuluerit, cùm Raphaëlem
Angelus Raphaël quid egerit. Angelum, humanam speciem referentem, è cælo demiserit, qui tot diebus Iuniorem Tobiam comitaretur, vnà cum illo iter ageret, vnà cibum & potum cum illo capere simularet, atque tam multis & patrem & filium beneficiis afficeret. Vnde hoc? Certè ex lacrymis ac vitæ periculis atque laboribus, quos vir sanctus propter Dei gloriam suscipiebat. Vnde Dominus Paulum laudaturus, prætermissis aliis eius virtutibus, hanc in eo laborum tolerantiam præcipuè com-
Act. 9. mendat. Sic enim ad Ananiam ait: *Vade Anania, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen*, &c. *Ego enim ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* His etiam adde mirabiles paracleti Spiritus consolationes, & spiritualia gaudia, quibus pios homines visitare, consolari, atque reficere solet, & occulto illo manna pascere, cuius suauitatem
Psal. 30. nemo scit, nisi qui accipit. Hinc vates Regius: *Quàm magna* inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timētibus te!* Quæ quidem dulcedo tanta est, vt ipsas etiam cælestes virtutes in admirationem rapiat. Gustata spirituali suauitate, facile est omnia alia mundi oblectamenta fastidire, & Christi crucem amplecti, & supplicem illi fieri. Adde his etiam mercedem, quæ strenuè laborantibus, in cælo reposita est. Hac enim ratione Apostolus Corinthios ad stre-

nuè laborandum hortatur; cùm, expoſita reſurrectionis & immortalitatis gloria, tandem ait: *Itaque, fratres mei, ſtabiles eſtote in omni opere Domini, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Hîc militamus, illic coronamur: hîc per labores præparamur ad regnum, illic verò defuncti laboribus vocamur ad requiem. In templo Salomonis conſtruendo, malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita, cùm ea domus ædificaretur. Adeò enim perfectè lapides & ligna in monte Libano dolata erant, vt in ſuo quoque loco ſine ſecuris aut mallei officio aptiſſimè collocarentur. Hîc lapides viui dolantur, illic verò ſine vllius ferramenti miniſterio in ſuis ſedibus collocantur. *Tunſionibus, preſſuris expoliui lapides* (canit Eccleſia) *ſuis coaptantur locis per manum artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis.* Hac ergo ſpe ſe pij homines conſolantur, cùm variis in vita laboribus premuntur: quòd intelligant ſe tunc non premi, ſed poliri, non à Deo deſeri, ſed dolari: non lacerari, ſed ornari: quo in illa cæleſti fabrica tantò præſtantiorem locũ obtineãt, quãtò maioribus hîc laboribus preſſi & attriti fuerint. Niſi enim hac bona ſpe ſuſtentarentur, quomodo inter tot mundi turbines atque procellas ſubſiſtere poſſent? Iam verò Sanctorum omnium varij labores atque certamina, pro iuſtitia & pietate ſuſcepta, quãtum nos ad laborum tolerantiam excitare debent! *Facta*, inquit D. Gregor. *præcedentium penſemus, & grauia nõ ſunt quæ toleramus.* Sed inter hos labores, ſanctorum Martyrum agones ſingulariter eminent. Hoc enim tabida tyrãnorum feritas, ſatanæ furiis exagitata captabat, vt aliquid morte atrocius inueniret, ſi quâ fieri poſſet, vt Dei famulos de gradu virtutis & conſtantiæ depelleret, & inuictam eorũ fidẽ labefactaret. Vnde alij beſtiis immanibus laniandi obiiciebantur: alij per ſaxa & tribulas ad caudas indomitorũ equorum alligati raptabantur: alij membratim diſſecabantur: alij nouo genere ſupplicij, brumali tempore, borealiq; regione, vinctis pedibus frigore enecandi reponebãtur. Quid verò illos memorẽ, qui in ſartagine feruenti oleo atque adipe frigebantur? Quid, qui in craticula prunis ſuppoſitis, furceiſque ferreis cõpreſſi torrebantur? Quid, qui fame & ſqualore, ac tenebris carceris, longo ſupplicij genere conficiebãtur? Quamuis autem mirum ſit, tam varia & immania tormenta vnum corpus, adeóque fragile, ſuſtinere potuiſſe: longè tamen mirabilius eſt, videre, qua animi alacritate & cõſtantia ad hæc ſupplicia fideles profi

Marginal notes: *1. Cor. 18.* — *3. Reg. 6.* — *Perfecti qui ſimus.* — *Pij vt ſe cõſolentur.* — *Opera ſanctorũ, quorũ nos admoneant.* — *Gregorius.* — *Martyrum pœnæ.*

Martyrum promptitudo. proficiſcebantur:adeò, vt multi etiam non quæſiti vltrò ſe
ad exoptatiſſimam mortẽ offerrent,magna voce clamãtes
Chriſtianus ſum,Chriſtianus ſum. In his igitur,qui ſe ad mor
tem vltrò adferebant,martyrij ardor:in aliis qui deprehenſ
ad mortẽ ducebantur, deuotio & animi promptitudo præ
Cyprianus hoc fecit. cipuè cõmendatur. De quibuſdam legimus,quòd iuſſerin
carnifici præmium numerari pro tanto beneficio necis: &
Agatha hoc fecit. cùm vitã alij redimant auro,hi mortem mercari ſunt auro
Nonnulli etiam ad mortem nõ aliter quàm ad epulas pro
perabant. Denique non rarò infideles ipſi, qui tormenti
aderant, inſuperabilem hanc animi magnitudinem & con
ſtantiam demirati,aliquid ibi ſupra humanæ naturæ con
Greg. Nazian. ditionem ſublimius intelligebant. Quid? quod non ſolùm
Martyres, ſed etiam ſancti Confeſſores tam multos labo
res & perditorum hominum infeſtationes paſſi ſunt? Gre
gorius Nazianzenus Conſtãtinopolitanus Antiſtes,cathe
dram ſuam ob æmulorum inuidiam deſerere coactus eſt
Baſilius. Diuus Baſilius grauiſſimas ab Imperatore Valente Arrian
Chryſoſt. perſecutiones paſſus eſt. Diuus Chryſoſtomus innocens
ſanctus exſilio mulctatur,atque in eo magnis exantlatis la
boribus propter Eccleſiam,& morum correptionem, vitam
finiuit. Sic diuus Hieronymus,diuus Ambroſius, diuus Gre
gorius Magnus,multa ab ęmulis ob Eccleſiam Catholicam
perpeſſi ſunt. Quid verò Athanaſius,cui vix vllus in toto
Athanaſ. orbe terrarũ tutus locus ad latendum fuit? Nunc ad vos,Au
ditores,ſi ea diuinæ gratię & charitatis virtus eſt,vt nõ mo
dò diuinæ legis onera,ſed immania etiam tyrannorum tor
Virtus cuius efficacia. menta alacri & inuicto animo perferre valeat; quam,quæ
ſo, nos ante ſuperni iudicis tribunal excuſationem obten
dere poterimus,cùm apertè videamus,eiuſdem naturæ con
ſortes tanto maiora onera diuinæ gratiæ ope adiutos pe
tuliſſe, quàm quæ à nobis exiguntur? Hæc nobis hodie
beato N. virtutis & conſtantiæ exempla proponuntur: qu
vt improbis omnem excuſationis anſam adimunt, ita p
acres ad virtutem & pietatem ſtimulos addunt. Itaque no
ſolam diuinæ legis aſperitatem animaduertere debetis: ſe
vlteriùs progreſſi,conſiderare,perditorum hominum vitam
longè maioribus curis & moleſtiis eſſe implicitam: pioru
autem,præterquàm quòd minùs moleſta eſt,hæc etiã adi
menta, quæ ſunt à nobis propoſita, habere. Adiuuat enim
nos primùm meriti magnitudo,quod ſtrenuè laborantib
propoſitum eſt. Adiuuat corona cæleſtis,quæ iuſtitiæ & i
te

tegritati in cælo proposita est. Adiuuat paracletus Spiritus, qui fidelium corda, ne laboribus fracti deficiant in via, miris reficit gaudiis atque deliciis. Adiuuat postremò insuperabilis diuinæ gratiæ virtus, quæ ita Apostolorum & Martyrum mentes muniuit, vt eorum omnium sit illa vox: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* His igitur adiumentis cõfirmati, Auditores, animum resumamus, & ad diuinorum præceptorum obedientiam alacriter accingamur. Nulla nos mundi aduersitas, nulla carnis voluptas, nulla terreni lucri cupiditas, nulla popularis auræ vanitas, nulla prauorum hominum exempla, nulla consilia, nullæ ipsorum siue iniuriæ, siue contumeliæ; nihil denique in vita sit, quod nos à contento pietatis & iustitiæ cursu retardare possit: sed his omnibus impedimentis atque hostibus superatis, per semitas iustitiæ gradiamur; vt sic tandem sempiternæ iustitiæ coronam, cum eisdem Martyribus, ab Imperatore nostro promissam percipere mereamur: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen. *Rom. 8.*

IN FESTO SANCTORVM MARTYRVM, CONCIO: DE FIDEI veritate, quomodo mundus sit conuersus, quod sine miraculis esse non potuit: & de tranquillitatis internæ beneficio, quæ fidei veritatem confirmat.

THEMA. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* 1. Ioan. 5.

INTER ea quæ ad vitam hominum optimis institutis moderandam adiuuant, tantum rectè viuendi exempla conferunt, vt sempiterni Patris Filius sub imaginis humanę specie terras lustrare, & inter homines versari dignatus fuerit: nõ solùm vt eos redimeret, sed etiã vt seipsum absolutissimum virtutũ omnium exemplar exhiberet. Vt enim Lactantius ait: *Homines magis exempla expetunt, quàm verba: quia loqui facile, præstare difficile.* Hac igitur de causa Ecclesia de cõmuni semper omnium salute solicita, quæ nullũ non mouet lapidem, *Lactãtius. Exempla mouent.*

quo nos ad virtutis & pietatis studium impellat, tam multa & varia Sanctorum festa singulis penè diebus celebranda proponit, non solùm vt eorum precibus & intercessione infirmitas nostra iuuetur, sed etiam vt clarissimis virtutum eorum exemplis languor & tepiditas nostra accendatur. Quamuis autem Spiritus ille cælestis (qui totius sanctitatis & iustitiæ architectus & magister est) Sāctos omnes, quasi vas auri solidum, cunctis virtutum gemmis ornauerit; in aliis tamen alias atque alias virtutum laudes magis extulit & amplificauit. Sic commendamus in sanctis Patriarchis obedientiam, in Prophetis rerum diuinarum scientiam, in Apostolis charitatem, in Martyribus fidem, in Confessoribus deuotionem, in sanctis Monachis, & Anachoretis mirabilem abstinentiam, & diuinarum rerum contemplationem, in Virginibus illatum virginei pudoris florem, & in sanctis Viduis sobrietatem & continentiam. Cùm his igitur diuinis coloribus summus ille artifex polymitam Ecclesiæ vestem distinxerit; prudentissimè nobiscum eadem agit Ecclesia, quæ tot Sanctorum festis propositis, vestem suam deauratam, mira virtutum varietate contextam, nobis quotidie spectandam proponit: quo inter tot pretiosa virtutum monialia aliquid vitæ nostræ instituendæ commodum & salutare inueniamus. Celebramus Martyrum inconcussam fidei firmitatem; de hac hodie dicturi, cælestem opem, beatissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

Sanctorū festa cuius nos admoneant.

Vestis deaurata.

AVE MARIA.

Erunt fortasse qui hoc argumenti genus, quo de fidei veritate tractare decernimus, minimè necessarium firmiter iam credentibus dicent. At cùm multos passim, proh dolor, reperire liceat, qui ita credunt, quasi non crederent; qui ita viuunt, ac si nullam prouidentiam, nullúmque apud Deum bonorum malorúmque discrimen esse arbitrentur: de fidei veritate atque dignitate apud hos sæpe dicere necesse est, his præsertim infelicissimis tēporibus, in quibus tam multa fidei naufragia lamentamur. Hos igitur tanquam infirmos in fide, necesse est vt iuxta Apostoli præceptū assumamus, & non modò ipsius fidei auctoritate, sed etiam apertissimis diuinorum operum argumentis conuincamus: si fortè, apud quos fidei auctoritas minùs valet, rationis vis & efficacia valere possit. Nec ad hos modò, sed ad eos etiam qui piè in Christo viuunt, huius argumenti tractatio perquàm vtilis est.

Veritas fidei.

Rom. 14.

est. Cùm enim fides (vt Apostolus docet) totius spiritualis vitæ radix & fundamentum sit; ea vtique nobis assidua cura, & vigilanti studio colenda & roboranda est. Sic enim videmus hortorum cultores omnem operam suam in excolenda arborum radice ponere: hanc enim frequentibus aquis irrigant, fimo iniecto fouent, terram, cui innixa est, molliũt, quo ad imas radices peruius sit Solis, pluuiæ, aëris, & cælorum influxus. Hoc enim diligenter prouiso beneficium in vnam radicem collatum, in omnes arboris ramos fructusq; redundat. Cùm ergo fides non modò iustificationis nostræ, sed totius quoque spiritualis vitæ, cæterarumq; virtutum radix & fundamentum sit, omnem operam nostrã in hac virtute excolenda, fouenda, roboranda & diuinorum operum miraculis confirmanda, collocare debemus, quo, radice solidata, maximos in cæteris virtutibus, velut in ramis ab hac radice prodeuntibus, processus faciamus. Hac enim ratione Apostolus Christiani hominis profectũ atque iustitiam ex fide in fidem esse testatur: quia videlicet ad profectum vigentis & inflammatæ fidei, cæteræ quoq; virtutes assidua capiunt incrementa. Quamuis autem fidei nostræ veritas à diuini Spiritus lumine magis quàm ab humanæ rationis argumentis pendeat: sunt tamen adeò multa & magna argumenta quæ illam confirmant, vt meritò Propheta dixerit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Nõ enim solum fidei lumen, sed humanæ quoq; rationis lumen miro modo huic veritati adstipulatur. Vnde non immeritò illa Richardi sententia commendantur: *Vtinam attendere vellent Iudæi & Gentiles.* Verè enim tam multa & magna sunt quæ nos ad credendum impellunt, vt dicere Domino possimus: *Domine, si decepti sumus, à te decepti sumus.*

Hebr. 11. *Fides, salutis radix.* *Simile.* *Hebr. 11.* *Psal. 91.* *Richardus.*

Sed cùm tam multa sint quæ fidei nostræ veritatem confirment, duo tamen sunt eius præcipua testimonia: quorum altero exteriùs, altero interiùs eius veritatem hominibus Dominus in mundum inuexit. Exteriùs enim per clarissima miracula, interiùs verò per magnifica diuinæ gratiæ opera, quæ in piorum mentibus operatus est, eius veritatem confirmauit. De his igitur duobus fidei nostræ testimoniis, adspirante Deo, disserendum.

Fidei testimonia duo.

Pars prior.

Miracula, Catholicæ fidei veritatẽ plenissimè cõfirmant, vtpote diuinæ potentiæ opera, in testimonium Catholicæ

veritatis edita, quæ nec fallere quemquam, nec ipsa falli potest. Non credidissent sanè homines, humilem Christum, ignominioso cum facinorosis hominibus supplicio crucis affectum, verum Deum fuisse, nisi clarissimis miraculorum operibus ad hoc credendum impulsi fuissent. Habuit Christus humilem matrem, humilem patrem, vtpote fabrum lignarium: qui tamen omniũ rerum erat moderator & conditor: nunquam sanè credidissent, nisi aperta miraculorum testimonia intercessissent. Hac enim ratione tyranni olim Christianos insectabantur, insanire illos asserentes, quòd fabri filium omnipotentem Deum esse crederent. Vide quid Magnates, quid Reges, Imperatores, summos principes adduxerit ad fidei professionem, vt nõ vincula, non carceres, non exilia, non rotas, non proscriptiones bonorum, non dentes bestiarum, non denique omnia tormentorum genera curauerint, modò sibi Christum retinere possent. Nulla immanitas hominum, nullus dæmonum furor, imò omnis orbis aduersus eos dimicans, qui Christi fide erãt insigniti, ab hac fidei firmitate & confessione dimouere non potuerint. *Adstiterunt* enim *Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Horum omnium rabiem atque furorem, fremitus nomine designauit, cùm ait: *Quare fremuerunt Gentes,* &c. Nihil tamen horum sanctorum Martyrum fidem vlla in re aut labefactare, aut imminuere potuit.

Matth.13. *Niceph. li. 13. cap. 20.* *Psal. 2.*

Fuit & aliud impugnationis genus, quod sanctos Martyres, imò omnes pios vehementer affligere potest, nempe, quòd homines sint qui Deum ob felicitatem terrenorum bonorũ colant, vt successu rerum, religionis & fidei veritatem metiantur. Hæc opinio modò apud Caluinistas valet. Aduersus horũ perfidorũ hominũ errorem scripsit D. Cyprianus contra Demetriadem, Saluianus cõtra Gentes, Augustin. in lib. de ciuitate Dei diligentissimè. Vt autẽ perditi homines ob res diuersas & incõmodas religioni detrahũt, vt in lib. Machab. videre est; *Eamus & disponamus testamentum cum Gentibus,* &c. Et in Hierem. vbi volebãt sacrificare reginæ cæli: ita contrà prosperis successibus eã amplectuntur & probant. Quã rem apertè in lib. Esther cernere licet. Gentiles quippe admirandã illam rerũ commutationẽ animaduertentes, qua Iudæi ad mortem ob Aman crudelitatẽ destinati, ad tantam gloriam sub Mardochæi principatu subitò euecti fuissent, relicto idolorum cultu, ad Iudæorum religio-

Hæretici cur Catholicos persequantur. *1. Mach. 1.* *Hier. 44.*

religionem transibant, præstātiam videlicet ac dignitatem religionis hoc tam felici successu metientes. Talia exēpla facilè inuenire licet. Hæc ferè semper fuit vulgariū hominum, ac præcipuè Gentilium, sententia, colere Deū ob rerū temporalium felicem successum. Hi nostris dicere possunt: Si Christus, quem vos confitemini, verus Deus est, & vos illius cultores; quare ille nō defendit vos? quare vestros persecutores non interimit? quare vos tam ærumnosam agitis vitam? Quis enim terrenorum Regum homines fidei suæ commissos, & ob eius fidem variis calamitatibus oppressos deserat, ac non potiùs arma moueat, & ferro ac flamma seruorum ciuiumq; suorū iniurias vlciscatur? Quomodo igitur Deus vester neque vobis spem aliquam salutis ostendit, & religionis suæ euersores non modò impunitos relinquit, sed omnium rerum abundantia cumulat? Hæc aduersarij dicere possunt, quibus fidem nostram labefactari posse sibi persuadēt. Quomodo hi duo potentissimi arietes, sanctorū fidem non euerterent, nisi innumera quotidie miracula cernerent, quibus non modò aliàs, sed in ipsis etiam suis agonibus & certaminibus à suo Imperatore Christo mirificè confirmarētur? Quoties enim feras aduersus illos incitatas mansuefecit! quoties ignis vim atque violētiam exstinxit! quoties tortorū manus & brachia stupefecit! quoties feruentem adipem atque oleum in frigidum rorem cōmurauit! Denique pulcherrimū ac verè mirandū certamen inter sanctos Martyres & Martyrū Dominū video intercessisse. Illi enim, ne Domini sui fidem violarent, vitæ suæ non parcebant: fidelis autem Dominus miris eos auxiliis atque fauoribus, tùm internis tum externis, in ipsis suis agonibus cōfirmabat. Cuius rei cùm innumera penè in Ecclesiasticis historiis exēpla exstent, vnū est ex tam multis, quod Euseb. Cæsar. se vidisse ait: in quo apertè & Martyrum fidem erga Dominum, & Domini rursus erga illos fidem, & paternam prouidētiam cernere licebit. Ex his, quæ diximus, cùm alia multa, tum illud animaduertere poterimus, quāta aduersus Dei seruos mundi tempestas excitata fuerit: quantaq; diuinæ protectionis gratia erga illos effulserit, qua Ecclesiæ fidem stabiliuit. Vtrumque autē Regius Propheta in spiritu præuidisse se ostēdit, cùm ait: *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Hîc procella horribilis

Christus suis semper adest.

Euseb. 8. Eccl. cap. 3. videat Cōcionator.

Psal. 92.

Mundus infidelitatis spiritu ebrius. describitur in Ecclesiam. Licèt autem mundus,infidelitatis spiritu ebrius,omnibus machinis Christi nomē exstinguere,& fidē in eum funditus euertere conaretur : nihilominùs tamen idem mundus,Dei virtute,& Martyrum constantia superatus,sic eius fidem amplexus est,vt,qui anteà propter idola Christum persequebatur,idola deinde propter Christum euerteret & conculcaret. *Mundus conuersus.* Cæterùm quanta fuerit illa quę præcessit tempestas,aquarum & fluctuum appellatione designauit. Aquarū enim nomine varias calamitates significari,ex Psalmo illo colligitur: *Psal. 68.* *Saluum me fac Deus,quoniā intrauerunt aquæ vsque ad animā meam.* Sed quamuis mirabiles maris magni huius elationes atq; fluctus exstiterint, mirabilior tamen fuit in altis Dominus,qui statuit procellā eius in auram & siluerunt fluctus eius : & ita factum est,vt eius testimonia nimis credibilia facta fuerint. *Matth. 8.* Ipse enim imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

Pars posterior.

Argumento primo fidei nostrę veritatem cōfirmauimus. Quòd enim Dominus hanc tantam mundi rabiem atque tempestatem sedauerit,quòd mundus paternam auitámque religionem à toto penè terrarum orbe receptam atque defensam repudiauerit,& pro ea verum hominē, fabri filium existimatum,& crucis supplicio affectum,verū atque omnipotentem Deum, cæli atque terræ conditorem & moderatorem esse crediderit,hoc planè nullo modo sine clarissimis miraculorum operibus fieri potuit. *Miracula cur facta sint.* Verùm non solùm hoc firmissimo argumento,sed alio etiam,huic non admodùm dissimili,quod intra se pij homines passim experiuntur,eadē veritate confirmatur: nempe alterius intestinæ tempestatis mirabili sedatione. *Mare duplex.* Est enim duplex in hoc seculo mare:alterum quidem externum,quod descripsimus:alterum internum quod intra nos ipsos gestamus. In vtroque autem grauissimæ sæpè tempestates & procellæ excitātur,quæ nisi diuinæ virtutis auxilio sedari non possunt. Quo fit,vt vtriusq; tempestatis sedatio, clarissima fidei nostræ confirmatio sit. Est enim intra nos aliud quoq; mare,angustius quidē illud, sed non minùs procellosum : vtpote à quo superior illa aduersus Christi fidem tempestas orta est. Illa námque furor mūdi & rabies,quæ & Domini Saluatoris,& cultorū eius vitā petebat,ab humani cordis procella deriuata est. *Cor impij* (inquit Esaias) *quasi mare feruens,quod quiescere non potest.* *Esaiæ 57.*

Quod

Quod enim mare tot motus,tot tamq; varias habere creditis agitationes,quot habent corda malorum?Tument enim superbia,furiunt iracundia,spumant libidine, agitantur variis cupiditatibus,mutãtur assiduè:modò ambitionis spiritu elati,ac demùm tot perturbationũ motibus exagitati,quot incommoda rebus iis accidunt,quibus per amorẽ agglutinati sunt.In hoc autẽ infelici statu degunt,quicumque Deo, hoc est,tutissimo pacis & tranquillitatis portu relicto,variis mundi curis & cupiditatibus implicantur. Quicumq; à Domino recedunt,statim seculi fluctibus quatiuntur.Porrò autem fluctus & flatus, quibus hoc mare exagitatur, affectus nostri,& varia desideria sunt: quæ cùm vehementiora fuerint,transuersos homines in varios perturbationũ scopulos agunt,& sursum atque deorsum miscent. Quot enim mundi naufragia,quot generis humani clades ac mortes, Alexãdri Magni,Iulij Cæsaris,cæterorumque mundi principũ auaritia,ambitio,& dominandi libido pepererũt?Quot quotidie in corde auari, libidinosi, cupidi,elati & irati,æstus & procellæ excitantur? Itaque tempestates omnes atque turbines mundi,& omnia denique maioris mundi naufragia ex hoc interno mari deriuãtur.Si enim cor nostrũ in pace & quiete ageret,totus vtique orbis placidam in tranquillitate & otio vitam ageret.Cæterùm si per aditũ verę pœnitentiæ,& piarum orationum studium,Dominus intret in hoc mare,ibiq; requiescat & mansionem faciat, hoc est,nos ipsos in se,qui omnium bonorũ summa est,requiescere atque dormire faciat,dum eo solo contenti,nihil aliud quærimus; tunc mens nostra sublatis terrenarũ rerum cupiditatibus adeò summo illo bono satiatur,vt eo refecta,nihil vltrà quærat,nihil sitiat;atque ita fit,vt in maxima pace felicissimã vitam ducat. Quid enim vltrà desideret, quæ ad finem suum iam peruenit? Neque enim falsò dictum est: *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autẽ Dominum,non minuentur omni bono.* Cùm diligimus Dominũ,omnia in ipso reperimus. Vnus est qui quæritur,sed in quo omnia continentur. *Vt sit*,inquit Apostolus, *Deus omnia in omnibus.* Si Deus etiam in hac mortali vita amicis suis omnia est; quid extra illum desiderare queát,qui intra illum est? Vbi noxia illa cupiditas sopita est,cæteri quoque affectus,qui velut satellites eius exsistunt,non habent cur te cõmouere aut exagitare possint. Ad hunc ergo modum vbi prudens mercator

Hieronym.

Impiorum furor.

Alexand. Magnus cupidus.

Bella vnde veniant.

Vita tranquilla vnde.

Psal. 33.

Cassiodor.

1. Cor. 15.

Matth. 13 pretiosissimam illam Euangelij margaritam diu & multùm quæsitam, per ardentem charitatē inuenit, hoc vno contentus, cætera omnia distrahit, cætera omnia tanquam ludicra & inania bona contemnit. Hac igitur ratione in hoc interno *Gregorius.* cordis mari fit ope Dei trāquillitas magna. Quisquis in solo desiderio æternitatis figitur, nec prosperitate attollitur, nec aduersitate quassatur: quia dum nihil habet in mundo quod *Plato.* appetat, nihil est in mundo quod pertimescat. Plato aiebat, felices eos esse, quibus vel in senectute sapientiam assequi datum esset, quæ nulli nisi in quiete & animi tranquillitate *Sapiens vt fias.* contingit. Anima enim quiescendo sapiens fieri dicitur. At vbi homines gratia Dei destituti sunt, eam assequi non pos- *Augustinus conuersus.* sunt: ea autem præsente, facilè inuenitur. Sic D. Augustinus, ad Dominum conuersus, protinus spem omnē, quam habebat in seculo, dereliquit, & hanc in corde suo pacem & tranquillitatem reperit. Idem multis aliis quotidie in Ecclesia euenit, qui tota animi contentione ad Dominū conuertuntur, quorum ipse corda intra breue temporis spatium mirabiliter immutat. Hi ne aduersis quidem franguntur, imò *Hebr.* 10. sæpiùs lætantur. Contingit enim illis quod Apostolus ait: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Hoc *Psal.* 106. est autem quod Propheta miratur, cùm ait: *Et statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius. Et læti sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Non contentus enim Dominus procellā sedasse, quod magnum planè beneficium est; quiddam adhuc maius & mirabilius addidit, quod procellam ipsam in secundam auram *Gaudium in tribulatione.* cōmutauit. Quod planè facit, cùm ipsam calamitatis amaritudinem in dulcedinem vertit. Sic Macedones Apostolus dicit in tribulatione gauisos fuisse. Hoc autē quonam modo *2. Cor.* 8. fiat, seculi homines ne suspicari quidem possunt. Hęc igitur, quæ intra se pij homines quotidie experiuntur, sic ipsorum fidem confirmant, illuminant, & accendunt, vt illis instar miraculorum, fidem confirmantiū, imò supra miracula sint. Multi enim, plurimis inspectis miraculis, in perfidia sua obcæcato animo perstiterunt: quisquis hanc Dei virtutem in se expertus est, miro modo in fidei veritate solidatur. *Venite,* *Psal.* 45. inquit Propheta, *& videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum. Qui conuertit mare in aridam: in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso.* Fuit mirabile, quòd Deus fluctus maris compescuit; at mirabilius est, humani cordis impetum & rabiem sedasse, & inter

calami

calamitatum & persecutionũ turbines placida & tranquilla mente constitisse. Illi sanè non malè sentiunt, qui affirmant Deum in rebus aduersis amabiliorem exsistere, quàm in prosperis. His igitur multísque aliis argumentis, Auditores, quibus fidei lumen à Deo profectum, rationis quoque lumine, quod ab eodem fonte dimanat, Deo cooperante illustratur & confirmatur, pij homines in fide Catholica roborantur: cuius nos dogmata miro modo ad pietatis & iustitię cultum inducunt. Verissimum est, piis inæstimabiles in cęlo opes atque delicias esse paratas; horrẽdaque & in æternum duratura supplicia reprobis in gehenna constituta. Verissimum est, animas non interire cum corporibus: sed vbi primùm à corpore solutæ fuerint (nisi aliquid purgandum superfit) operum suorum mercedem à iusto iudice Deo, qui reddet vnicuique iuxta opera sua, esse percepturas. Harum enim rerum fides, quò magis viuida & incensa est, magis roborata, eò fecũdiora virtutum germina profert. Sicut enim stomacho refecto (à quo alimentum ad totum corpus deriuatur) cætera quoque membra per illum refecta vigent: ita fide aucta, & nouis splendoribus illustrata, cæteræ quoque virtutes, quarum ipsa fundamentum est, maiora capiunt incrementa. Ab hoc enim fonte omnia illa virtutum opera, quæ Apostolus ad Hebr. longa oratione enumerat, prodierunt. Abrahã enim patriam & genitale solum iussus à Deo reliquit, vt iret quò nesciebat. Exspectabat enim fundamẽtum habentem ciuitatem, hoc est, immobilem & æternam, in cælis, cuius artifex & cõditor est Deus. Et Moyses luxum atque opes Pharaonis contẽpsit, maiores æstimans diuitias improperium Christi, thesauro Ægyptiorum: fide enim adspiciebat in remuneratorem. Fides itaque promissionũ Dei, eos ad labores & ardua quæque virtutum opera vehementer acuebat. Qua de causa eandem nos Apostolus omnibus in rebus, tanquam impenetrabile scutum, arripere præcipit, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Ille cupiditates nostras, per se ad malũ accensas, vehementiùs accendit suo flatu. Iam adsit fides, opponat gaudia regni cælestis, damna gehennæ vt sic exstinguas. Vide exemplum. Prudentis iudicis est, nunquã aliquid in causa pronunciare, nisi vtrumque litigantem audierit: ita nunquam homo aliquid in cordis sui tribunali definiat, nisi vtraque deliberationis parte diligenter examinata. Si tibi dæmon carnis delicias & voluptates amplificat, tu in altera libræ lance volu-

Ratio nobis reddẽda Deo.

Simile.

Fidei virtus.

Hebr. 11.

Fides ad laborem incitat.

Ephes. 5.

Diabolus quid agat.

Simile.

ptatibus iſtis conſtituta ſupplicia appende. Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Si quid feceris honeſtum cum labore; labor abit, & honeſtas manet: ſi quid turpe cum voluptate; voluptas abit, turpitudo manet. Sic in aliis omnibus agere debes, vt ſemper habeas gladium ad manum. Opes manent in mundo, at crimina fraudis deferuntur in alium mundum. *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis multis vapulabit.* (*Lucæ 12.*) Adſit ſemper Chriſtus. Amen.

IN FESTO ALICVIVS SANCTI CONFESSORIS, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur: inde octo ſimplicitatis Chriſtianæ gradus deſcribuntur.

THEMA. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus dominum ſuum.* Lucæ 12.

INTER ſacra Euangelia, quę in feſtis ſanctorum Confeſſorum Eccleſia legi inſtituit, Euangelium hoc, vnde quæ audiſtis verba deſumpſi, præcipuè commẽdatur: quòd totius penè Chriſtianę Philoſophiæ ſummam paucis comprehendat, vt indicabimus. (*Chriſtianæ Philoſophiæ ſumma.*) Vt igitur hanc celeſtem doctrinam piè & vtiliter tradere valeamus, diuinam opem, ſacratiſſimę Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quod olim ſummus Philoſophus multis libris vix abſoluit, breuiſſimo compendio Saluator his paucis verbis, quæ commemorata ſunt, comprehendit. Finem quippe humanæ vitæ longè certiùs quã Ariſtoteles cõſtituit, cùm de obſequio Domini erga fideles ac vigilantes ſeruos loquitur, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Inſtrumenta, ſiue, vt appellant, media quibus ad hunc finem peruenitur, tria ſolùm præmiſit, ad quæ omnia alia referuntur: nempe lumbos præcingere, ardentes lucernas in manibus ferre, & vigilanter Domini aduentum præſtolari. De his igitur inſtrumentis in præſenti concione dicere inſtitui: ita fiet, vt totam penè Chriſtianæ Philoſo-

Philosophiæ summam vobis ante oculos ponam. *Sint*, inquit, *lumbi vestri præcincti.* Quid est lumbos præcingere? Nimirum (vt D. Gregorius hoc in loco ait) omnem carnis lasciuiam: & intemperantiam, pudicitiæ atque timoris Domini cingulo stringere. Qua loquēdi figura ex præcipua generis parte vniuersum genus Saluator intelligi vult. Non enim impudicitia sola, sed omnia lethalia crimina simul profliganda sunt, si aduentum Domini secura mente exspectare volumus. Sed quoniam (vt sancti Patres aiunt) impudicitiæ crimen maximè acre & importunum est (nusquam enim originalis concupiscentia vehementiùs, quàm in libidinis affectu, desæuit) ideò huius potissimùm mētionem fecit, qui enim hunc potentissimum hostem corruptæ naturæ viribus, armatum domuerit, facilè de cæteris vitiis victoriam reportabit. Quoniam qui maiora vincit, cōsentaneum est, posse illum quoque minora superare. Sicut qui linguam potest refrenare, cęteros quoq; rebelles animi sensus & motus refrenabit: ita qui timore Domini munitus est, vt hunc intimum & familiarem hostem opprimere possit, cæteros quoque animæ hostes prosternere, & sub iugū mittere poterit. Verum cupiditatis huius tyrannidem atque potentiam, vtinam Salomon tam diligenter cauisset, quàm sapiēter explicauit, sic enim ait: *Lustraui vniuersa animo meo, & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius: vincula sunt manus eius. Qui placet Deo, effugit illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* Quibus verbis apertiùs periculi huius magnitudo potuit explicari? Sed hoc in loco tamen perditis hominibus periculum hoc imminere ait: *Crede mihi*, inquit Aug. *cedros Libani & ductores gregis sub hac specie corruisse vidi: de quorum casu nō magis dubitabam, quā Ambrosij aut Hieronymi.* Quid his verbis formidabilius? Quamobrem fidelis D. Hier. (cuius mentionē fecimus) consilium sibi ante oculos ponat: qui ad Nepotianū scribēs: *Omnes*, inquit, *puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto māsites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Salomone prudentior. Memento semper quòd paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Hæc ideò à me dicta sunt, quo apertè huius cupiditatis vim vobis indicarē, planūmq; facerē, cur huius potissimū vitij Dñs meminerit, cū in præsenti lectione ait: *Sint lūbi vestri præcincti.* Quòd videlicet intelligeret, hac hydra superata, facilè ad

Gregorius. *Lūbos præcingere.*

Impudicitia maximum vitium.

Iacob. 3.

Salomon aliis, nō sibi consuluit. *Eccles. 7.*

August.

Hieronym.

Mulier eiecit colonū de paradiso.

Ephes. 5. aliarum victoriam viam muniri. *Oportet vas suum in ho-*
1. Petri 1. *nore, non in passione desiderij, castum conseruare.* Cæterùm non satis est lumbos carnis præcingere, nisi mentis etiam lumbos præcingamus. Quod quidem tũc facimus; cùm solicita & vigilãti cura eo nostrum (in quo sibi diuina sapientia domicilium collocauit) ab omni impura cogitatione purum integrúmque seruamus. *Principiis obsistendũ.* Hoc autem præstamus, quando prauam cogitationem, cùm primùm serpere incipit, tanta celeritate à nobis excutimus, quanta ignem fortè in manus incidentem excuteremus. Oportet igitur supra custodiam nostram stare, vt non tantùm simus contenti nos armari gladiis spiritus, sed etiam supra femur gladios gestare, *Cantic. 3.* vt nulla mora in illis euaginandis, & prauis cogitationibus abscindendis, interueniat. *Gladius flammeus atque versatilis.* Habeamus gladium flammeum atque versatilẽ in manu, vt paradisum, quæ est anima iusti, custodiamus. Sic versatilis, vt quàm celerrimè impuros affectus & cogitationes in animo surgentes abscindat: sit & flammeus, vt diuini amoris igne eos cõsumat. Aliter autem hæc paradisus pura & integra conseruari minimè poterit. *Spõsa casta qualis.* Casta Christi sponsa, vt pudica vxor, non modò ab omni impuro opere, sed ab omni etiam praua cogitatione mentem suam diligentissimè custodit. Qui autem negligenter se in hoc officio gerunt, facilè hostis antiqui ludibrio patẽt. Cuius rei imaginem expressit illa puella, quæ triticum pur- *2. Reg. 4.* gabat, & Isboseth Regis dormientis ostium custodiebat: qua dormiente, duo latrones ingressi, Regis caput amputarunt. Hæc enim puella, quæ triticum purgabat, discretionis & prudentiæ imaginem gerit, cuius est paleas à tritico, hoc est, vanas à sãctis cogitationibus discernere. Hac igitur dormiente, hoc est, officium suum oscitanter exsequente, prauę cogitationes tanquã latrones in mentis nostræ domicilium irrumpentes, Regi, hoc est, spiritui nostro, necem inferunt. Quicunque igitur hanc à se negligentiam & dormitantiam excludunt, hi planè mentis suæ lumbos præcinctos habent. *Cogitationes coërcendæ sunt.* Atque hæc prima piorum hominum cura esse debet: qua, corde diligenter custodito, malis omnibus aditum præcludant. Verũm quia non satis est à malis abstinere, nisi bonum *Lucerna quid.* facias: subdit deinde Dominus, vt lucernas ardentes in manibus gestemus. Lucernæ autem nomine & fidei lumen, & *Prouer. 6.* Dei legem significari, omnis scriptura testatur. *Mandatum* *Psal. 118* enim *lucerna est*, ait Salomon, *& lex lux.* Et Regius vates, *Lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum, & lumen semi-*

tis

tis meis. Cùm ergo Dominus ardentes lucernas in manibus gestare præcepit, fidem & legem suam non solùm corde & ore, sed operibus etiam, quæ per manus intelliguntur, nos profiteri atque testari vult. Sunt enim qui fidem & legem Dei in solo corde gerunt: sunt qui in solo ore, non in manibus gestant: qui vocem quidem habent Iacob, manus autem sunt Esau: de quibus Saluator ait: *Vt quid vocatis me Domine, & non facitis ea quæ dico?* Et iterum: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est.* Vult ergo Dominus, vt in manibus magis quàm in ore eius legem circumferamus. Itaque si is pauperes spiritu, lugentes, iustitiam sitientes, misericordes, pacificos, & mundos corde pronunciat beatos esse: danda nobis opera est, vt tales simus, quo beatitudinis huius participes efficiamur. Rursum cùm idem ait, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* demus operam, vt mandata seruemus, quo sempiternam vitã percipere mereamur. Cùm præcipit vt inimicos diligamus, hæc eius præcepta non in ore solùm, sed in manibus gestanda curemus: opere exhibentes, quod verbis profitemur. Sic igitur ardentes lucernas in manibus habemus: atque ita homines, videntes opera nostra bona, glorificant Patrem nostrum qui in cælis est. Nunquam enim magis cælestis Patris gloria elucet, quàm in his qui iustitiæ & sanctitatis cultu, bonitatis eius imaginem referunt.

Genes. 17. *Lucæ 6.* *Matth. 5.* *Matth. 5.* *Matt. 19.* *Matth. 5.*

Sequitur deinde tertio loco quod Dominus ait: *Et vos similes hominibus exspectãtibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, &c.* Venit autẽ Dominus (vt D. Gregor. ait) cùm ad iudicium properat: pulsat verò, cùm per ægritudinis molestiam esse mortem vicinam designat. Cui cõfestim aperimus, si eum cum amore suscipimus. Aperiri autem iudici pulsanti non vult, qui de corpore exire trepidat: & videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Hæc autem Domini admonitio huc præcipuè tendit, vt tota fidelis hominis vita, quæ per tres vigilias designatur, velut exspectatio & præparatio quædam sit, qua singulis momentis venientem iudicem exspectemus, vt confestim aditum ei liberum præbeamus. Ad hoc autẽ scire oportet, hominem à Deo in hũc finem conditum esse, vt ad æternæ felicitatis gloriam hoc breui æui curriculo præparetur. Hic enim est finis, ad quem is à summo illo opifice conditus est. Quod cùm ita sit, efficitur sanè, vt is nihil priùs curare, nihil in

Domino aperire quid. *Homo cur conditus.*

in vita diligentiùs agere debeat,quàm vt ad hanc horam sollicitè se præparet:atque ita demũ vita eius (vt sapientes docuerunt) continua mortis meditatio,& ad illam præparatio sit. Hanc eandem curã Dominus sub alia non dissimili metaphora cõmendauit,cùm nos in hoc mundo non tanquam ciues & indigenas,sed tanquam aduenas & peregrinos versari voluit: vt omnes Propheticum illud dicere possimus:
Psal. 38. *Aduena ego sum in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Peregrini enim & viatoris est,aliò tẽdere,nec stabilem in via sedem habere: sed alibi domicilium, alibi genitale solum & patriam habere,& ad eam properare. Sic olim Iudæis præceptum erat, vt stantes & lumbis accinctis Paschalem agnum ederent,baculos habentes in manibus. Oportet & nos peregrini & viatoris animum assumere. *Non habemus hic manentem ciuitatem.* At quantum ab hoc affectu & proposito distant, qui omnes curas & cogitationes suas sic in terra defixas habẽt,ac si ad hanc vitam solùm fruendam, non ad aliam,conditi essent! Hi sanè ad sortem cælestem non pertinent.

Aduena sumus in mundo.

Exod. 12.

Hebr. 13.

Hæc tria sunt, Auditores, quæ à nobis Dominus exigit. Nunc secundo loco videamus quid hæc ipsa præstantibus vicissim promittat. Hoc autem explicat,cùm protinus subdit: *Beati serui illi,quos,cùm venerit Dominus,inuenerit vigilantes. Amen dico vobis,quòd præcinget se,&c.* Hîc pauculis verbis eximiam animarum gloriã ostendit. Quæ enim excogitari maior gloria potuit,quàm vt rerũ omnium Dominus & conditor se in earum obsequiũ præcingere & ministrare dicatur? Nunquam enim Amã ille ad tam præcelsum honoris gradum adspirare ausus fuit, vt ab Assuero Rege hunc sibi honorem exhiberi postularet. Hoc autem orationis genere nihil humile aut terrenum cogitare debemus. Nec enim in cælo corporeæ mensę,aut mensarũ recubitus, & earũ ministeria sunt. Quid igitur hoc loquẽdi genere indicare Dominus voluit? Certè summũ quẽdã honoris & dignitatis gradũ,multóq; maiorem quàm humana mens cõcipere possit. Sic enim summus honor esset, si Rex aliquis maximus seruo suo ad mensam accumbenti seruiret:ita hac loquendi figura summum quendam & ineffabilem honorem,quo vigilãtes seruos Dominus in regno suo ornaturus est,voluit designare.de quo quidem honore alibi dixit: *Si quis mihi ministrauerit,honorificabit eum Pater meus.* In immensa illa diuinitatis abysso non vno aliquo bono, sed bonis

Hest. 6.

Simile.

nis omnibus fruuntur & satiantur: sicut Propheta testatur, cùm ait: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Et alibi: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* Hoc verbo nõ vanam aliquam lætitiæ rationem, sed omnia gaudiorum genera complexus est: quibus fruitur quisquis Dei faciem contuetur. Cuius rei typum gerebat manna, quod saporum omnium suauitatem continebat. Qua ex re, perfectissima animæ tranquillitas manat. Qui insigne instituit epulum, omnia requirit quæ ad gaudia facere possũt. Hac igitur ratione cęlestis gloriæ magnitudinem vtcunque coniectare licebit: hæc in cælesti patria in omni æternitate perdurabit voluptas. Est enim illud vniuersale bonum, quod vniuersas animæ nostræ vires & sensus planè sentit, implet, & miro modo reficit. *Ego*, inquit ad Moysen Dominus, *ostendam illi omne bonum.* Hanc lætitiæ pulchritudinem discipuli Domini in trãsfiguratione videntes, tanta lætitia completi fuere, vt Petrus tria tabernacula, nesciens quid diceret, ibidẽ fabricari postulauerit. Illa guttula inebriauit Petri mentem: quid abundantissimus fons supernæ voluptatis faceret? Hoc vtcunque dici potest, sed mente tamen comprehẽdi non potest. Sciunt autem omnes Sancti, se nõ suis meritis, sed Dei gratia, ad illam peruenisse iucunditatem. O quas tum laudes, quas tum gratiarũ actiones pro tanto beneficio agent! quo affectu voces illas, grati animi indices, intonabunt? *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam,* &c. *Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione,* &c. Hoc igitur modo Sanctorum animæ ingrediuntur & egrediuntur: & vberrima diuinitatis & sacræ humanitatis in excelsis montibus Israël pascua inueniunt: quibus tanta plenitudine satiantur, vt nihil amplius quærant, nihil sitiant. Quamuis autem dispar sit gloria singulorum, sua tamen quisque plenè & perfectè beatus est: sicut minora vasa, cùm liquore aliquo plena sunt, non minùs quàm maiora plena sunt. Ideóque non mirum si beati ab ipsa veritate prædicantur, qui ad hãc tantam felicitatem peruenturi sunt. *Beati*, inquit, *serui illi, quos, cùm venerit Dominus, &c.* Diuus Gregorius humanam vitam tribus noctis vigiliis comparat. Pueritiam primam esse vigiliam ait, iuuentutem secundam, senectutem tertiam. Eos verò Dominus pronunciat beatos, qui sic in his omnibus vigiliis parati sunt, vt, in quacumque earum Dominus

Psal. 16. *Psal. 23.* *Sap. 16.* *Simile.* *Exod. 35.* *Matt. 27.* *Gaudiorũ cumulus in cælo.* *Apoc. 5.* *Simile.* *Gregorius. Vigiliæ noctu.*

venerit, vigilantes inueniat. Ille vigilat, qui seruat operando quod credit. *Siue* (inquit diuus Hieronymus vigilans) *comedam, siue bibam, semper illa vox auribus meis insonare videtur: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Neque enim quotidiana mors (quæ incerta est) minùs quàm extremum illud iudicium pertimescenda est: quãdo, quod de vnoquoque nostrûm in morte definitũ fuerit, stabile & immotum in extremo iudicio erit. Vide igitur vt sis in qualibet vigilia expeditus. Ostendit similitudine periculũ. *Si enim sciret paterfamilias qua hora fur veniret,* &c. hoc est, illa quidẽ hora solicitè vigilaret, cæteris verò citra periculum dormire & requiescere posset. Quia verò de hora aduẽtus eius incert' est, & periculum timetur, tota illi nocte vigilandum est, si domũ suam ab hoc periculo indemnem seruare velit. Hoc est autẽ quod in sacræ huius lectionis fine Saluator indicat, cùm tandem concludit: *Ideò & vos estote parati: quia qua hora non putatis,* &c. hoc est, quia horam ignoratis, omni hora vigilare debetis. Voluit vltimã horam esse ignotam, vt eam semper haberemus suspectam. Dominus vult vt vigilemus, & de salute nostra simus soliciti, vtque omnem à nobis inertiam excutiamus. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere. Vigilate, orate, videte.* Tota nostra salus in hoc præcipuè posita est, vt hora illa nos expeditos atque paratos inueniat. Vide parabolam virginum.

Hieronym. — *Mors pertimescẽda.* — Matt. 24. Lucæ 21. *Marc.* 13. *Matt.* 25.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Lucæ 11.

DVPLEX est lucerna: prima Christus Dominus, supra Ecclesiæ candelabrum posita, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hũc mundum. *Hæc est,* inquit Esaias *via: ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram neque ad sinistram.* Hac igitur de causa Saluator noster frequenter in literis sanctis, luminis & splendoris nomine designatur. *Populus qui ambulabat in tenebris,* &c. quo videlicet homines intelligant, & à quo conditi, & in quem finem conditi, & quo gressus suos dirigere debeant, hoc lumine collustrati videant. Lucernæ officium ad Christum potissimùm pertinet: Ecclesia tamen illis etiam accommodat, qui eius spiritu ducti, ipsius in Ecclesia officium exercent, qui lucis suæ radios

Esaiæ 30. — *Esaiæ* 9. & 61. — *Lucernæ officiũ ad Christũ & homines pertinet.*

radios circumquaque diffundunt. Eſt & alia lucerna, priuata & ſingularis, quæ in vnoquoque noſtrûm eſt. *Lucerna*, inquit, *corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex.* Virtus ſimplicitatis in literis ſanctis ſæpe & multum commendatur. Sic de beato Iob legitur Dominum dixiſſe, *Iob 1.* quòd fuerit homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Sic etiam ſanctum Patriarcham Iacob hoc nomine commendari legimus: *Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis.* *Geneſ. 25.* Sapiens verò eos qui Dominũ quærunt, hac virtute inſtructos eſſe debere admonet. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Intelligebat enim quàm libenter Dominus ſimpliciũ mentes inhabitat: de quibus apud Salomonem quoque legimus: *Abominatio eſt Domino omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* *Prouer. 3.* Quid verò illud Dauidis Regis: *Scio, Deus meus, quòd corda probes, & ſimplicitatem diligas?* Videtis ergo quàm multis modis hæc ſimplicitatis virtus commendetur? Vulgus hominum ſimplicitatis nomine ignorantiam intelligit. *Simplicitas erga Deum & homines.* Eos enim qui parum proſpiciũt, ſimplices appellare ſolet. Longè tamen aliter hoc nomen in literis ſacris accipitur. Simplicitati multa opponuntur. Simplicitas aduerſatur primò quidem malitiæ, ſecundò verſutiæ, tertiò duplicitati, quartò curioſitati, quintò multiplicitati.

Principiò malitia opponitur ſimplicitati. *I.* Quo morbo laborabat ille Nabal Carmeli: quem literæ ſanctæ referunt fuiſſe peſſimum & malitioſum. *Malitioſus quis ſit.* Malitioſus eſt, qui ea, quæ candidè fiunt, omnia in malam interpretatur partem. *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* *Eccl. 10.* Simplicitas ab hac peſte nos liberat, quæ omnia ſincerè æſtimat, habens columbinam ſimplicitatem. *Matt. 10.* Debemus tamen etiam eſſe prudentes, præſertim cum hæreticis, vt ſerpentes. Simplicitati non ſolùm malitia, ſed etiam verſutia opponitur. *II.* Verſutus enim homo eſt, qui dolis & fraudibus circumuenire nititur innocentes: *Verſutus quis dicendus.* qui tanquam auceps pedicas & laqueos nectit, quibus alios fallat qui nihil ſimpliciter agit. Quod Phariſæorum diſcipuli & Herodiani fecerunt, qui Dominum illaqueare conati ſunt. *Matt. 21.* Hoc vitium eſt inuiſum & Deo & hominibus. *Vir verſutus, odioſus eſt.* *Prou. 14.* Hi vulpi comparantur: quæ multiplici aſtu prædam captat. Talis ille Abſalon. Huic vitio ſimplicitas contraria eſt, quæ nihil aſtu ſiue dolis agit.

Simplicitas etiam duplicitati aduerſatur, de qua in Eccl. *III.*

Eccl. 12. legimus: *Va duplici corde,& labijs scelestis,& peccatori ter-*
Psal. 61. *ram ingredienti duabus vijs.* Hi aliud corde, aliud in fronte
Psal. 54. gestant. Ore, inquit Dauid, *suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Et: *Molliti sunt sermones eius super oleum,& ipsi sunt iacula.* Sub hoc vitio adulatores etiam collocantur, qui blandis verbis venenum incautis propinant, & hac fraude alienas opes sæpe diripiunt, sicut vulpes coruo caseum. At simplicitas recto corde cum hominibus versatur, nihil simulans, nihil subdolè occultans.

Adulatores quales sint.

IIII. Simplicitas curiositati aduersatur. Curiositas præscriptos fines transcendere nititur. Diuina scriptura vult, vt tarditatis & ignorantiæ nostræ conscij, intra fines nobis præscriptos contineamus nos, neque vltrà progredi velimus. Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.
Rom. 12. *Altiora te ne quæsieris,& fortiora te ne scrutatus fueris.* Sic
Eccl. 3. curiosus fuit Adam, dum curiositate fœminea, an id, quod serpens pollicitus illi fuerat, verum esset, experiri voluit. Alia est curiositas, qua homo sui oblitus, quæ aliena sunt solicitè inquirit: alienis adhibet vulneribus medicinam, sua lethalia negligit. Simplicitas curiositati opponitur, quæ sibi de contenta, mysteria altiora Ecclesiæ cõmittit, & seipsam potiùs inspicit, quàm alios; & naturæ potiùs viuere conatur, quàm superfluitati & voluptati.

Curiosi qui dicendi.

V. Simplicitas multiplicitati (vt ita dicam) contraria. Hæc virtus ad eos pertinet, qui, aliis omnibus omissis, se totos
Luca 10. contẽplationi dederunt. Talis erat occupatio Mariæ Magdalenæ. Per oculum intelligit intentionis puritatem. Quocirca solicitus virtutum amator & cultor, totum studium suum erga huius intentionis puritatem conuertere debet. Hoc erit curandum, vt in omni opere nostro Dei gloriam
1. Cor. 10. & beneplacitum proponamus. *Siue*, inquit Apostolus, *comeditis, siue bibitis,*&c. Hos igitur scopulos, quos Christianæ simplicitati aduersari admonuimus, Auditores, diligenter vitare studeamus, omnémque maliciam, versutiam, curiositatem, ac immodicam rerum terrenarum cupiditatem à moribus repellamus, & columbinam simplicitatem imitari studeamus. Sic erimus & Christo Domino similes, à quo diligemur, & ad eius consortium perduci merebimur. Amen.

IN FESTO SANCTARVM VIRGINVM, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explicatur: vbi etiam, quid prudentium, quid fatuarum virginum nomine significetur, exponitur.

THEMA. *Simile est regnum cęlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ.* Matth. 25.

IN hodierna sancti Euangelij lectione insignis quædam parabola decem virginum, quarum quinque fatuæ, quinque prudentes erant, à Domino proponitur. Vt autem qua occasione illam proposuerit, quídque in ea nobis significare voluerit, intelligatis, quid illam antecesserit, paucis indicabo. Egrediente Domino ex Hierosolymorum percelebri templo, discipuli insignes lapides & structuras illi ostendentes, dixerunt: *Magister, vides quales lapides & structuræ? Quibus ille respondit, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?* Dominus ergo discipulis morem gerere, & nos in illis erudiri volens, vtriusque rei, quæ ab illo exigebatur, signa, oratione simul explicuit. Signa autem Hierosolymitanæ vastationis missa facientes, signa aliqua consummationis seculi, extremíque iudicij (quæ multa & varia, maximéque horribilia sunt) exponens, hæc etiam addidit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, nec fiet.* Hæc & alia his similia Saluator commemorauit, quibus, quàm sit dies illa formidanda, exposuit. Quocirca humanæ salutis amator Dominus variis similitudinibus nos ad hunc diem (in quo de tota æternitate sententia ferenda est) paratos esse admonet. Omnes admonitiones ad hunc finem destinatæ sunt, vt, perspecta tanti huius periculi magnitudine, nos ad hunc adeò formidabilem diem omni studio & solicitudine præparemus: cùm salutis nostræ summa in eo posita sit,

Matt. 24.

Dies extrema valde formidanda.

ne nos hæc dies imparatos deprehẽdat. Nec parabolis illis,
quas adduxit, contentus, adiecit hanc etiam decem virginũ,
qua eandem curam & vigilantiam nobis iterum commen-
dat. Hanc igitur hodie parabolam (quæ magnis mysteriis
referta est) explanaturi, cælestem opem, sacratissimæ Vir-
ginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Intellectus nostri obscuritas.

Intellectus nostri ea est imbecillitas atque obscuritas,
vt nec Deum, nec diuinas res, nisi corporearum rerum vela-
minibus tectas, percipere valeat. Quæ quò magis fuerint
familiares, ita magis notæ, atque ita nos ad spiritualium re-
rum cognitionẽ, velut porrecta manu, ducunt & attollunt.
Hac ergo de causa Saluator cælestis regni mysteria sub re-
rum corporearum similitudinibus, turbis ad se confluenti-
bus proponebat: quod in sacra huius diei lectione facit. Sic
enim ait: *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ
accipientes lampades suas,* &c. Regni cælorum nomine cæ-

Regnum cælorum quod.

lestis magister non modò regnum ipsum cęlorum, in quod
omnes tendimus, sed omnia etiam quæ ad hoc regnũ con-
sequendum pertinent, designare solet. Hoc autem in loco
cælestis regni nomine id intelligit, quod ad hoc regnũ pro-
merendum atque consequendum maximè necessarium est.
Quid autem illud sit, in huius parabolæ fine explicat, cùm
ait: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Hæc enim vigi-
lantia, hæc pia cura & solicitudo ea omnia suggerit atque
ministrat, quæ ad hoc regnum capessendum requiruntur.
Quàm sit verò hæc vigilantia necessaria, proposito decem
virginum exemplo commodè declarat. Et quidem virginũ

Virgines Christiani omnes.

nomine fideles omnes, siue probos siue improbos, intelligit.
Virgines autem appellantur, propter incorruptam fidei sin-
ceritatem, quam Christiani omnes profitentur. Infideles
enim & hæretici in literis sanctis adulteri: & meretrices ap-
pellantur. Ex his autem virginibus quinque fatuæ, & quin-
que prudẽtes esse perhibentur. Quo significatur, inter eius-
dem fidei professores, alios probos, alios improbos; alios
lucis, alios tenebrarum filios esse: hoc est, alios qui iuxta fi-
dei suæ præscripta, alios qui iuxta carnis & mundi leges vi-
tam instituunt: è quibus illos quidem prudentes, hos verò
Dominus fatuos appellat. Harum autem virginum pruden-
tiam atque fatuitatem in eo positam esse docet, quòd pru-
dentes quidem virgines acceperũt oleum in vasis suis cum
lamp-

lampadibus: quod tamen fatuæ facere neglexerunt. Lampadis autem nomine, quæ tenebras discutit, lucémque hominibus præfert, fides intelligitur, quæ errorum tenebras dispellit, humanisq; mentibus lucem præbet, viamq; ostendit, qua homines rectà in cælum tendere possint. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Mandatum*, inquit Salomon, *lucerna est, & lex lux; & via vitæ, increpatio disciplinæ.* Olei verò nomine, quod in his lampadibus infunditur, charitatis & misericordiæ, cæterarúmque virtutum opera designantur: ad quæ nos fides ipsa dogmatibus suis inducit, quæque fidem ipsam perficiunt, roborãt, & illustrant. Hoc est igitur oleum quod prudentes virgines sibi opportunè prouiderunt, ne, cùm sponsus adueniret, imparatæ inuenirẽtur. Quam quidem curam fatuæ virgines habere noluerunt, quæ fidei lampade contentæ, fidei opera sibi comparare neglexerunt. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes*, &c. Hoc in loco dormitionis nomine, mors; dormitationis verò nomine morbus, qui mortem antecedit, intelligitur. Quamuis enim tota hæc parabola, & quæ illam antecesserunt & consequuntur, ad extremum iudicij diem referantur; tamen extremus cuiusque vitæ dies, iudicij dies illi est. Nec enim in extremo iudicio, quæ in hoc fuerit sententia lata, reuocabitur. *Media nocte*, ait, hoc est, intempesta nocte significare voluit, hunc diem sæpe improuisum plerisque hominum contingere. Qui enim nimio huius vitæ amore flagrant, omnem mortis memoriam ab animo suo repellunt. Non enim ad mentem reuocare volunt, quod illi sibi acerbum intelligunt. Diem Domini Apostolus furi comparat. Hinc & Salomon ait: *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces hamo & aues laqueo, ita homines capiuntur tempore malo.* Mors frequenter eo tempore solet irrepere quo nihil tale cogitatur. Pueri enim adolescentiam, adolescentes iuuentutem, iuuenes senectutem, senes decrepitam ætatem sibi pollicentur. A qua tamen spe depellere homines naturæ conditor voluit: ideoq; in omnibus ætatibus morti aditum præbuit. Videmus & iuuenes & senes mori, ne quis ætati suæ fidat. Nos tamen omnes nobis pollicemur longam ætatem, qui ferè immatura morte abripimur. Hinc de improbis in Iob scriptum est, quòd subitò moriantur: quia videlicet eo tempore moriuntur, quo ij nihil minùs quàm mortem cogitant. Rectè ait Augustinus: *Nónne casus nostros nobiscum in hac carne*

Psal. 118.
Prou. 16.
Oleũ quid significet.
Mors iudicij dies.
1. Thess. 1.
Eccles. 9.
Iob 21.
August.

portamus? Nónne fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen seruatum, diu durat: quod tamen homini non contingit. Hanc fragilitatem significare Dominus voluit, cùm media, hoc est, intempesta nocte sponsum aduentare dicit. Sequitur deinde: *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas,* &c. hoc est, fideles omnes siue probi siue improbi, imminentis mortis atque rationis reddendę periculo præparari incipiũt, vt veniẽte sponso, decenter occurrant. Tunc lampades suas ornare incipiunt: hoc est, fidei, quam habent, bonorum operum oleum adiungere. *Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala egerunt, in ignem æternum.* Occurrent tunc quatuor nouissima: id est, mors, iudicium, gehenna, & cælestis gloria. Quæ autem sese miseris eo tempore offerant, qualesque in eorum animis versentur cogitationes, Euſ. Emiſſ. declarat his verbis: *Cogitemus qui luctus erunt negligenti animæ ex hoc corpore decedenti, quæ angustiæ, cùm occurrere cœperit conscientia sibi tot malorum conscia.* Illa erit, quæ remotis arbitris nos conuincet & confundet. Non illi licebit vel celare aliquid, vel negare, vbi non de longè & aliunde, sed de intus processurus est accusator & testis. Ecce omnia tanquam vmbra transierunt: abierunt oblectamenta, & sola in perpetuum opprobria & crimina remanserunt. Vide mortem, & vitam quam relinquere cogitur, & ad horrendum tribunal iudicis pertrahetur. Inueniet ibi homo post pusillum, quod in æternum nõ poterit vitare. Hoc igitur metu correpti homines, præteritæ vitæ maculas pœnitentia diluere, & pristinos mores corrigere parant: & à Domino tum commissorum veniam, tum diuturnioris vitæ spatia postulant. Deinde etiam ad piorum hominum suffragia se conuertunt, eorum se precibus, meritis & sacrificiis commendantes, vt pro se apud supremum iudicem intercedant, & has ab illo inducias postulent. Hoc est enim quod fatuarum virginum illa ad prudentes deprecatio significat: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades,* &c. hoc est, meritis & precibus vestris inopiæ nostræ, qua modò destituimur, consulite, & has nobis à Domino inducias longioris vitæ postulate. Cæterùm ad hæc prudentes Virgines: *Ne fortè,* inquiunt, *nõ sufficiat nobis & vobis,* &c. His verbis, quid prudentes virgines fatuis cõsulant, designatur: nempe, vt ad vendentes, id est, Ecclesiæ ministros confugiant; quibus dispensandi oleum diuinæ gratiæ cura

Ioan. 3.

Euseb. Emiss.

Conscientia mala.

Pœnitẽtia sera.

cura commissa est, quibus cælestis regni claues traditæ sunt, qui Sacramentorum medicamenta ministrant, qui commissorum veniam verè pœnitentibus tribuunt. Ad hos ergo pergite, & veræ pœnitentiæ atque charitatis pretio hoc vobis oleum comparate. *Dum autem irent emere, venit sponsus*, &c. *Clausa ianua*, periculum designat extremæ pœnitentiæ. Vt enim ait diuus Augustinus, *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui, dum viueret, oblitus est creatoris sui.* Cui quidem sententiæ illa quoque eiusdem Augustini cohæret: *Cùm vult*, inquit, *improbus homo, non potest: quia quando potuit, noluit. Ideò per malum velle, perdidit bonum posse.* Hoc ipsum autem confirmat quod protinus subditur: *Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines*, &c. Qua quidem responsione non obscurè huius pœnitentiæ periculum declaratur. *Impudens*, inquit Hieronym. *postulatio, tempore necessitatis & angustiæ ab eo quærere auxilium, quem in prosperitate contempseris. Dignus in morte non est accipere solatia*, inquit August. *qui se non cogitauit moriturum.* Non facilè inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ nõ fuerunt quæsita in pace. Meritò ergo Dominus huius parabolæ scopum hac vna sententia concludit: *Vigilate ergo, quia nescitis diẽ neque horam.* Ex hac vel cura vel negligentia vigilandi, prudentia & fatuitas ista diiudicanda est. Excutiamus igitur quæ sint prudentis, quę fatui hominis officia. Primum prudentis hominis officium est, in finem sibi propositum oculos conii cere; & ea, quę ad finem bonum consequendum commoda sunt, eligere. Sicut enim nauigaturi, primùm quidem, quem debeant portum petere, vident; deinde eò nauigationis cursum dirigunt: ita vir prudens, in quem finem fuerit à Deo conditus, prudenter attẽdit; deinde cætera omnia prouidet. Constat autem, in hunc finem hominem à Deo conditum esse, vt suę illum felicitatis & beatitudinis consortem efficeret. Quo fine nihil excogitari potest magnificentius, nihil sublimius. Quæ sit autem via ad hanc gloriam perueniendi, Saluator exposuit, cùm pio cuidam adolescenti dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hic est finis noster, ad quẽ à summo omnium rerum Domino facti sumus. Non ad ludum aut iocum, non ad epulas & fœdas carnis voluptates, non ad interituras opes congerendas optimus opifex nos condidit. Huius rei ignoratio est causa omnium malorum. Multi ita viuunt, quasi ad sola mũdi huius bona perfruenda

Oleum cõparãdum. *August.* *Hieronym.* *Hierem. 2.* *August.* *Prudentis officia.* *Simile.* *Matt. 19.* *Obliuio quid mali faciat.*

nati essent: agunt non vt peregrini,sed vt ciues. hic est no-
Thren. 1. strum exsilium. *Sordes eius*, inquit ille, *in pedibus eius*, *nec recordata est finis sui.* Hoc est fidei lampadi oleũ infundere,dum ea opera molimur, quæ nos ad eum finem consequendum adiuuant,quem nobis fidei lampas præscribit. Est & aliud prudentis officium,magnam temporum habere rationem,& quid vnumquodq; illorum exigat, studiosè prouidere. Sapiens trium temporũ diligentem habet rationem, præteriti,præsentis,& futuri: hic autem futuri præcipuè re-
Simile. spectus haberi debet. Prudentes nautæ tranquillo mari nauis armamenta præparant: ita vir bonus atq; prudens tranquillo vitæ tempore futurum mortis,quo nihil certius,reddendæque rationis periculum cogitatione præuenit. Sera
Vigilare quid sit. enim ad pericula in ipsis periculis præparatio est. Iam vigilare quid aliud est,quàm somnum atq; dormitantiã à mentis nostræ oculis excutere,& semper in procinctu esse, semperque in excubiis aduentantis Domini præsentiam exspectare? His igitur de causis viri probi atque innocentes,prudentium virginum appellatione à Domino designãtur. Cæterùm improbi homines diuersa ratione fatui appellantur: quòd hæc omnia viri prudentis officia prorsus negligunt: vtpote qui non consilio, aut ratione, aut fide,sed temeritate,
Improborũ officia. & affectibus vitam & actiones suas dirigant. Finis,ad quem à Deo conditi sunt,nullam habent rationẽ. Quo fit,vt ignorato aut perperã constituto fine,neque seipsos agnoscant,& itineris,per quod tendere deberent,obliuiscantur. Est & alia non minùs miseranda perditorum hominum fatuitas atque insania: in qua non modò pueris,sed beluis etiam quàm simillimi sunt. Homo hac in re à beluis distat,quòd non solùm præsentia,sed etiã præterita,ac præcipuè futura,ex causis antecedentibus prospicit ac prouidet. Iam quid dementius, quàm quòd nos sic vitam nostrã instituimus,sic terrenis rebus incumbimus,vt nulla tantæ rei (in qua summa sa-
Vanitas nostra. lus sita est) cura tangamur,sed in maxima pace & tranquillitate in vtranque aurem dormiamus,perinde atque omnia, quæ hac de re nobis diuinitùs nuntiantur, mera somnia atque fabulæ essent? Quis hos verè fatuos & amentes non iudicet,qui,cùm tantam præsentis vitæ curam habeant,tamẽ neque futuri temporis,neq; reddendę rationis vlla cura tã-
Simile. guntur? An non monstri simile esset,si oculorum acies,puncta minima apertè cernens,ingẽtem molem ac montẽ minimè cerneret? at quanto mõstrosius est,minimarum rerum

cura

cura disrumpi, vt terrenarum opum, maximarum verò rerum, naturam omnē superantium, nulla solicitudine commoueri? *Timete*, inquit Saluator, *eum, qui postquā occiderit corpus, habet potestatem mittere animam in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Quales sint autē gehennæ cruciatus, quot pœnarum genera, quanta eorum acerbitas, etiam Gentiles Philosophi atq; Poëtæ aliquo modo præsenserūt. Verissimè Saluator ait, non esse timendos qui corpori vitam adimunt, sed qui animā detrudere potest in gehennam. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit*, &c. Nos hæc scimus, & firma fide credimus, & non modò ridemus, & otiamur, sed multis etiam sceleribus iudicem nostrum offendimus. An non igitur fatuitas atque adeò cæcitas hæc omnē superat admirationem? Pœnitentia sera rarò vera, rariùs aut numquam perfecta, semper autem incerta. Superest, Auditores, vt cælestis magistri consilium amplectamur, qui maximam nostri curam gerens (vtpote quos pretioso suo sanguine redemit) opportunè nos his nouissimis verbis admonet: *Vigilate ergo, quia nescitis diē neque horam.* Constat piorum mortem aditum esse ad immortalitatem, pontem quo ad regnum transeunt. Ideóque iusti in morte nō mœrere, sed respicere & leuare capita iubentur. Sicut enim qui ex humili casa palatium ingens exstruere volunt, libenter quidem vetera diruunt, quòd ea meliùs instauranda sperant: ita viri iusti libenter patiuntur huius habitationis domum dissolui, quòd eam in resurrectione perfectissimè reformandam esse fide credunt, & spe quodammodo attingunt. Qui pietate, humilitate, obedientia, ac charitatis operibus vixerunt, iis hæc domus parata est. Adsit nobis Christus. Amen.

Matth. 10.

1. Cor. 5.

Mors ad vitam ianua.

2. Cor. 5.

IN FESTO SANCTORVM VIRGINVM, SIVE VIDVARVM, CONCIO: IN qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Matth. 13.

QVAE videntur, notiora sunt, quā quæ non videntur: & quæ corpore constant, quàm quæ spiritu solùm. Illa

enim vicina nobis sunt, hæc verò procul posita, & ideò à cognitione nostra remotiora. Sensibilia per se cognoscimus: intelligibilia verò non per se, sed veluti per manus aliorũ. Hoc animaduertens humanæ salutis amator Dominus (qui de se ipso ait: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia*) cùm homines erudiendos susciperet, ea potissimùm ratione docendos curauit, quę ipsis esset maximè cōsentanea. Sic enim diuina Sapientia, tanquam prouida ac pia mater, infantiæ nostræ se accommodat: non quidem suo, sed nostro nobiscum agens more. Vnde non solùm in veteri Testamento, crasso illo ac rudi populo per corporearum rerum species loquebatur; sed in nouo etiam per parabolas ad populum sæpe concionatus est: in quibus per notas nobis rerum corporearũ naturas, regni cælestis detegit sacramenta. In sacra autẽ huius diei lectione quatuor nobis vtilissimas parabolas proponit; videlicet thesauri absconditi in agro, margaritę pretiosæ, sagenę missæ in mare, & diuitis patrisfamilias conuiuium instruentis. de quibus nobis hodie, adspirante diuina gratia, disserendum est. Vt autem mysteria, quæ in his parabolis recondita sunt, piè & vtiliter enodare, & in lucem proferre valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Isaiæ 48.

Homines vt instituantur.

AVE MARIA.

Simile est regnũ cælorum thesauro abscondito in agro. Scitis iam, Auditores, regni cælorum nomine non modò regnum ipsum cæleste, sed omnia etiam quæ ad hoc regnum aliqua ratione spectant, significari. Hoc autem in loco, in quo regnum cælorum thesauro abscondito cōparatur; huius thesauri nomine, virginitatis virtutem intelligunt, quæ in humano corpore, velut in agro quodam, abscondita est: ideoq; hæc sacra lectio in festo sanctarũ Virginum ab Ecclesia recitari solet. Quantus autem hic thesaurus sit, declarat sanè corona illa aureola, quæ virginibus in cælo reposita est; & cælestis item vita eorum, qui verè virgines sunt: vtpote quæ ab innumeris curis & solicitudinibus libera est, quibus coniugatorum vita est referta. Hunc thesaurum D. Bernardus adolescẽs à latronibus sibi timuit diripi. Hic etiam thesaurus pretiosissimæ margaritæ comparatur. Quæ enim margarita pretiosior, quàm pura mens in corpore puro? Pro hac igitur margarita comparanda sanctæ virgines omnia vendiderunt: quæ verè dicere potuerunt: *Regnum mundi, & om*

Regnum cælorum quid sit.

Virginitas abscodita.

Virgines à curis liberæ.

Virginum canticum.

& omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi. Quia verò natura sic comparatum est, vt, quæ sunt valde pretiosa, sint etiam ad seruandum difficilia: idem etiam in hac virtute locũ habet. Hæc enim virtus supra humanæ naturæ conditionem hominem attollens, Angelis similem facit, dum eorũ puritatem imitatur. Cęterùm plerique huius Euangelicæ lectionis interpretes, thesauri absconditi & pretiosæ margaritæ nomine perfectam charitatem & clarissimum sapientiæ donum (ad quod cætera Spiritus sancti dona ordinantur) commodè intelligũt. Quisquis enim hoc cæleste donum percepit, facilè omnia quæcunque in mundo magna & pretiosa habentur, vt eo pleniùs fruatur, distrahit, & præ illius amore contemnit. Vera autem charitas voluntatis opus est, in qua sibi sedem constituit: quæ tamẽ charitas sine Dei cognitione atque sapientia non est. Thesaurus non quæsitus à fodiente in agro inuenitur: at margarita non casu à mercatore, sed magna diligentia acquiritur. Qua quidem distinctione duas Dominus parandæ gratiæ vias explicare voluit. Alij enim gratiã, quam non quærunt gratuita Domini misericordia inueniunt: alij verò magna cura & studio quæsitam, eodem Domino adspirante inueniunt. Itaque alij gratiam quærunt: alios verò ipsa quodãmodo gratiæ pręuenit & quærit: alios, inquam, quærit ipse Dominus, alij Dominum quærunt: illi quidem feliciores, isti digniores: vtrique tamen Domino debitores. Duæ peccatrices feminæ commodum huius differentiæ exemplum præbent, Samaritana & Cananæa. Samaritana enim, cùm ad puteum venit, vt hauriret aquam, nihil minus quàm de inuenta gratia cogitabat. Dominum non quærebat, sed à Domino quæsita est, & gratiæ eius beneficio præuenta. At Cananæa quo ardore misericordiam Domini petebat! quæ toties ab eo repulsa, nunquam à flagitando destitit, donec ab ipso audire meruit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* In illa igitur euidentiùs elucet gratia: in hac verò studium ac diligentia: sed in vtraque tamen, gratia Dei magna. Sic Christus ad Apostolos suos ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* aliud planè agebant, cùm thesaurum, quem non quærebant, inuenerunt. Ne autẽ homo cogitatione, quasi de numero electorum non sit, frangantur, sciat duplicem aditum nobis ad diuinam gratiam consequendam patere: in quorum altero gra

Virginitas difficilis.

Thesauri & margaritæ discrimen.

Ioan. 4.

Matth. 15.

Ioan. 15.

Aditus ad gratiã duplex.

gratia, in altero verò gratia simul cum humana commendatur industria. Quòd si tu ex eorum numero non sis, quos sine labore gratia quærit non quærentes: altera tibi salutis via patet, vt videlicet studiosè quæras, & inuenias. Quòd si hoc diligenter effeceris, magnam ex hoc coniecturam habes, quòd aliqua iam ex parte inueneris. Neque enim studiosè quæreres, nisi iam rei, quam quæris, odorem aliquem percepisses: & nisi te idem ipse, quem quæris, ad quærendum incitasset. Misericordia & veritas, duæ insignes Dei laudes, hanc Dei nostri magnificentiam vehementer commendant. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, inquit Vates sanctus. Veritate Dominus soluit debita: misericordia præbet etiam non debita. Veritas ad æquissimum iudicem; misericordia ad benignissimum patrem magis spectat. Nihil est igitur quod ampliùs in Deo nostro desiderare infirmitas atque inopia nostra debeat, quando is hæc duo nobis ostia ad gratiæ suæ opes comparandas operuit. Si iustus es, habes iustissimum operum tuorum præmiatorem: porrò si peccator, si pauper & inops es, habes misericordiarum parentem, ad cuius opem confugere possis: si tamen ex ea non peccandi ansam, sed impetrandi fiduciam sumas. Sed iam quid vterque fecerit, siue is qui thesaurum inuenit, siue qui margaritam, studiosiùs inquiramus. Vterque igitur vendidit omnia sua, vt margaritam, & agrum illum compararet. Hic enim *præ gaudio illius abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit agrum illum.* Feliciorem se thesauro illo, quàm omnium rerum suarum, possessione futurum ratus. Thesauri huius dignitatem Propheta explicuit, cùm diceret: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Quæ verba non ad bona gloriæ modò, sed ad dona etiam gratiæ referenda esse Apostolus docuit. Per dona autem gratiæ, omnia Spiritus sancti charismata, & fructus spiritus, quos idem Apostolus enumerat, ac præcipuè charitatem, sapientiam, gaudium in Spiritu sancto, & pacem illam quæ exsuperat omnem sensum, intelligimus. Quæ dona talia sunt ac tanta, vt qui quis ea pleniùs degustauerit, facilè omnia, quæ in mundo magnificentissima existimantur præ illarum amore cōtemnat. Quam rem apertè Sponsa de charitatis excellentia testatur, cùm ait: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* De sapientiæ verò dono Salomon ait: *Melior est sapientia cunctis pre-*

Psal. 24.

Misericordia & veritas in Deo sunt.

Esaiæ 64.

Galat. 5.

Philip. 4.

Cant. 8.

tiosissimis : & omnia quæ desiderantur, ei non valent comparari. Gustata, inquit diuus Bernardus, *spirituali suauitate, desipit omnis caro.* Satis liquet, hominem corpore & animo constare: quæ duæ partes tam longo à se interuallo distant, vt altera nobis cum beluis, altera cum Angelis communis sit. Cùm autem sapientissimus ille mundi conditor sic naturas rerum instituerit, vt vbi maior esset dignitas atque præstantia, maior esset in operibus suauitas atque iucunditas: consequens est, vt quantum mens nostra corpori præstat, tanto sint eius deliciæ omnibus corporis deliciis non solùm puriores atque diuturniores, sed multò etiam maiores. Non est sanè mirum, si, qui has delicias pleniùs degustauerunt, omnes alias mundi delicias, tanquam res ludicras & inanes, respuant atque fastidiant. Cùm ergo gaudiũ spiritus & gaudium carnis plurimum inter se differãt (aliud enim cæleste, aliud terrestre: aliud à Spiritu sãcto, aliud verò à carne proficiscitur) nullo modo conueniens est, vt hæc infima carnis gaudia cum altissimis illis diuini Spiritus gaudiis vllo modo comparari possint. Indubitatum est, corporearum rerum corporeum cibum, spiritualium spiritualem cibũ esse. *Spiritualium rerum cibus est ipse Deus*, ex Raphaëlis testimonio. Hic est enim Angelorum panis: hic cibus & potus, quo beatæ illæ mentes in æterna patria reficiuntur, pascuntur, oblectãtur, & inebriantur. Hac esca homo ea parte qua spiritus est, eodem quoq; spirituali ac diuino cibo alitur. Quo sanè aluntur, qui purgatum animæ palatum habent. Huius cibi vt est infinita & immẽsa dignitas, ita etiam infinita suauitas. Diuus Augustinus ait: *Illud est verum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur: cui comparata omnis suauitas, mœror est: omnis lætitia, tristitia est.* Ideóque nihil mirum, si, quicumque hanc pretiosam margaritam inuenerunt, omnia sua contemnant, quo ea pleniùs frui mereantur. Vsu accidit in illis, quod illis qui in auibus cæli ludunt, dum eas à manu dimittunt, & exigua ac dulci ostensa esca reuocant, eorúmque vocibus parere faciunt: ita sanctus ille Paracletus piorum mẽtes oblectat, vt nihil illis durum, nihil asperum, nihil difficile appareat, dummodò hoc suauissimo pabulo reficiantur: pro cuius amore omnia mundi gaudia, omniáque terrena bona facilè cõtemnunt. Vt enim qui ab infima fortuna ad regiæ dignitatis soliũ euecti fuere (quod Dauid Regi contigit) contemnunt ea omnia, quæ in ea fortuna chara ipsis erant: ita qui ad has cælestes opes

Bernard.

Prima ratio.

1. Ratio.

2. Ratio.

Tobiæ 12.

August.

Simile.

fruen

fruendas beneficio Domini perducti sunt, facilè præ illarum amore omnia quæ in mundo magnifica putantur, velut stercora contemnunt. Viri, quæ in pueritia erant iucunda, ridemus: ita qui ad hanc maturam spiritus ætatem peruenerunt, facilè contemnunt omnia, quæ olim pueri non annis, sed sensu magnificabant. Hoc studium plurimorum Sanctorum, præcipuè Anachoretarum exemplo confirmare possumus. Tunc poteris laudare victoriam, cùm laborem præliantis agnoueris. Hæc forsitan minùs miranda: illa verò maiorem mentibus admirationem incutiunt, quòd non solùm inferioris fortunæ homines, sed principes etiam viri, sed Reges & Reginæ, vbi gustauerunt bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, regna ipsa & principatus promptissimo animo relinquentes, Christi crucem flagrãti studio amplexati sunt. Tales inter alias fuere Theodosij Imperatoris filiæ, Pulcheria, Arcadia, Archimatina, quæ, spretis mundi bonis, communi consilio virginitatem suam Domino consecrarunt. Quod neutiquam fecissent, nisi cælestis Sponsi amor atque suauitas maiori eas vi ad se, quàm tota huius mundi gloria, rapuisset. Hæc vetera sunt. Nostro quoque seculo non defuerunt principes viri, qui & amplam domum, & dignitatem qua potiebantur, in ætate iam matura reliquerunt, eámque Christi paupertatè & humili professione commutarunt. Quanta autem eorum hominum est dementia, qui harum rerum gratia (quas isti tanta alacritate calcarunt) nullos labores, nulla pericula formidant, quo sibi posterísque suis amplum patrimonium parent? Iam verò quoties regnandi libido filios armauit in patres: quódque maius est, patres armauit in filios, quo sibi regni sedem vsurparent! Quæ tamen omnia isti, inuenta illa pretiosa margarita, velut purgamenta quædam, mira facilitate calcarunt. Qua quidem ex re liquet, quàm miserè seculi homines decipiantur, qui, ne voluptatibus suis careant, ab hoc cælestis vitæ proposito se subducunt: cùm in eo tamen tot sint diuini Spiritus solatia, quæ omnes mundi opes & delicias longo interuallo superant. Cur autem tam pauci sint, qui hoc cælestis vitæ institutum amplectantur, in causa est, rerum diuinarum ignoratio, quæ facit vt has tantæ diuinæ gratiæ opes non agnoscentes, voluptates quibus in hac vita oblectantur, cælestibus illis commutare nolint. A quo errore absunt, qui eas diuini Spiritus beneficio degustarunt. Qua in re simile quiddam euenire videtur, quod filiis Israël

Mundum qui cõtemnant.

1. Cor. 13. Cùm essem paruulus, &c.

Theodosij filiæ.

Iſraël in ſecundi templi dedicatione contigit. Iuniores enim,qui priùs illud magnificum Salomonis templum non viderant, opere illo abſoluto lætabantur: contrà verò ſenes, qui illud in gloria ſua viderant, lacrymas continere non poterant. Ad hunc ergo modum, qui nulla niſi huius mundi gaudia norunt, nihil his eſſe ſuauius atque iucundius arbitrantur: at qui diuina illa Spiritus ſolatia degustarunt, miſerandam horum ſortem & cæcitatem lamentantur: qui,quoniam vera illa & ſolida gaudia neſciunt,ſordidis & ludicris mundi gaudiis oblectantur. Rectè ait diuinus Vates: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Magna quidem ea dulcedo eſt:quia tamen abſcondita eſt, ab amatoribus voluptatũ minimè quæritur,quia ignoratur. Socordia noſtra & ignorantia in cauſa eſt,vt hoc tanto beneficio homines minimè fruantur.Satis hęc.Adiungit Dominus parabolam tertiam, qua regnum cælorũm ſagenæ miſſæ in mare comparat,quæ bonos & malos piſces intra ſe recipit:quorum quidem boni in vaſis piſcatorum recõduntur:mali verò in ſterquilinium proiiciũtur. *Sic erit*,ait Dominus,*in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli,& ſeparabunt malos de medio iuſtorum,&c.* Ex hac parabola apparet,quanta ſalutis noſtræ cura Saluator teneatur,qui nullum non mouet lapidẽ, quo nos ad veram ſalutem & pietatẽ traducat. In ſuperioribus verò parabolis theſauri, & precioſæ margaritæ(quæ duo magnopere ab hominibus deſiderantur)nos ad mundi ac terrenarum rerum contemptum inducere voluit,quo his tantis opibus frueremur. Quia verò multi magis pœnarum metu,quàm vtilitatis amore commouentur, adiungit protinus horrendas gehennæ pœnas,& fletum, & ſtridorem dentium, & caminum ignis,in quo perditi homines perpetuò torquendi ſunt: vt videlicet pœnæ terreant, quos præmia non inuitant. Nemo enim eſt qui non magis laborem fugiat, quàm affectet voluptatem: quandoquidem videmus immaniſſimas beſtias à maximis exterreri voluptatibus doloꝛum metu. Cùm ſint autem multa ac varia gehennæ tormenta, hoc in loco de camino ignis præcipuè fit mentio, qui humanæ naturæ maximè formidabilis eſt. In hunc caminum ignis improbos, à felici bonorum cœtu diſcretos,eſſe deturbandos Saluator ait: in quo æternum fletum, & ſtridorem dentium futurum vaticinatur. Hæc vbi dixiſſet, ad diſcipulos continuò ait: *Intellexiſtis hæc omnia?*

3. Eſdræ 2.

Mũdi gaudia qui capiantur.

Pſal. 28.

Saluatoris noſtri cura.

Auguſt.

Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideò omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Cùm nullus apex in literis sanctis significatione vacet, quæri meritò potest, quid hac illationis nota, *Ideò*, significare Dominus voluerit. Quomodo enim similitudo consequens, de Scriba docto in regno cælorum, cum superioribus, ac præcipuè cum ea quę de sagena in mare missa ponitur, cohæret, vt ex altera consequatur? Magna certè & graui ratione. Si enim tam magna bona piis proposita sunt (quæ cælestis magister thesauri ac margaritę nomine designauit) contrà verò, si tam ingẽs improbis supplicium constitutũ est, si illos caminus ignis manet, si pœna sempiterna, si separatio à cœtu & conuentu Sanctorũ, & relegatio ad tartareas damnatorum regiones: si denique hæc res tãta est, vt nullus huius vitæ cruciatus adeò magnus sit, qui cum hoc gehennæ supplicio collatus, non leuissimus ac penè ludicrus sit: ideò scriba doctus in regno cælorũ, cuius munus & officium est, salutaribus monitis atque doctrinis homines ab hoc tanto periculo eripere, & ad regnum cælorum dirigere, similis vtique diuiti patrifamilias esse debet: qui cùm penu habeat omni genere escarum refertum, vbi solenne conuiuium instruit, dapes & pocula omnis generis, partim recentia, partim vetera, in mensa profert. Ad hunc ergo modũ Ecclesię doctor pectus habere debet omni sententiarum genere instructum (quas assiduo diuinę legis studio sibi comparare tenetur) paresque rei magnitudini, quã tractat, spiritus sumens, omnibus rationum machinis hoc negotium vrgeat, nihilque intentatum relinquat, nullũ non moueat lapidem, &, quidquid in thesauris diuinarum literarum reconditum est, ad hunc vsum proferat: modò veteris Testamenti terroribus ac minis homines perterrefaciens, modò noui Testamenti promissis & beneficiis alliciens, atque omni denique ratione illos à scelere ad pietatem, ab interitu ad vitam, à gehennæ incendiis, & camino ignis, ad cælestę regnum traducere contendat.

Damnatorum pœnæ quales.

Scribæ officiũ quale.

Clama ne cesses. Esàiæ 38. Peccatores docendi.

Hę igitur partes nostræ sunt, Auditores, qui ministerium hoc accepimus à Domino Iesu: vestræ verò sũt, vt hæc ipsa quæ diximus, dies noctésque cum animo vestro cogitãtes, ante iudicium paretis iustitiam, illud vnum supra omnia curantes, vt ante tribunal illud formidandum, non iudicandi, sed à vobis iudicati appareatis. Quod quidem præstabitis, si præteritæ vitæ maculas pœnitentiæ lacrymis diluentes,

Eccl. 18.

tes,

tes,eas tanto ſtudio atque ardore vitare ſtudeatis, vt priùs mortem & extrema omnia pati,quàm mortiferum aliquod crimen admittere, parati ſitis. Sic enim fiet, vt, cùm Angeli à iudice miſſi, malos à bonis ſecernere incipiant, illos in caminum ignis præcipitantes,hos autem ad cæleſtes manſiones deducentes,vos cum felicibus iſtis ab hoc formidabili ignis camino liberati, ad cæleſtis gloriæ felicitatem & requiem perduci mereamini. Amen.

NEmo putare debet,ſolos manifeſtè impios damnandos. Hæc autem parabola oſtendit,nec eos omnes ſaluandos qui pietatis ſpeciẽ præſeferũt. Tunc in die illo multorum exſtinguetur lumen,qui nunc lucere videntur:multis claudetur ianua,qui nunc videntur primi reſidere:multi ignorabuntur à Deo,qui nunc videntur proximi. Chriſtus virginitatem non præcipit,ſed conſulit. Ait Apoſtolus: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Hæc virginitas nihil aliud eſt, quàm animus purus, conſcientia bona,fides non ficta. Hîc magna opus eſt vigilantia,ne virginitas hæc corrumpatur. Habemus theſaurum hunc in vaſis fictilibus. *Aduerſarius noſter circuit,quærens quem deuoret. Timeo*, ait Paulus, *ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam*, &c. Opus eſt vigilantia, vt ſimus parati ad nuptias. Opus eſt, vt lampades noſtræ,nedum coram hominibus, ſed & coram Deo, luceant & ardeant. Duo ſunt virginum genera, prudentum & fatuarum. Fatui, qui nihil niſi humanas laudes quærunt,de talibus ait Dominus: *Amen dico vobis, receperũt mercedem ſuam.* Prudentes ſunt, qui oleum cum lampadibus ſumunt,hoc eſt,internam iuſtitiam primò omniũ quærunt,quæ conſiſtit in fide,ſpe,& charitate; nec tamen externa negligunt. *Deus non vult hypocritas, ſed veraciter ſanctos: non ſepulchra dealbata. Statutum eſt omnibus ſemel mori.* Prima pars parabolæ commendat vigilantiam,& hypocriſim deteſtatur. Altera pars parabolæ docet, ſerò nos quæſituros quæ ad ſalutẽ pertinent, niſi, dum tempus erat, parauerimus. Ianua cæleſtis aperitur lacrymis & gemitibus,ac precibus pœnitentium. *Qui venerit ad me,non eijciã foras. Qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, illis ianua clauſa.*

Virginitas quæ Deo grata.
2. Cor. 4.
1. Petri 5.
2. Cor. 11.
Matth. 6.
Matth. 23.
Hebr. 13.
Ianua cæli vt aperiatur.

IN COMMVNI ALIQVA CALAMITATE, SIVE PESTIS, SIVE famis, Concio.

THEMA. *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Amos 3.

INTER miserandas cæcitates quibus hic mundus laborat, Auditores chariſſimi, non poſtrema illa eſt, quòd communes quæ in vita accidũt calamitates, non Deo mundum gubernanti, ſed vel naturæ, vel fortunæ, vel caſui, vel ipſis etiam ſideribus tribuant; cùm non defuerint amentes quidam, qui diluuium illud aſtris & planetis adſcriberent. Quæ quidem perſuaſio id effecit, vt mala noſtra immedicabilia ſint, quando caſtigationes Domini (quæ morborum noſtrorũ medicamenta ſunt) nihil apud nos efficiant. Quæ autem ſpes eſſe poterit de ægroti ſalute, graui morbo laborantis, ſi nullam ex medicamentis adhibitis alleuiationem ſentiat? Hoc autem eodem periculo nos conflictamur, qui, tot calamitatũ medicamentis à cæleſti medico immiſſis, nihil de veteris vitæ malis emendamus. Qua de re non rarò Dominus in Prophetis grauiter queritur: *Multo,* inquit, *labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem.* Et apud Hieremiam: *Fruſtra,* ait, *percuſſi filios veſtros, diſciplinam non ſuſceperunt.* Idémque Propheta ad Dominum: *Percuſſiſti,* ait, *eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam.* Cuius rei illud in cauſa eſt, quòd communes vitæ calamitates non à Deo ſcelera noſtra vindicante, ſed vel à fortuna, vel naturali rerum humanarum curſu prouenire homo iudicet. Hanc præpoſteram opinionem, nempe mundi calamitates, à caſu aut à fortuna, non à diuina prouidentia, mortalium ſcelera ad eorum ſalutem vindicante, venire, conuellam. Quam rem Dominus his, quæ à me propoſita ſunt, Prophetæ verbis declarat, cùm ait: *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ,* &c. Vt autem hoc argumentum religioſè & vtiliter tractare poſſimus, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

Simile.

Ezech. 24.

Hierem. 2.

Hierem. 5.

Calamitates vnde.

AVE MARIA.

Vt hanc rem,quam præ manibus habemus, absoluamus, quinque sententias, veritati consentaneas (quæ se mutuò consequuntur) apertissimis sanctarum literarum testimoniis comprobata, ante oculos vobis ponam, quibus hanc adeò perniciosam mundi cæcitatem euidentissimè pernoscatis. Earum prima est, omnes mundi calamitates, & aduersa omnia, Deo auctore, vel immittente vel permittente, prouenire. Hinc ipse apud Esaiam: *Ego ipse Dominus, formans lucem, & creans tenebras; ego Dominus, faciens omnia hæc.* Et iterum apud alium: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Dominus* (vt ait illa sancta mulier) *mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat.* Neque verò magna solùm, sed minima etiam à diuinæ prouidentiæ cura nullatenus excludi, testatur ipsa Veritas, cùm ait: *Nónne quinque passeres vaneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Ethnici in suis hæc correxerunt. Cùm enim Euripides scripsisset, magna quidem à Deo curari, sed parua negligi; hunc versum corrigendum Plutarchus ait, nihil, siue magnum, siue paruum, à diuinæ prouidentiæ solertia alienum esse prædicans. Si hoc igitur Ethnichus Philosophus asserere nõ dubitauit, quid Christianum hominem sentire par est, qui Deum adorat, hominum gratia hominem factum, & supplicio crucis affectum? Neque verò ea, quæ casu ab hominibus fieri dicuntur, à diuina prouidentia & gubernatione secluduntur. Quam rem latè diuus Augustinus in libris de ciuitate Dei probat. Quid enim casu magis fieri potuit, quàm quod in libris Regũ his verbis scriptum legimus? *Quidam autem vir iecit sagittam in incertum, & casu percussit Regem Israël inter pulmonem & stomachum.* Hoc ipsum autem quàm magno Dei consilio & prouidentia gestum fuerit, Concionator studiosus facilè animaduertere poterit. Quantum autem in huius veritatis cognitione vulgus hominum hallucinetur (qui omnia hæc vel naturæ vel fortunæ opera esse diiudicat) quotidianis experimentis liquet. Aduersus hos autem Hieremias, populi sui calamitatem & vastationem deflens, & perfidiam hominum accusans, qui eam non diuinæ prouidentiæ, sed fortunæ temeritati adscribebant, tonat his verbis: *Quis est iste qui dixit, vt fieret Domino non iubente?*

Esaiæ 45.
Amos 3.
1. Reg. 1.
Deus omniũ curam habet.
Lucæ 12.
Plutarch.
3. Reg. 22.
Hierem. in Thren. 3.

Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona? Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis? Ait Deus: Dicunt, *Non faciet bene Dominus, & non faciet malè.* Hæc autem, Auditores, omnia eo à me consilio inducta sunt, vt illam ex libro Iob sententiam pectoribus vestris altissimè infigerem: *Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egredietur dolor.* Quibus verbis declarat, omnia quæ in mundo eueniunt, non tam ex inferioribus causis, quàm ex prima illa rerum omnium causa & rectrice prouenire, quæ neque culicibus aut formicis vlla in re deest. Hæc igitur prima sententia, & quidem verissima est.

Soph. 1. *Iob 5.* *Prouidẽtia Dei in omnes.*

Altera verò, eáque non minùs vera, est, Dominum in plagis inferendis quandoque se vt seuerum iudicem, quandoque vt clementem patrem exhibere: & aliquando quidem amici, aliquando inimici animum gerere. Hunc enim se habere ostendit, cùm apud Prophetam ait: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.* Quæ res tunc patefacta est, cùm id impletum fuit, quod idem in Hierosolymæ vastatione, de hostium intemperantia loquens, ait: *Adolescentibus impudicè abusi sunt, & virgines in Sion humiliauerunt.* Hæc enim plaga, quæ non tam corpus quàm animam attingit, seuerissimi iudicis fuit. Quid, quòd gehennæ supplicium multi in hac etiam vita, Domino puniente, quodammodo auspicantur? Hoc enim modo impiissimus Antiochus Asiæ Rex, ac ciuitatis sanctæ, atque tẽpli vastator, & vterque Herodes, hoc est, ille qui pueros infantes, & qui Iacobum Apostolum occidit, puniti fuerunt. Quorum grauissima supplicia, & in hac vita cœpta, & in altera consummata sunt. Nec hoc tempore desunt multi (vt arbitror) qui hac eadem pœna plectantur, ij videlicet, qui grauissimis morbis affecti, vel impatientia sua, vel vitæ peruersitate Dominum offendere non cessant: quos videlicet plagæ à Domino inflictæ, non ad pœnitentiam, sed ad impatiẽtiam & vitæ negligentiam inducunt. Est alius castigandi modus paternus ille quidem, quo ad meliorem mentem Dominus per flagella fideles reuocare intendit. De quo in Psalm. Si inquit, *dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint,* &c. *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Sic alius: *Castigasti me,* inquit, *Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus, quem graui vomere & laboribus assiduis perdomuisti, & ad parendum in-duxi*

Hier. 30. *Thren. 5.* *2 Mach. 9.* *Supplicia quorundã grauia.* *Psal. 88.* *Castigandi modus.* *Hier. 31.*

duxisti. Vnde Dominus: *Tantummodò,* inquit, *sola vexatio* Esaia 28.
dabit intellectum auditui. Idémque rursus: *Misereamur im-*
pio,& non discet facere iustitiam. Ex quibus verbis intelli- Esaia 26.
gimus, huiusmodi castigationes non à iudice irato, sed à
parente propitio ad salutem nostram institui. Quocirca ni-
hil mirum, si huius vtilitatis gratia postulet à Domino
Propheta, vt dormitantiã & socordiam nostram illatis pla-
gis atque verberibus excitet. Vnde ait: *Imple facies eorum* Psal. 82.
ignominia,& quærent nomen tuum Domine. Vt videlicet, pla-
gis suis eruditi, oculos ad percutientem se attollant. Nun-
quam autem vir diuinus hoc à Domino poposcisset, nisi
has calamitates ad salutem hominum conducere credidis-
set. Hinc Apostolus frequentes mortes & calamitates Co-
rinthiorum propter eorum salutem à Domino immitti te-
statur, cùm ait: *Cùm autem iudicamur, à Domino corripi-* 1. Cor. 11.
mur, vt non cũ hoc mundo damnemur. Rectè in lib. Machab.
ille scriptor, quicunque sit, ait: *Etenim multo tempore non*
sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltiones ad-
hibere, magni beneficij est indicium. Huius autem sententiæ
veritatem confirmat vox illa Domini apud Prophetam:
Tantummodò vos cognoui ex vniuersis cognationibus terræ:
idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Cùm
igitur omnia hæc sanctarum Scripturarum testimonia pa-
ternam Dei nostri castigationem curámque denuncient:
quid superest, Auditores, nisi vt, quas modò patimur cala-
mitates, ad salutem nostram ab eo immitti credamus?
Quem verò animum hoc tempore gerere debeamus, san-
cta illa fœmina Iudith nos docet: *Reputantes,* inquit, *pec-* Iudith 8.
catis nostris hæc ipsa supplicia esse minora (quibus quasi serui
corripimur) *ad emendationem nostram, non ad perditionem*
euenisse credamus. Si autem peccatorum castigatio pater-
nam erga nos Dei nostri misericordiam declarat: conse-
quens est, indignationis eius argumentum esse, in scelere
obstinatis parcere. Quod apertè pro magno supplicio per
Prophetam Dominus peccanti populo comminatur his
verbis: *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint forni-* Osea 4.
catæ; & super vxores vestras, cùm fuerint adulteratæ. Itém-
que in Psalmo: *Exacerbauit Dominum peccator, secundùm* Psal. 9.
multitudinem iræ suæ non quæret. Hoc est, ob magnam in-
dignationem suam in præsenti seculo non puniet, vt in fu-
turo multò acriùs in æternum puniat. Quo argumento li-
quet, quàm magnum supplicium sit, in præsenti seculo

nullum de peccatis sumere supplicium: quantumque è diuerso diuinæ gratiæ beneficium, ad tempus in hoc seculo castigari, ne in futuro in æternum puniamur. Hinc diuus Bernardus: *Domine, hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas.*

Tribulatio præsens bona.

Tertia porrò sententia non minùs vera est, calamitates quę in commune omnes attingunt, propter hominum peccata immitti. Priuatas namque singularum personarũ, quales beatorum Iob atque Tobię exstiterunt, non ob peccata, sed propter eorum fidem & patientiam probandam, & in exemplum patiẽtiæ proponendam, immissas fuisse constat. Non igitur de priuatis, sed de communibus populi calamitatibus loquimur: quas Dominum celeberrima vltione plectere, declarant illa Mosis ad populum memoranda verba: *Et scies, quoniam Dominus Deus tuus fortis & fidelis est, faciens misericordiam in millia his qui diligunt se, & reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis reddens quod merentur.* Ex cuius verbis intelligimus, pestes, fames, naufragia, bella, vastationes terrarum, atque adeò totius mundi excidium, propter peccata euenisse. Sterilitates agrorum, quæ freqũter accidunt, peccatis exigentibus venire, apertè Osee declarat: *Audite,* ait, *verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra,* &c. Sic Hieremias: *Vsquequò,* inquit, *lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal & volucre, quoniam dixerunt, Non videbit nouißima nostra.* Denique paulò pòst de eadẽ sterilitate, propter peccata immissa, longa ait oratione: *Operuerunt capita sua propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram. Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. Nam & cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba.* Quid verò sterilitas illa trium annorum & sex mensium sub Elia Propheta? an non ea propter peccata hominum ad Prophetæ preces à Domino immissa est? Hic vir diuinus Dominum orauit, vt nubibus imperaret, ne pluerent super terram: vt ita demùm impij & exleges homines, qui fruges cõsumere nati esse videntur, paulatim inedia & fame consumerentur. Ex huius autem sententiæ veritate, alia necessariò consequitur, nempe, vnicum omnium calamitatum remedium esse pœnitentiam & peccatorum detestationem,

Deut. 7. *Osee 4.* *Hier. 12.* *Hier. 14.* *3. Reg. 17.*

Exleges ad quid nati.

propter quæ hæc omnia mala à vindice peccatorum Deo
immittuntur. Hinc Hieremias, populi vastationem deflens,
& remedium adhibens, *Scrutemur*, ait, *vias nostras; quæra-* Thren. 3.
músque, & reuertamur ad Deum. Nec satis est (quamuis sit
laudabile) publicas preces cœtu populi congregato, & or- *Processio*
dine procedente, solenniter indicere, nisi precibus pœniten- *solennis.*
tiam & peccatorum fugam adiungamus: quod omnes vbi-
que sacræ paginæ testantur. Ait Propheta: *Nos iniquè egi-* Hierem.
mus, & ad iracundiam prouocauimus te, idcirco tu inexo-
rabilis es. Et iterum: *Opposuisti*, ait, *nubem tibi, ne transiret* Thren. 3.
oratio. Quæ autem nubes ista sit, quæ orationis efficaciam
impendit, declarat Regius vates, cùm ait: *Iniquitatem si ad-* Psal. 63.
spexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Quid verò il-
lud Esaiæ: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos* Esaiæ 1.
meos à vobis: manus enim vestræ sanguine (id est, odiorum
atque dissidiorum peccatis) *plenæ sunt.* Quid item illud:
Quæ spes erit hypocritæ, si auarè rapiat? Nunquid clamo- Iob 27.
rem eius exaudiet Deus, cùm venerit super eum angustia?
Quam quidem sententiam illa Hieremiæ verba confirmāt.
Apud illum námque sceleratos homines inducit Dominus
hoc modo loquentes: *In tempore tribulationis suæ dicent,* Hier. 2.
Surge, libera nos. Vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi? Surgant, *Iniquita-*
& liberent te in tempore afflictionis tuæ. Quid item illud? *tes sunt nubes.*
quanto formidabilius! *Qui obturat aures suas ne audiat* Prouer. 28.
legem, oratio eius erit exsecrabilis. Quibus verbis quid
acrius dici potuit? Publicis ergo precibus vera pœnitentia,
& peccatorum fuga, quibus diuina ira concitatur, Nini-
uitarum exemplo, copulanda est: qui non solùm toto cor-
de ad Dominum clamauerunt, sed praua etiam opera, &
consueta flagitia reliquerunt. Quæ res præcipuè iram Do- Ionæ 3.
mini leniuit, eiúsque seueritatem in misericordiam com-
mutauit. Sic enim legimus: *Vidit Dominus opera illorum,* *Niniuitæ*
quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super *egerūt pœ-*
malitia quam locutus fuerat vt faceret eis. Non igitur satis *nitentiam.*
est, vt preces publicas frequenti populo indicamus, quo ab
hac communi calamitate liberemur. Hæc enim communis
calamitas ideò nos premit, quia sunt in populo multorum
odia atque inimicitiæ. Ideò premit, quia sunt apud mul-
tos mendacia & periuria multa: sunt multi detractores, &
maledici: multi res alienas detinent siue rapiunt. Ideò pre-
mit, quia multi adulteri alienæ pudicitiæ insidiantes in po-
pulo sunt. Alij iudicum, alij aduocatorum, alij scribarum,

alij mercatorum peccatis, non suis eadem imputant. Hos ego præcipuos harum calamitatum auctores esse credam: vtpote qui ad scelera sua peruidenda adeò cæci; ad aliorum verò contuenda adeò sunt oculati. Quàm diu ergo flagitia hæc à nobis minimè repellimus, frustra diuinas aures clamoribus fatigamus. *Non omnis*, inquit Saluator, *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei*, &c.

Matth. 7.

Quæ cùm ita sint, quinta deinde ex his, quæ hactenus diximus, & postrema sententia, eademque maximè formidabilis, sequitur, nempe, maximum reprobationis signum esse, diuinis plagis atque verberibus nihil proficere. Quam rem nõ obscuris sanctarum scripturarum testimoniis comprobabo. Primùm enim hoc testatur insignis illa Domini parabola de vinea sua, quæ cùm diligenter exculta, nullum salutarem fructum dedisset, à Domino vineæ, feris atque auibus vastanda relinquitur. Itaque ait: *Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam*, &c. Itaque hoc idem supernus ille arbiter facit, quod in vineis suis facere homines solent; quas vbi steriles, & infrugiferas inuenerint, sine vllo cultu deserunt. Sic medici, quoties in ægro aliqua salutis spes est, magna cura noxiis ei cibis interdicunt: cui tamẽ desperata salute, omnia quæ edere voluerit, liberè permittunt. Hoc ipsum illa Domini comminatio innuit: *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi, & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Hoc est autem quod idem Dominus sceleratis hominibus minatur, cùm ait: *Non pascam vos: quod moritur, moriatur; & quod occiditur, occidatur, & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.* Dominus apud Ezechielem, *Malitia tua*, inquit, *exsecrabilis quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* Vox item Angelorum: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam, quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius, & eleuatum est vsque ad nubes.* Itaque vt est in Psalmo, *dissipati sunt, nec compuncti.* Faxit autem Christus Dominus ne de nobis hoc verè dici possit: qui tot cladibus attriti, nihilo meliores effecti sumus, sed in eisdem scelerum fæcibus infixi iacemus, quia castigantis Domi

Esaiæ 5. *Correptiones qui abijciant.* *Simile.* *Psal. 80.* *Zach. 11.* *Reprobationis signum.* *Ezech. 24.* *Hier. 52.* *Psal 34.*

Domini voces non attendimus, nec ob crimina nostra vapulare, & debitas pœnas dare cognoscimus. Ex hac autem humanæ mentis cæcitate illud planè consequitur, vt plagis à Domino immissis homines adeò non corrigantur, vt interdum etiam multi deteriores fiant. Hinc Chrysostomus: *Proh nefas, nulla ex pœna correctio; & quasi aduersis malitia hominum prouocatur.* Quid inde? Subdit protinus, *Sic crescit quotidie quod puniatur. Vsquequò* (queritur Dominus) *percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem?* Tot enim illi flagellis non modò non corrigebantur, sed peccata etiam peccatis addere non cessabant. Ideò iustus iudex Dominus nouas quotidie plagas veteribus addebat. Sic igitur quotidie crescebat quod puniret. Qua in re illud non leui admiratione dignũ est, quòd cùm Iudæi olim adeò rebelles fuerint, cùm à Deo vapulabãt, ad ipsius tamen opẽ, plagis admoniti, scelera sua atque idola deserentes, confugiebant. Vnde est illud ex Psal. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* An non ergo mirum est, eos, qui sub lege degebãt, ad hunc modum plagis impositis resipiscere; nos verò sub gratia constitutos, ne tot quidem plagis à Deo immissis ad meliorem mentem redire? Quis enim bella, fames, tot clades, tot funera, tot hæresum monstra quæ ex hoc infelicissimo seculo, velut ex cauernis Erebi proruperunt, maximamq; Christiani orbis, proh dolor! partem occuparunt, percensere queat? Quis Turcarum vires non extimescat? Et cùm tot vndique malis septi ac penè attriti simus, vix quisquam est, qui oculos ad cælum tollat, & per tot flagella indignantis Domini iram agnoscat. Hac in re Barbaris sumus deteriores, imò cæciores, qui calamitates hominũ propter eorum peccata prouenire credunt. Sic nautæ, qui cum Iona nauigabant, improuisam illam maris tempestatem propter nauigantium scelera immissam à Deo credentes, datis sortibus criminis auctorem exquirebant. Quid verò Barbari illi, in quorum littora Apostolus Paulus naufragio eiectus est? Cùm enim, Apostolo sarmenta ad ignem congerente, vipera quædam manui eius hæsisset, protinus illi clamare cœperunt: *Vtique homicida est homo hic: qui cùm euasit de mari, vltio non sinit eum viuere.* Ecce Barbari & exleges homines calamitates à Deo propter hominum peccata immitti credunt: nos verò, in luce Euangelij positi, vel hoc non credamus, vel certè nihilo meliores efficiamur? Vnde liquet

Chrysost.

Esaia 1.

Iudic. 16.

Psal. 77.

Iudæi correcti.

Flagellis non emendamur.

Ionæ 2.

Act. 28.

quod paulò antè dixi, magnum reprobationis signum esse, tot plagis attritos, & ad pœnitentiam excitatos, nullũ veræ pœnitentiæ signum edere. Quid ergo superest, Auditores, nisi vt orem, obtesterque vos per communem fidem, per vestram salutem, vt hoc tantum periculum vitare studeatis; illamque Hieremiæ Prophetæ admonitionem, iterum ac sæpè repetatis: *Scrutemur vias nostras, quæramúsque & reuertamur ad Dominum.* Pœnitentia enim est, quæ sola Dominum placat, quæ iram eius in misericordiam flectit. Vnde ipse ait: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.*

Thren. 3. *Pœnitentia flectit Deum.* *Hier. 18.*

CONCIO FVNEBRIS, IN QVA TVM DE HVMANÆ VITÆ breuitate, tum de variis eiusdem miseriis agitur.

THEMA. *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Ecclesiastici 40.

CONSVETVDO Christiani populi, quæ in exsequiis defunctorũ obseruatur, laudanda est. Hic enim pro defunctis tum oratur, tum viuens sui admonetur exitus. Rectè Sapiens viuum alloquitur: *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum. Mihi heri, tibi hodie.* Hanc sententiam maximè salutarem esse voluit: mox enim subiunxit: *In requie mortui requiescere fac memoriam tuam.* Nom enim sat esse putauit, vitæ nostræ sortem cursim cogitare: sed in ea voluit mentem nostram, velut in quodam domicilio, perpetuò commorari. Hac enim ratione fastum, & omnem carnis lasciuiam, & inanem hominum lætitiam comprimi posse iudicauit: cùm mens humana, quę per exteriora vagatur, ad seipsam rediens, sortis & immortalitatis suę admonetur. Huius nos admonent verba thematis: *Iugum graue super filios Adam, à die exitus.* De hoc igitur graui iugo, hoc est, de humanæ vitæ miseriis, eiusdemque vitæ breuitate, quam fallax viuendi cupiditas longi

Eccl. 38. *Mors meditanda.*

longissimam nobis facit, hodie differendum est. Quod vt piè & vtiliter præstare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

De humanæ vitæ miseriis multi tum Philosophi tum Theologi iusta volumina scripserunt: vtpote qui materiam latè patentem ad scribendum nacti essent. Difficile autem dictu est, quantas hæc Philosophia vtilitates pariat. Primùm enim ad sui ipsius cognitionem, quæ totius veræ sapientiæ caput & fundamentum est, mirè adiuuat: deinde ad omnem fastum & elationem ab animo penitus eliminandam, plurimum confert: cùm sibi ipsi dicere prudens homo valeat: *Quid superbis terra & cinis?* Hæc tamen commentatio ad mundi contemptum adiuuat: quem despicere debet, quisquis ad charitatis & iustitiæ studium adspirat. Amor enim, Dei & mundi non potest cohærere neque cohabitare. *Qui enim*, inquit Iacobus, *mundi huius amicus esse voluerit, inimicus Dei constituitur. Nolite*, inquit Ioannes, *diligere mundum: quia si quis mundum diligit, non est charitas Patris in eo.* Nihil autem magis mundi contemptum parit, quàm fragilitatis & imbecillitatis nostrę consideratio. Quod enim tam fragili nititur fundamēto, necesse est vt corruat. Vide mundo seruientium sortem, quàm sit miserabilis. Qui enim diuites fieri volunt (quorum tamen pauci euaserunt) incidunt in multos laqueos. Felices autem illi, quos aliena pericula faciūt cautos. Eheu, pauci curant casus. Perturbati affectus, & auaritiæ studium, rationis iudicium illis eripiunt, & in aperta illos pericula coniiciunt. Mirū sanè est, cur tam multis hominibus mundus amabilis appareat, cùm re vera maximè acerbus & contemptibilis sit. Huc accedit hostis antiqui versutia, qui hoc exemplo incautos homines decipit atque dementat. Ea enim quæ animos nostros ad mundi amorem inflammare possunt, miro modo auget & amplificat, & tanquam oculis spectanda proponit: quæ verò nos ad eius odium atque contemptum inducere possunt, summa arte vel extenuat, vel oculis nostris abscondit. Paucorum felicitatem oculis subiicit, & multorum calamitates abscondit. Dicamus itaque aliquid de vitæ huius breuitate ac miseria: vt hæc considerata, ad mundi contemptum stimulum addere possint.

Innocentius Papa.

Eccl. 10.

Superbia vt conteratur.

Iacob. 4.

Ioan. 2.

Mūdus vt contemnatur.

Diaboli astutia.

Breui

Eccl. 28. Breuitatem vitæ nostrę Ecclesiasticus non quidem pusillo, sed magno & prudenti animo hac oratione metitur: *Numerus*, inquit, *annorum vitæ hominis vt multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & quasi calculus arenæ, sic exigui anni æui.* Animaduertite, quæso, quid sit, vna aquæ gutta Oceano comparata, & vnus arenæ calculus ad infinitam maris arenam relatus: id enim esse ait vitam nostram, si vel Angelorum vitæ, qui in omne æuum permanent, comparetur. Quid igitur hac breuitate angustius? *Omnia*, inquit Ethnicus, *humana breuia sunt & caduca, infiniti temporis nullam partem occupantia.* Eorum vitam admiramur, quæ ad centesimum annum protensa fuerit, eámque nimium viuacem atque felicem iudicamus: at quotusquisque hãc ętatem attingit? Est piscis qui vno solo die vitã producit: quis autem dubitare possit vitam nostram, si cũ beatarum mentium æuo conferatur, multò esse breuiorem, quàm illius piscis? Si ergo nos breuissimam illam vitam iudicamus: multò certè breuiorem supernæ mentes nostram vitam iudicabunt, etiam si ad centesimum annum protendatur. Damnati certè ad æterna supplicia, simili ratione anteactæ vitæ & felicitatis suæ spatia computant: qui ætatem suam rebus breuissimis comparant. Quis autem hanc ætatem longam poterit appellare, nisi fuerit planè animo stupidus, vbi centesimus vix sexagesimum annũ attingit? Iam qui diu vixerunt, qui tantum vitæ exhauserunt, non iam vita, sed quædam pericula vitæ manent. Cogitate omnia ista membra vestra, quæ tantopere colitis, in terram, in cinerem reuersura & redigẽda. Longa vita sæpius dedit occasionem malæ vitæ. Olim diu vixerunt, & parum de ratione reddenda cogitarunt. At nos, quorum vita momentum, vmbra est, fœnum agri est, quomodo hoc tantillum vitæ auctori salutis negabimus? Nos postremò, quorũ vita hominibus mundi rebus fragilibus cõparatur, cur vsque adeò spes nostras in longitudinem porrigimus? quo modo vbique impendentem mortem non videmus? cur tanta in futurum molimur tempus, partem vitæ vitiis, partem negotiis, partem pœnitentiæ reseruamus? Siccine tam diuturna vobis hæc vita esse videtur, vt tot tantisq; rebus, tot tantisq; peccatis purgãdis sufficere possit? *Vix*, ait ille, *hodierna dies seipsam satis expiare potest, & tu mihi tot annos vitiorum atque fraudum extremæ vitæ portioni expiandos relinquis?* Cæterùm, quoniam vitæ nostræ breuitatẽ vidimus, sequitur vt eius deinde miseriam

Seneca.

Ephimera piscis.

Sapien. 5.

Vita nostra breuis.

Vita lõga, vita mala

Vitia expianda. Clim.

videamus: qua planè non poteſt non eſſe reſperſa humana felicitas. Hanc autem non video qua ratione commodiùs explicare poſſim, quàm ſi eam ſtatuæ illi, quam Nabuchodonoſor Rex in ſomnis vidit, comparauero. Eius autē erat caput aureum, pectus argenteum, femora ærea, pedes fictiles, quos lapis quidam exciſus de monte comminuit: quibus comminutis, æs, argentum, & aurum, redacta ſunt quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ à vento rapitur. Qua quæſo imagine, humanæ vitæ conditio magis ad viuum potuit exprimi? Principiò quòd Rex in ſomnis non rem veram, ſed ſtatuam ſiue imaginem contemplatus eſt, humanæ vitæ maximè conuenit, quæ in ſacris literis tum imago, tum figura appellatur. Sic enim Apoſtolus ait: *Præterit figura huius mundi*, non enim rem veram, ſed veritatis ſimulachrum atque veluti vmbram, vitam hominum eſſe intellexit. Idem etiam Regius Propheta ſignificauit, cùm ait: *Veruntamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertranſit homo.* Vtrumque autem verbum eodem pertinet, quo innuitur, nihil ſolidi & expreſſi in hac vita contineri, ſed inania eſſe omnia quæ aliquid eſſe videntur, cùm propter ſummam temporis breuitatem, tum etiam propter infinitas miſerias, quibus vita ipſa obnoxia eſt. Quod quidem Plato intellexit, qui cælum, & ea omnia quæ ſupra cælum ſunt, vera eſſe dixit: nos autem fragiles. Quod & Seneca eleganter vidit & intellexit. Ex horum verbis facilè non modò breuitatē vitæ noſtræ, ſed fallaciam quoq; intelligere licet, quæ ſub incrementi nomine decreſcit, & ſuæ vitæ appellatione paulatim nō ſentiētes ad mortem ducit. *Sicut enim* (vt Seneca ait) *quos aut ſermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, ſe perueniſſe antè ſciunt, quàm appropinquaſſe: ita hoc iter vitæ aſſiduum & citatiſſimum, quod dormientes vigilantéſque eodem gradu facimus, occupatis non apparet, niſi in fine.* Idem etiam in ſolari horologio euenire cernimus. Cū enim linea illa, quæ ex vmbra cōficitur, continenter moueatur, & ad metam properet: nunquā tamen, niſi cùm ad eam peruenit, mota fuiſſe videtur: ſic vita noſtra cū ſemper deficiat, nemo tamen niſi cùm ad finem ventum eſt, defeciſſe videt. Ex quo planè liquet, vitam noſtram non rem ſtabilem & fixam, ſed vmbratilem magis & apparentem quàm exſiſtentem eſſe: quod nobis huius ſtatuæ nomen deſignat. Iam verò aurum & argentum, ac deinde æs, è quibus ea ſtatua conflata erat,

Daniel. 2.

Vita noſtra vmbra & imago.

1. Cor. 7.

Pſal. 38.

Plato.

Seneca.

Simile.

Vita inſtabilis.

opes

opes atque potentiam mundi significant. Auri enim & argenti nomine opulentia, æris autem potentia intelligitur: in quibus tota mundi gloria posita est. Plurima enim possidere, & plurimum posse, præcipua mūdi bona sunt, ad quę alia omnia referuntur. Sed videamus, quæso, quàm solido, & firmo fundamento hæc tanta bona nitantur. Certè non alio quàm fictilibus & luteis pedibus, quibus ad primum lapidis ictum minimo negotio fractis, tota illa pompa dissoluitur, & in fauillam redacta in ventos diffluit. Tota enim mundi gloria ex humani corporis vita pendet, quod ex limo terræ compactum, luteum, fragile, caducum, & infinitis casibus & morbis obnoxium est: quo leui aliqua de causa dissoluto, eximia illa mundi opulentia in fauillam redacta, ne vestigium quidem vllum relinquit. *Alioqui* (sicut Propheta dicit) *vbi sunt principes Gentium qui dominabantur super bestias quæ sunt super terram, qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij in eorum locum successerunt.* Breui igitur temporis mora transacta, totus ille mundi apparatus & splendor vt fumus euanescit: & seculi principes, qui ex eodem fragili luto quo mendici ficti atque formati sunt, simili fine absumuntur. Vita quidem alia atque alia, vtrorumque tamen vna mors, vnus finis est. Dominus ait ad Esaiam: *Clama.* Et ille: *Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Fœni quidem nomine populum, floris autem principes populi significauit. Quamdiu enim fœnum & flos virent, pulchrior floris quàm fœni species est. Vbi autem incalescente Sole, vtraq; virorem suum amisere, eadem vtrorumque facies atq; deformitas apparet, hoc est, eadem in diuite & paupere solitudo, eadem inopia, idē fœtor & horror, omnia vtrobiq; æqualia & similia sunt. Quàm diu ergo fabula vitæ peragitur, suam quisque personam repræsentat: fabula autem peracta persona deponitur: & eandem quisque faciē, quæ fuerat, resumit: atq; ita demùm qui Regis personā egerat, ad sutoris aut sartoris figurā redit. Ad similem ergo vilitatem & miseriam, & Regū corpora, quæ regiis opibus nitebantur: & artificū, quæ pannis tegebantur, peruenīūt: quæ in puluerē versa, exiguo puluere tegūtur. Magni illius & potētissimi Regis Cyri tale fuit sepulchro inscriptum epitaphiū: *O vir, quicumque es, & vndecumque aduenis (nec enim te aduen*

Gloria humana lutea.

Baruch 3.

Finis hominum vnus.

Esaia 40.

Vita nostra fabula.

Cyri epitaphium.

aduenturum ignoraui) ego sum Cyrus, qui Persis imperium constitui. Pusillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne inuideas. O singulare inopiæ atque humanæ paupertatis exemplum! Cui enim viuo vix orbis imperium satis erat, nunc pugillo terræ contentus, ne hæc adeò tenuis felicitas viuentium inuidiæ obnoxia sit, suppliciter ex tumulo deprecatur. *Quid igitur superbis terra & cinis? quid inexplebili auaritia omnia concupiscis? paulò pòst in puluerem iturus!* Rex ille in somnis hanc vidit statuam. Quo indicio significatur, spectra & velut inania esse, quæ externo splendore stultorum oculos fallunt. Hinc quidam ex amicis Iob, de felicitate improborum agens, *Velut somnium,* inquit, *auolans non inuenietur, transiet quasi visio nocturna.* Somnia enim, quibus aliqui aut Reges aut principes sibi esse videntur, breui quadam voluptate somniãtes afficiunt: qui tamen expergefacti inanem fuisse illam lætitiam deprehendunt. Ad hunc modum improbi, qui vitam omnem in deliciis transegerunt, vbi ad mortem vẽtum est, quicquid anteactæ felicitatis illis tunc in mentem venit, non aliud quàm somnium & fabulam quandam fuisse putant. Rectè diuus Gregorius ait: *Repentè transacta finiuntur, quæ futura longa videbantur.* Quod enim iam desiit esse, nec aliquod sui vestigium reliquit: vt omninò nihil est, ita nihil apparet. Hinc ex amicis Iob improborum felicitatem puncti instar esse testatur: quo nomine summam eius breuitatem voluit designare. Heu miseriam verè deploraadam, quòd qui tantum dissident in vita, adeò similes & pares (quod ad corpus attinet) in morte reperiantur: nisi quod alter omnibus patet, alter verò terra tegitur ne à feris lanietur. Quòd si alicuius principis, aut familiaris amici quatriduo iam in sepulchro agentis fossam aperias, illiusque horrificam speciem diligenter inspicas: an non te maxima tenebit admiratio, cùm adeò terram atque deformem nobilissimæ creaturæ speciẽ cernas? Hiccine est, inquies, amicus meus ille & familiaris meus, cũ quo toties lusi, risi, toties cœnaui, toties deambulaui, cum quo toties consilia & vitæ meæ rationes contuli? Huc tandẽ corpus hoc, quod tanto studio curamus, alimus, & ornamus, cuique tota vita seruimus, peruẽtum est, vt fiat cibus vermium? O verè omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri! Huius autem extremę miseriæ cæterarũmque omnium, quibus passim vita mortalium insectatur, consideratio in causa fuit, vt multi sapientis illius

Eccl. 10.

Iob 20.

Gregorius.

Iob 20.

Corpus cibus vermium.

illius sententiam probarent, qui dicere non dubitauit: Optimum non nasci, aut quàm ocyssimè aboleri. Neque multum ab hac sententia abhorrent verba Iob, cùm ait: *Quare misero data est lux? Qui exspectant mortem, & non venit: quasi effodientes thesaurum, gaudentq́ue vehementer cùm inuenerint sepulchrum.* Et Philosophi quidem miseriarum & mortis nostræ causas ignorabant: Christus autem Dominus, qui hæc omnia peccati stipendia esse intelligebat, cùm ad quatriduani Lazari monumentum venit, in hoc veluti peccati speculo & effectu peccati malitiã contemplatus, pias compassionis lacrymas fudit, quibus non tam humanæ vitæ miserias, quàm miseriarũ causam (nempe peccatum) lamentabatur. Vtinam nos quoq; eius exemplo hanc nostrã miseriam ante oculos semper haberemus, vt vel hoc vno argumento peccati virus, propter quod mors in mundũ inuecta est, agnosceremus, & omnem ex animo nostro fastum atq; superbiam propulsaremus, ac postremò inanem mũdi gloriam, quæ tam infausto fine clauditur, quæque his fictilibus atque luteis pedibus nititur, contemneremus. A qua tamen cogitatione quid nos auocet, in istis discimus versibus,

Iob 3.

Ioan. 11.

Christ' cur fleuerit.

Bernardo attribuũtur.

Forma fauor populi, feruor iuuenilis, opésque
Surripuere tibi noscere quid sit homo.
Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Superest tamen hoc in loco non negligenda quæstio, cur videlicet amator hominũ Deus adeò breuem & luctuosam hominum vitã esse voluerit. Certè hoc temerè actum non est. Miseram enim vitam nostrã ac deformem esse post peccatum voluit, ne nimio eius amore caperemur: breuem autem, vt à sceleribus mortis imminentis metu abstineremus. Hæc, Auditores, cogitate, hæc semper in animo voluite, atque hoc eodem modo cum sancto illo Rege Ezechia, qui dicebat, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, philosophari, id demùm est verè sapientem & prudentem esse: cuius est, vitæ finem sibi semper ante oculos ponere, & ad eum, veluti ad scopum, omnes vitæ actiones dirigere. Hoc enim studium, hanc mentem filiis Israël Moyses optabat, cùm diceret; *Vtinam saperent & intelligerẽt, & nouissima prouiderẽt.* Verè enim hæc summa sapiẽtia est, quæ ex nouissimorum nostrorum ac miseriarũ consideratione colligitur, qua ad mũdi contemptum accendimur: & nos ipsos agnoscentes, animi omnem tumorem & elationem

Vitam cur Deus breuẽ esse voluerit.

Esaiæ 38.

Sapientis officium.

Deut. 32.

nem deponimus. Sunt tamen nonnulli qui ita mortis metu perturbantur, vt ne cogitare quidem, vel audire aliquid de ea velint, propterea quòd sola eius mentione velut horrore quodam concutiantur: ideóque dedita opera ab eius consideratione mentem auocant. A quibus meritò quæri potest, cur tantopere extimescant, quod adeò naturale, quotidianum, & ineuitabile est. Cyprianus ait: *Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, vt omnia orta occidant, vt aucta senescant: vt infirmentur fortia, & magna imminuantur: vt, cũ fuerint infirmata & imminuta, finiantur.* Si igitur ea vis cõsuetudinis est, vt rebus etiam maximis admirationem adimat: cur ita miramur quod quotidie cernimus? cur id exhorremus cuius intra nos causam habemus? Cùm ex pugnantibus inter se elementis cõpositi simus, quorũ pugna & contentio pestem nobis & exitium parit: cùm naturalis corporis nostri calor substãtiam, sicut oleum accensa lampas absumit: nec id, quod in absumpti loco sufficitur, eiusdẽ vigoris atque virtutis sit, cur semper extimescimus quod nunquam nõ patimur? Hîc fortasse dicet aliquis, hos nequaquã corporis dissolutionem, quæ ab ipsa corporis natura proficiscitur, sed animæ sortem & aleam vereri, quam statim à morte iudicandam intelliget, sicut Apostolus ait, *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Rectè sanè. Si ita est, non vtique mors, quæ veri mali nihil habet: sed vita potiùs mala timenda est. Vita enim rectè constituta, mors adeò nõ formidatur, vt etiam desideretur: sicut desiderabat ille qui dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Quin etiã de sanctissimis quibusdam viris illud verè iactatur, quòd mortem habeant in desiderio, vitam in patientia. Quanta multorum sit hominum dementia, colligitur, qui id timẽt quod timendum non est: id verò paruipendunt, quod verissimam timoris causam habet, nempe malã vitam. Omnes enim qui in tenebris ambulant, hoc est, qui diuina luce orbati sunt, hoc habẽt peculiare, vt inania pericula formidẽt, vera cõtemnant. Sicut enim in obscura nocte arborũ trunci, & vmbræ nemorũ, & eminentes petræ, & alia eiusmodi quæ inanem speciem rei alicuius metuendæ referunt, terrorem imperitis inijciunt, qui interim fortasse minimè latronum insidias propè locatas animaduertunt: sic in vita communi res inanes, quasi quædam nocturnæ formidines, hominibus, splendore diuinæ lucis orbatis obijciũtur: quas dum summo studio declinant, veram atque sempiternam

Mortem quidam metuunt.

Cyprianus.

Mors non timenda.

Hebr. 9.

Philip. 1.

Pericula qui formident.

Simile.

pestem,in quam furenter irruunt,minimè contuentur. Iam qui ita corporis mortem adeò horrendam esse existimatis, vt ne cogitare quidem de ea possitis, quale, quæso, erit perpeti quod cogitare etiam horrendũ est? Hoc enim argumento molles & delicati isti colligere deberent, quanto ab eis studio pietas & iustitia colenda esset, ne quid haberent,cur tantopere extremum hunc diem formidarent. Vix enim quicquã est,quod paratiores nos ad hunc diem red-
Climacus. dat,quàm eius assidua recordatio. Hinc ille: *Non est*,inquit, *præsentem diem piè transire,nisi eam totius vitæ nostræ vltimam existimemus.* Qui autem hoc animo & mente est, is vtique omnem à se torporem & somnolentiam excutiet,& attentus semper & solicitus ad Domini sui aduentum erit. Hoc igitur agamus,hoc cogitemus,& quæ hactenus hac in re philosophati sumus, ante mentis oculos assiduè propo-
Matt. 25. namus:vt,qua hora Dominus aduenerit, vigilantes nos, & oleum in vasis nostris cum prudentibus virginibus portantes inueniat, vt sic tandem ad cælestes nuptias, nullo vnquam æuo finiendas,nos clementer introducere dignetur, qui cum Patre,& Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

DE DEDICATIONE TEMPLI, SERMO, A F. PETRO CRATEPOLLIO collectus.

THEMA. *Ingressus Iesus, perambulabat Hiericho,&c.* Lucæ 19.

PERAMBVLABAT Iesus: sedulò officium, ob quod missus erat, exsequebatur. Non fixit in mundo pedem, noluit hic habere domicilium,
Matth. 8. imò non habuit vbi caput reclinaret,cùm tamen interim vulpes foueas habeant, & volucres cæli nidos. Ad
Hebr. 13. eum modum & nobis perambulanda est Hiericho:de præsenti mundo,qui est instabilis,loquor. *Non habemus hic ma-*
Philip. 2. *nentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Nostra conuersatio in cælis esse debet, exspectamus quippe saluatorem nostrum,qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori charitatis suæ, secundùm potentiam qua sibi etiam potest subiicere omnia. Quàm diu enim sumus

in hoc

in hoc mundo, peregrinamur à Domino. Vide quid faciat peregrinus, vt sit in itinere expeditior, solùm necessaria secum fert: ita & nos affectos esse decet. *Habentes victum & amictum, his contenti viuemus.* Pergit Dominus rectè Hierusalem versus, ad ciuitatem interfectricem Prophetarum, vbi & ipse immolãdus. Erat Hiericho celebre oppidum, & erat hîc vir quidam nomine Zachæus, & erat princeps publicanorum, erat diues, erat infamis & prophanus constitutus à Romanis (qui tunc dominabantur in toto mundo) super tributa, super Iudęos, populum Dei videlicet. Licèt esset in rebus mundi penè submersus, à Domino tamen saluatus est. Nihil apud Deũ est difficile, quum videamus quòd camelus per foramen acus transierit. Diuitiæ sunt indifferentes, impedimenta reprobis, bonis adiumenta ad virtutes. Hic diues, relicto onere diuitiarum, contempto censu fraudum, angustam portã, arctamq; viam, quæ ad vitam ducit, ascendit. Multi homines aliud nihil curãt, quàm vt diuites esse possint, siue id per fas, siue per nefas: cùm iam animum planè diuitiis terrenis immiserint, ægerrimè ad salutẽ reduci possunt. Conuersus est hic, licèt ægrè: at Christi potentia fortior. Es diues? noli sperare in incerto diuitiarũ, spera in Domino: quod huic accidit, tibi accidere potest, noli desperare. Diues fuit Abrahã, diues Isaac, Iacob, Dauid: in nouo Testamento Nicodemus, & Ioseph ab Arimathea, & tamen saluati. Diues fuit hic Zachæus. Medici dicunt frigidũ obesse ossibus, neruis, ac dentibus: sic Apostolus auaritiã asseuerat radicem omniũ malorum. Christus præsentis vitæ solicitudines ac fraudes comparat spinis. Illæ lacerant: ita diuitiarum cupiditates, & sæculi huius negotia. Delitescunt inter spinas sæpe viperæ & serpentes: ita in fraudibus diuitiarum multa incommoda. Diabolus diuitibus insilit, canis exemplo offulam aut placentam de manibus pueruli auferre volentis. Vsque adeò præsentes diuites nihil differunt à puerulis his, quibus canes infesti esse solent. Radix in pingui plantata solo, suos affert fructus tẽpestiuè: ita pecunia in manibus pauperũ collocata, suos affert fructus spirituales. Nos omnes homines hîc sumus tanquã in aliquo theatro, vbi hic agit personam Regis, alius personam ducis siue militis: at vesperi omnes suas deponunt vestes siue personas, tunc apparet qualis quisque fuerit & est: ita in fine vitæ apparebit quis diues, quis pauper, quis honoratus, quis humilis fuit. *Intuere*, inquit Chrysostomus, *quanta fiant*

Peregrini mores imitãdi nobis.
1. Tim. 6.
Iosue 8.
Diuitiæ quatenus bonæ.
Diues potest saluari.
1. Tim. 6.
Similia.

mala propter pecunias, quòd eas nimiùm diligamus. Si enim quis amittat pecunias, vitã ducit omni morte miserabiliorem. Quid doles, ô homo, quid lacrymaris? quia te à cura custodiendi superflua liberauit Deus, quia non sedes tremẽs ac metuens? Dic mihi, si quisquam te ad suũ alligaret thesaurum, & præciperet vt illi assideres, custodires, & vigilem adhiberes curam per salutem tuam: nónne doleres, & difficulter ferres? Tu teipsum pessimis alligaueras vinculis: &, quia illa liberatus es seruitute, doles? Propterea Deus alicui aufert diuitias, vt liberet eũ à pessima seruitute: nam optimus pater, cùm viderit filiũ amore alicuius meretricis deperire, si admonitiones eius audire neglexerit, meretricem illam expellere ac in exsilium mittere nititur, ne vicinitate filius plus corrumpatur. Talis est etiã abundantia diuitiarum: Pater noster ac Dominus, curam gerens nostri, volens nos ab hac liberare corruptela, subtrahit pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur. Solent nauigaturi secundam auram desiderare: quæ tamen vbi vehementior fuerit, in periculum coniicit ipsos nauigantes: ita prosperitates & diuitiæ, vbi modũ excedunt, periculo non vacant. Homines multum curæ impendunt in secernẽdo vero auro & argẽto & margaritis à falsis: atque vtinam hanc curam adhiberent in his quæ ad salutem faciunt animarũ. Aristoteles mediocrem fortunam magis quàm amplam à communibus quidem huius vitæ iniuriis tutam esse putat, ideoq; sapiẽti vito magis optandam. Philosophus quidam ait, difficilius in prospera, quàm in aduersa viuere fortuna. Constat quòd insidiosior est fortuna blanda quã minax. Vbi fortuna mitior fit, incipit mens tumidior fieri, & suæ sortis obliuionẽ adiuncta prosperitate concipere. Poëta ait: *Bene ferre magnam disce fortunam.* Seneca ait: *Marcet sine aduersario virtus.* Tota mundi gloria ex humani corporis vita pendet: quod ex limo terræ compactũ, luteum, fragile, caducum, & infinitis casibus ac morbis obnoxiũ est: quo leui aliqua de causa dissoluto, eximia illa mũdi opulentia in fauillã redacta ne vestigium quidem vllum sui relinquit. Vidit Rex ille statuam ex auro & argento & ære, quæ inferiùs erat lutea, infirmo nitens fundamento. Rectè ait Propheta: *Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Zachæus *quærebat videre Iesum.* De Iesu magna & celebris erat fama, vt non miremur, quòd hic eum quæsierit, & cupiuerit videre quis esset. Regina illa Sabæa, cùm audisset famam de sapientia Salo

Chrysost. — Flaccus. — Seneca. — Daniel. 2. — Esaia 40. — 3. Reg. 10.

Salomonis, vt hanc audiret, venit à finibus terræ: & ecce plus quàm Salomon hic. Bonum & honestũ est desiderium & votum, cupere videre quis Iesus sit. Multi Christi corporis formam & imaginem in deliciis habent: at qui illum fidei oculis cõtemplatur, cum Apostolis beatior erit. Depingitur in Psalm. quòd sit misericors & iustus. In Euangelio ipse ait: *Mitis sum & humilis corde.* Hęc omnia satis hîc probauit. Misericors fuit in Zachæum, quẽ pœnitentem suscepit: iustus erga contemptores Pharisæos, quos inuitos curare noluit. Mitis fuit, quia cùm malediceretur, nõ maledixit. Humilis fuit, qui ad tantũ peccatorem diuertit, & vnius hominis gratia tot blasphemias & conuitia patienter sustinuit. Alij cupiunt videre stulta mundi huius: at Zachæus quærit videre Iesum, quis sit. Et nos quæramus Iesum: scimus iam qualis & vbi sit. *Quærite Dominũ dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis: orabitis me, & ego exaudiam vos. Quærite Dominum, & viuet anima vestra. Lætetur cor quærentium Dominum.* Credere oportet accedentem ad Dominum, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. Per nouam vitam inuenitur Christus, vt abijcias quæ illius offendunt oculos. Duo sunt quę potissimũ requirsitur, fides, & vitæ sanctitas: alioquin frustra Christum quærimus. Peccata inter vos & me diuiserunt. *Cùm extenderitis manus vestras, &c.* In Zachæo se prodit fides: quærit videre Iesum, talem Dominum: vitæ autem sanctitas in illo non erat. Magnum sanctimoniæ gradum is adeptus est, quem vitæ malè actæ pœnituerit, quod progressus historię probabit. Zachęus erat paruus statura, & præ turba Iesum videre non potuit. Peccata præpediunt, turba remoratur. Nolumus consuetis amicis renunciare, nolumus aliquem offendere, imò malumus Deum offendere quàm hominem. Zachæus omni societati pristinæ renunciauit, maluit Deo placere quàm hominibus. *Statura pusillus erat.* Satis hic animo magnus erat, qui pusillus videbatur in corpore: nam mente tangebat cælos, qui corpore homines non æquabat.

Et præcurrens, adscẽdit in arborem sycomorum, vt videret eum. Præcurrit præ nimio desiderio turbam. Turba tardè quærit Iesum. *Currite*, inquit Apostolus, *vt comprehendatis. Contendite*, inquit Christus, *per angustam portã. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiũt illud.* Ex his discimus, quomodo debeamus præcurrere turbam. Vnusquisque suũ

Matt. 12.
Christus qualis sit.
Psal. 112.
Matt. 18.
1. Petri 2.
Iesũ quærere debemus.
Esaiæ 55.
Hier. 29.
Psal. 68.
Psal. 104.
Hebr. 12.
Esa. 59. & 1.
1. Cor. 9.

onus portabit. Admonebis fratrem sui officij: at tu cum Zachæo ne remoreris & negligas salutem tuam. Hic, vt videat quod maximè desiderabat, præcurrit, adscendit arborem: nam illac erat Iesus transiturus. Non dubium quin à turba sit irrisus. Quid publicano cum Propheta? Ascendit arborem. Diues noli superbire, esto humilis, imitare Zachæum. Adscendit non qualemcunque arborem, sed sycomorum, quæ fatua arbor dicitur, & imaginem hypocritæ refert, qui externè alius longè apparet, quàm sit intus. Esto sincerus & apertus, nihil admittens per simulationem. Christus hypocritis æternum væ sæpius in Euangelio imprecatur, qui aliud sunt quàm apparent. Zachæus nihil per hypocrisim operatus est, sed omnia ex animo sincero.

Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum. Zachæus quàm diu in turba est, non videt Christum: supra turbam adscendit & vidit: hoc est, plebem iam transgressus in scientiam, meruit, quem desiderauerat, videre. Iesus vidit illum gratiosis oculis, quibus Petrũ, Matthæum, Magdalenam, quibus tandẽ alios peccatores misericorditer respexit.

Zachæe, festinans descende. Zachæus desiderauerat videre Iesum: at ille & ipsum videre cupiebat: Zachæus nihil frigidè agebat: Christus properat, & se illi amanter videndum offert. Christus agnoscit qui sunt sui, quæ suæ sint oues nouit. Nominat eum suo nomine. Adscendisti vt me videres, *Christi in nos philã-thropia.* iam descende vt me fruare. Vide Christi philanthropiam. Vide de filio prodigo, quã benignè à patre susceptus. Omnia cum festinatione agenda. Sic Abraham expeditus obediuit. Christus Zachæum non tantùm alloqui cupit, verùm apud ipsum manere vult. *Si quis*, inquit Christus, *diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Deus peccati offensus recedit: verùm cùm pœnituerit nos malorum, apud nos manere ac permanere desiderat. Christus se nobis statim offert, si modò ad ipsum ex corde conuersi fuerimus. Descendere debemus de præsumptione, & humiliari, vt ad Christum accedamus.

Zachæe, festinans descẽde, &c. Variis modis solet nos Deus *Tit. 3.* ad se trahere, nosque inuitare vt ad se veniamus. *Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Est tamen necesse vt huic iustificationi concurrat motus liberi arbitrij. Ideò ait Augustinus: *Qui te creauit sine te, non saluabit te sine te.* *Simile.* Annulus cupreus, ornatus

ornatus adamante pretiosissimo, est summi valoris: non ob cuprum, sed ob gemmam inæstimabilem cupro ipsi inclusam. Sic bona opera nostra in gratia vitam æternam merentur, non quòd nostra sint, quia sicut cuprum parui sunt pretij: sed quia fiunt in gratia Dei, & insignita sunt tanquam inæstimabili adamante, merito passionis Christi, cui per gratiam adhæremus: qui nobis ob suam misericordiam bona opera in gratia facientibus, vitam æternam promisit. Sic olim diuum Paulum descendere & abstinere à persecutione iussit. Sic ad eos clamat quotidie, qui nimiùm sese bonis & voluptatibus affixere mundanis, vt descendant, cogitentque ad quid conditi sint. De obduratis in malis, vt Pharao ille, ait diuus Augustinus: *Hac pœna punitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui, dum viueret, oblitus est Dei. Iustum quippe est, vt difficilem experiatur Deum in morte, quem tota vita Deus difficilem atque rebellem inuenit. Spiritu nobis ambulandum est. Pij spiritu ducuntur, ratione atque iudicio viuunt: carnales variis cupiditatibus obsequuntur: vitam non tam dirigunt, quàm confundunt.* *Opera nostra quatenus mereantur.*

Et festinās descendit, & excepit illū gaudens, &c. Festinans descendit, & excepit tantum hospitem cum gaudio. Ne tardes conuerti ad Dominum. Excepit Christum Zachæus dupliciter: in cor illum suscepit, & in domū suam, licèt se planè indignum existimaret. *Non veni*, inquit, *vocare iustos, sed peccatores.* Dicebat ille: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Christus quoque ad te venire, cùm te monet veræ pietatis, cupit. Afficiat te plus verbum illius, quàm sales mundi. *Audiam*, inquit ille, *quid loquatur in me Dominus Deus. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Suscipimus & Christum in discipulis & pauperibus. *Qui vos recipit, me recipit.* Et: *Quàm diu fecistis vni de his minimis, mihi fecistis.* Zachæus excepit Christum, exclusit auaritiam, renuncians fraudibus. *Eccl. 5.* *Matt. 25.*

Et cùm viderent omnes, murmurabāt quòd ad hominē peccatorē diuertisset. Murmuratores erāt Pharisęi, qui in semetipsis confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros. Alibi indignantes dicunt: *Quare cū publicanis & peccatoribus*, &c. Alibi quoq; adsunt calūniatores illi: *Hic peccatores recipit, & mādu cat cum illis.* Christus vbique ita excusat se, vt ne hiscere contra eū auderent. Fuit hic Zachæus quidem peccator, at pœnitens: ad hunc pœnitentem Christus diuertit. Videmus quatenus nobis liceat cum malis conuersari. *Matth. 7.* *Luca 19.*

Boni & mali pisces semper inueniuntur. Cũ malis agendum vt illos lucremur Deo. Nõ ẽ iustitiæ præco, cum malis sine sui detrimento vixit. Zachæus malorum moribus renunciauit. Qui de aliorum vita & existimatione detrahunt, eorúmque famam diripiunt, sunt latronibus multò peiores. Detractionis vitium multos lædit. Hic est laqueus diaboli, in quem multi incogitantes incidunt. Detractores faciunt sicut muscæ in exulceratis iumentorum corporibus sana prætereuntes: sic isti bona prætereunt: si quid reprehensibile inuenerint, carpunt.

Hieron. ad Celătiam.

Simile.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, &c. Stat Zachæus, qui antè variis iactabatur curarum fluctibus. Iactabatur ab auaritia, à fraude, à rapinis: iam stat & dominatur eis: *Ecce*, inquit, *dimidiũ bonorũ meorum, &c.* Hoc primum est argumentum noui & renati hominis. Do modò, non procrastinabo in aliud tempus, vel aliis committam. Zachæus in omnium ferè ore versatur: at pauci sunt qui eius sectantur vestigia. Sumus Christiani: at qui restituant quæ fraude acceperunt, rari sunt. *Si res* (inquit Augustinus) *aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur: pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Christũ suscipiendo ornamus nostras domos, alioquin suscipimus diabolum. Zachæus regnum cælorum dimidia parte suorum bonorum comparat: vidua illa duobus minutis, alius calice aquæ frigidæ. Vide quantum mutatus est in melius Zachæus ex bona Christi cõuersatione, vt inde colligas quantum prosit bona societas. Dabat sua, non aliena bona. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Zachæus non dabat parcas aut tenues eleemosynas. Magna est eleemosynæ vtilitas. Consuluit Daniel Regi vt eleemosynis peccata redimeret. Ne respicias illum cui das, sed cogita ob cuius gratiam. Qui aliquod facit opus, faciendo illud in corde habet. Qui seminat, gaudet, tametsi in incertum seminet: multò magis qui cælum quasi agrum colit.

Epist. 54.

Peccatum an semper dimittatur.

Eccl. 34.

Daniel. 4.

Ait Iesus ad eũ: Quia hodie salus domui huic facta est, &c. Zachæus probauit se non ampliùs publicanum, sed pœnitentem: iam se Christus excusat à Iudæorum contumeliis. Dona pauperum lucra sunt animarum. Eò quòd ipse filius sit Abrahæ. Fit filius Abrahæ, fide, non genere: deuotione, non stirpe. Salus huic familiæ vniuersæ contigit à Deo, qui

solus

solus nouit quos velit inter filios Abrahæ numerari. Illi sunt filij Abrahæ, qui fidem & pia opera Abrahæ sectantur. *Abrahæ filij quales* Quia negotia sua cum Christo consultauit Zachæus, ob id prosperè cum eo actum est: eis verò qui inconsulto Deo negotia sua tractant, res sinistrè succedunt. In quouis igitur negotio Deum nobis ante oculos proponamus, illum consulamus, ab eo toti pendeamus: sine illius ope omnia in diuersum cadere, & infelices frequenter exitus habere profiteamur. *Væ*, inquit Dominus, *filij desertores, vt faceretis consilium, sed non ex me.*

Venit enim Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Excusat se Christus, quasi diceret: Ethnicus non est; qui fidem Abrahæ habet, & qui operibus piis fidem suã integram probat: talis est hic Zachæus. Sic ob conuersionẽ Matthæi se excusat: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habẽtibus.* *Matth. 9.* Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Dominus Iesus venit in hũc mundum peccatores saluos facere. Suscipiamus Christum hospitio cordis nostri, *1. Tim. 1.* vt ab illo sub finem vitæ vocemur. Amen.

DE DEDICATIONE LOCI.

DE sapiẽtissimo illo Rege Salomone narrat sacra Scriptura, quòd, postquam absoluisset templum, certum *2. Par. 6. & 7.* quendam diem assignauit, quo consecraret illud Domino. In dedicatione ergo maximus fuit apparatus. Dominus Deus dedit signũ quòd omnia illi grata fuissent. Hinc manauit laudabilis cõsuetudo in populo Christiano, celebrandi dedicationem templorũ. Habebant Christiani certa loca quædam quæ Oratoria, siue Ecclesiæ appellabantur. Illuc conueniebant ad audiendum verbum Dei, ad Missam cum deuotione audiendam, ad preces suas fundendas, ad sacram etiam Eucharistiam percipiendam. Constantinus autem Magnus Imperator, postquam baptismum suscepit à beato Siluestro, permisit vndique apertas habere Ecclesias: qui in suo palatio Romę ædificauit Ecclesiam in honorem Saluatoris mundi, anno Domini 325. qui eandem Ecclesiã optimè dotauit. Et huius Ecclesiæ dedicatio, quæ à beato Siluestro facta est, prima fuit à Christianis. Hîc etiam positum fuit altare, in quo beatus Petrus Missam celebrauerat, quod erat ligneum. Posita hîc & imago Saluatoris, quam B. Lucas

depinxit. Voluit Siluester huius rei singulis annis memoriam haberi, quæ fuit 9. die Nouembris.

Habent in ciuitatibus officinas suas, in quibus tractant de negotiis secularibus: necesse planè erat, vt certa quædam essent Templa & Ecclesiæ, in quibus sua possent peragere Christiani, & auxilium & opem à Domino implorarent in suis necessitatibus, & vt huiusmodi loca in maiori haberentur reuerentia, quàm profana. Templum Salomonis ob præsentiam arcæ honoratum est: quare non magis nostrum, ob præsentiam corporis & sanguinis Christi? Hinc etiam sunt in nostra Ecclesia Sacramenta à Christo instituta, quibus curantur animæ nostræ infirmitates. In Ecclesia orationes fideliũ sunt magis meritoriæ, atque faciliùs impetrant quod petunt: in ea est scala illa Iacob per quam adscendunt & descendunt Angeli offerentes preces nostras Domino. In Ecclesia dedecet omnis strepitus, omnis murmuratio, omnis impura actio. Deus olim durissimè puniuit violatores templorum, sicut illum Antiochum, Nabuchodonosor, Balthasar. Pompeius Romanus fuit felicissimus in præliis suis, at postquã factus est sacrilegus, miserrimè periit. Christus templi honorem vindicauit, vbi negotiatores verberibus expulit. In templo dabat Deus olim responsa, & ibi Angelus apparuit Zachariæ. De templo eiecit Christus ementes & vendentes, vocans templum domum Patris sui, & domum orationis. At postquam Iudæi Christum Saluatorem nostrum falsis criminibus ad cædem vocarunt, fuit templum illud euersum: & eius euersione appropinquante, auditæ sunt Angelorum voces dicentium, *Exeamus ab his ædibus.* Lege Ioseph. lib. 7. de bello Iudaico, cap. 17 & Egesippum libro 5. cap. 44. & Eusebium lib. Eccles. Hist. cap. 3. qui hoc memoriæ prodiderunt. Sed quando templum hoc euersum est, multæ iam erant Ecclesiæ Christianorum, quę fuerunt tempore Apostolorum ædificatæ. Ioannes se deferri fecit in Ecclesiam. Cornelij domus constructa est in Ecclesiam, cuius meminit Lucas. Tempore Constantini Magni tanta fuit illius principis pietas, tanta fidelium illius seculi religio, vt fuerint Romæ plusquam tria millia templorum Deo & diuis consecratorum, vt refert Andreas Fuluius in libro suo de antiq. Rom. Videant nostri terminarij hæretici Lutherani, & Caluiniani, qui dicunt sacras ædes esse mera figmenta, eas contaminant & euertunt. Pagani in suis terris Christi templa sustinent, & sceleratissimi Lutherani

Templum venerandũ est.

Genes. 28.

2. *Mach.* 9

Ioan. 2.
3. *Reg.* 8.
Lucæ 1.
Matt. 21.
Lucæ 19.

Act. 20.

ca om

ea omnia vastant atque destruunt. Ecclesia figurata est in arca Noë. Quòd magna deuotione Ecclesiam frequentare debeamus, vide Chrysosto. in Acta Apostol. Christus Encæniorum tempore egit in porticu Salomonis. Inter horrenda Athaliæ facinora hoc in primis memoratur, quòd sacra templi Dei vasa ad Baal cultum destinauerit. Quod Athaliæ pessimum crimen imitari videntur, qui templa Deo sacra in diaboli obsequium vertunt. Det Deus illis tandem sensum vt intelligant. *Ioan. 19.*

FINIS.

APPROBATIO.

COMPENDIA *Sermonum* R. P. Ludouici Granatensis, *in duos Tomos digesta, per Fratrem Petrum Mersseum, pro vtilitate Concionatorum, qui vel integra Opera emere non possunt propter tenuitatem: vel per occupationes legere, possunt imprimi, & euulgari, cùm sine vlla fidei Catholicæ offensione contineãt sanctissimas Christianarum virtutum instructiones.*

Ita censeo, VValtherus Vander Steeghen, S. Theol. Licentiatus, Canonicus Ecclesiæ Antuerpiens. & Beatæ Mariæ Tongrens.

INDEX RERVM QVÆ SECVNDO TOMO EPITOMES CONCIONVM GRANATENSIS explicantur: qui Homilias in præcipua Sanctorum festa continet.

***

Obli

FINIS.

LVGDVNI,
EX TYPOGRAPHIA
Hæredum Petri Roussin.

CIↃ. IↃ. XCV.

A B C D